2 3.125

Digitized by Google

XXXIV
AMORT
1744

Digitized by Google

Digitized by Google

Z. 3. 135

DE REVELATIONIBUS, VISIONIBUS ET APPARITIONIBUS PRIVATIS REGULÆ TUTÆ

EX

SCRIPTURA, CONCILIIS, SS. PATRIBUS, ALIISQUE OPTIMIS AUTHORIBUS COLLECTÆ, EXPLICATÆ ET EXEMPLIS ILLUSTRATÆ

A

R.D. EUSEBIO AMORT,
Canonico Regulari Lateranenſi Pollingæ,
EMINENTISSIMI CARDINALIS
LERCARI
Theologo.

CUM APPROBATIONE SUPERIORUM.

AUGUSTÆ VINDELICORUM,
Sumptibus MARTINI VEITH, Bibliopolæ.
ANNO M. D. CC. XLIV.

Digitized by Google

Digitized by Google

SANCTÆ MATRI
ROMANÆ ECCLESIÆ.

Cedit haud dubiè in Religionis decus, ac munimentum verbi divini ab æmulis hominum, divina etiam patientium, ſomniis cauta diſcretio. Hanc ut certîs, quoad ho-

Digitized by Google

mini licet, conſtringerem regulîs; & quarundam revelationum, quas S. Congregatio Indicis firmîs Decretîs procul eſſe juſſit ab imperitorum auribus, temperarem etiamnum invaleſcentem uſum publicum, præſentis eſt moliminis. Nec iſtud quidem à me ſuſceptum eſt ſine graviſſimorum Theologorum conſilio, aut ſine Scriptorum, quos abundè mihi Romanæ Bibliothecæ miniſtraverant, copioſo præſidio. Si quibus tamen iſthoc meum capite ex quocunque non placet conſilium, eos non ad ſtrepida turbæ ſubſellia, ſed ad tua, Eccleſiarum Magiſtra, amicè invito arbitria. Tua enim in Urbe *Conventus* ſacri *aguntur*, *& Proconſules ſunt. Act. 19.* quibus profundè ſcripta mea omnia unà mecum inclino. Suſcipe proin materno ſinu inter litterarios ſudores fatiscentem in te; & quem ſacratiſſimo ore ſummi Paſtoris tui, SS. D. N. CLEMENTIS XII, dum illi offerre licuit Opus meum de Indulgentiis dogmati-

maticum, cohortari dignata es, *ut eo modo pergerem in collocandis talentis, atque exhibendis Eccleſiæ ſervitiis*, nunc quoque in tua ulteriora dirige, tuêre, fove, ſupplex precor, obſequia. Pollingæ 6. Auguſti 1743.

Filiorum infimus.

EUSEBIUS AMORT,
C. R. P.

)(3 APPRO-

Digitized by Google

APPROBATIO.

PRima DEO in mundo cura fuit, ſeparare lucem à tenebris. *Diviſit lucem à tenebris, factúmque eſt veſpere & mane dies unus.* Gen. I. Primarium & Eccleſiæ ejúsque Theologorum eſſe negotium decet, ut fontes luminum limpidos à turbidis, revelationes falſas aut dubias à certis, verbum divinum ab humano diſcernant. At verò, quantò difficilius in hoc genere *monſtrare aurora locum ſuum.* Job. 38. tantò commendabilior clariſſimi viri EUSEBII AMORT Canonici Regularis induſtria, dum præſente libro, cui titulus: De Revelationibus, Viſionibus & Apparitionibus privatis Regulæ tutæ, exemplis illuſtratæ, providè oſtendit, quantâ moderatione opus ſit in revelationibus perſonarum etiam ſanctarum uſurpandis, aut prædicandis. Id verò cùm more ſolitô eruditè præſtet ſine offenſa fidei, ſine irreverentia Divûm, ſine morum injuria, ſine læſione modeſtiæ, ſegregandô lucem à tenebris lucem utique & nominis claritatem meretur publicam. Auguſtæ 6. Septembris, 1743.

Imprimatur H. S.

Auguſtæ, ex Vicariatu 7. Septembris, 1743.

JOANNES ADAMUS NIEBERLEIN,
SS. Theol. Doct. Epiſcopus Diocl. Suffrag. Euſtet. Canon. Cath. Eccl. Auguſt. p. t. Vicarius Generalis mppria.

FRANCISCUS JOSEPHUS de HANDL,
SS. Theol. Licent. Reverendiſs. & Sereniſs. Principis & Epiſcopi Auguſt. Conſil. Eccl. Major Pœnit. ac Librorum Cenſor, nec non inſig. Eccl. Colleg. ad S. Mauritium Canon, & Parochus mppria.

Præfa-

Digitized by Google

PRÆFATIO
DE MOTIVO ET SCOPO PRÆSENTIS OPERIS.

1. R*Evelationes privatas* voco, quæ perſonis particularibus adſcribuntur, necdum tamen pro veris definitæ ſunt ab Eccleſia, nec immediatè à DEO ordinantur ad directionem univerſalis Eccleſiæ.

2. Ut eas ſubjicerem exactiori examini, movit me earum immodicus his temporibus uſus, dum paſſim ſine ullo criterio ſumuntur pro agendorum &, ùt ajunt, *piè credendorum* norma in concionatorum pulpitis, atque in libris non ſolùm aſceticis ac precatoriis, ſed & in ipſis Hiſtoriis Eccleſiaſticis.

3. Eam

Digitized by Google

3. Eam namque conſuetudinem cenſeo *Religioni probroſam*, *ſaluti animarum noxiam*, ac penitus *contrariam menti Eccleſiæ.*

4. Religioni *probroſa* eſt, quia dedecet, populum fidelem, enutritum divini verbi pabulo, in tanta aliarum veritatum certiſſimarum abundantia paſci incertarum revelationum glandibus, in quibus pronum eſt immiſceri falſas, abſurdas & ſeductorias.

5. Saluti animarum ea *praxis noxia* eſt, quia dum fidelium mentes magna parte diſtrahuntur ejusmodi narratiunculis fovendæ curioſitati idoneis, minori attentione feruntur ad ea Religionis myſteria, quæ pro jugi conſideratione vivis coloribus DEUS pingi voluit in noſtris cordibus; quibus & ipſe adeſſe ſolet gratiore ſupernorum luminum ac donorum præſentiâ. Ex eodem fonte fluit non infrequens per varia nova Religionis exercitia cultûs publici novatio, cujus matrix & auctrix prætenditur revelatio. Inde animorum diſſenſio, & non integrarum modo communitatum aut urbium, ſed etiam provinciarum non ſine ſcandalis ingentibus confuſio.

6. *Menti*

Digitized by Google

6. *Menti* denique *Eccleſiæ* illa *repugnat* abuſio, quia provida mater ſemper abhorruit à promulgatione incertarum revelationum, earum ſaltem, quæ aut ſpeciem falſi præferunt, aut viam ſternunt ad novationem cultûs publici ac dogmatum. Hæc mens Eccleſiæ ſat clarè colligitur ex Decretis Concilii Tridentini, aliorúmque Conciliorum, & Patrum, quorum infra *Part. 1. C. 2.* referam ſententias. Ipſum verò *Tridentinum Seſſ. 25.* de Purgatorio ſic ſtatuit: *Epiſcopi incerta, & quæ ſpeciem falſi habent, evulgari & tractari non permittant.* Et ibidem de invocatione Sanctorum: *S. Synodus ſtatuit, nulla admittenda eſſe nova miracula, niſi approbante Epiſcopo, qui ſi aliquid* (NB.) *compertum habuerit, in conſilium adhibitis Theologis & aliis piis viris ea faciat, quæ veritati & pietati conſentanea judicaverit.* Ex quibus liquet, non *incerta*, ſed *comperta* in genere miraculorum ac viſionum, atque illa ipſa non ſine Theologorum indifferentium conſilio in vulgus ſpargenda eſſe.

7. Itaque ut in præſenti materia revelationum facilius diſcernantur *dubia à certis*, *falſa à veris*, ex optimis Authoribus collegi regulas promiſcuas, eáſque

Digitized by Google

que in ordinem ſummarium digeſtas ſic diſpoſui, ut vel ex Authorum conſenſu unanimi, vel ex præſtantiorum ſententia haberentur Canones conſtantes, quos ſequi tutum, transgredi nefas foret.

8. Ex omnium Authorum regulis in nucleo hæc demum Lector benevolus colligere poterit documenta.

I. Plerasque revelationes privatas, in particulari acceptas, incertas eſſe.

II. Etiam in perſonis ſanctis nonnunquam cum acceptis à DEO luminibus miſceri operationes phantaſiæ, aut illuſiones dœmonis, non aliter, ac cum inſpirationibus divinis humana ratiocinia aut contrariæ inſpirationes dœmonis conjungi ſolent.

III. Hinc neque ex ſanctitate perſonarum, aut ex dono revelationum illis perſonis collato inferri poſſe omnium prorſus ac ſingularum revelationum, quæ ejusmodi perſonis ſanctis adſcribuntur, veritatem; neque viciſſim ex demonſtrata aliquot talium particularium revelationum falſitate derogari illarum perſonarum ſanctitati, ſi hæc aliunde certa ac comperta ſit.

IV.Quan-

Digitized by Google

IV. Quando revelatio incerta, id eſt, nullo fulta certo ſuæ divinitatis argumento, opponitur ſententiis theologicis, aut poſitionibus hiſtoricis ſolidè probatis, adeoque moraliter certis, his potiùs quàm revelationi prætenſæ inſiſtendum eſſe. Æquum enim eſt, *ut cedant incerta certis, & dubia veris.*

V. Revelationes privatas, nullo munitas infallibili ſigno divinitatis characteriſtico, non ſervire pro regula ad introducenda nova dogmata, prius Eccleſiæ incognita; neque ad novandum cultum aliquem Religionis publicum, non contentum implicitè in principiis aliunde certis Eccleſiæ.

VI. Easdem nec ſervire ad convellendas traditiones receptas in Hiſtoria Eccleſiaſtica,

VII. Neque ad comprobandas opiniones particulares Doctorum coram populo in concionibus, aut aliis inſtructionibus plebis. Ratio horum trium poſteriorum documentorum eſt, quia intereſt Eccleſiæ, ne ejusmodi ſemper variantium opinionum & revelationum fluctibus ſcindatur ſtudia in

 con-

contraria vulgus, quod dum audit è cathedra nomen revelationum, quasvis ſine diſcrimine ſuſpicere conſuevit pro delapſis cœlo indubiis veritatibus.

9. Hic igitur ſcopus & fructus eſto hujus meæ in materia revelationum induſtriæ. Eâ ſi, benevole Lector, pro decore Eccleſiæ & animarum tranquillitate proficis; me quoque, ut in tua ulteriora proficiam obſequia, pro viribus laborantem ſubſidiariò precum ſtudiô juva.

INDEX

Digitized by Google

INDEX.

PARS I.

Regulæ ex Scriptura, Conciliis, Patribus, aliiſque probatis Authoribus.

	Pag.
CAPUT I. REGULÆ ex Scriptura. -	3.
C.II. Ex Conciliis, & Patribus. -	7.
C.III. Ex P. Dominico Gravina, Ord. Præd.	29.
C.IV. Ex Joan. Gerſone, Cancellario Pariſienſi.	80.
C.V. Ex Cardinali de Lauræa, Ord. Min.	100.
C.VI. Ex Cardinali Bona, Ord. Ciſterc.	124.
C.VII. Ex Joan.Franciſco Pico Mirandulano.	128.
C.VIII. Ex P. Joan. Thoma Caſtaldo de Alaſſio, Ord. Præd. - -	142.
C.IX. Ex Joan. Rusbrochio, Can Reg.	154.

Digitized by Google

Pag.

CAPUT X. Ex B. Henrico ab Urimaria, Ord. Eremit. S. Aug. - - 156.

C.XI. Ex P. Henrico de Haſſia, Ord. Eremit. S. Aug. - - 158.

C.XII. Ex P. Ludovico de Leone, Ord. Eremit. S. Aug. - - 161.

C.XIII. Ex P. Bartholomæo Sybille, Ord. Præd. - - - 163.

C.XIV. Ex P. Petro Thyræo, Soc. JEſu. 166.

C.XV. Ex S. Thereſia, Ord. Carmel. - 172.

C.XVI. Ex S. Joanne de Cruce, Ord. Carmel. 200.

C.XVII. Ex S. Thoma Aquinate, Ord. Præd. 233.

C.XVIII. Ex P. Joſepho Auguſtino Orſi, Ord. Præd. - - - 235.

C.XIX. Judicium S. Philippi Nerii de Viſionibus. - - 248.

C.XX. Regulæ ex documentis Fœminarum famâ ſanctitatis aut pietatis illuſtrium. - - - 250.

C.XXI. Judicium Bollandiſtarum de Revelationibus Mulierum. - 253.

C.XXII. SUMMARIUM criticum earum Regularum, quæ in hac materia ſunt præcipuæ;

§. 1. De Revelationibus veris. - 259.

§. 2.

Pag.
§. 2. De Revelationibus dubiis. - - 270.
§. 3. De Revelationibus probabiliùs falſis. 273.
§. 4. De Revelationibus certò non divinis. 279.

PARS II.

Applicatio Regularum ad quasdam Revelationes in particulari, per modum Exempli.

NUM. I. Exempla Illuſionum illuſtrium ex vitis Patrum. - - 10.
N. II. Exempla Illuſionum illuſtrium ex variis Authoribus. - - 15.
N. III. Exemplum illuſtre Revelationum per ſagam. - - 26.
N. IV. Exempla Deceptionum illuſtrium ex Joan. Gerſone. - - 28.
N. V. Exempla Illuſionum inſignium ex Pico Mirandulano. - - 31.
N. VI. Exempla Revelationum probabilium ex Actis Bollandianis, & Joan. Nider. 32.
N. VII. Exempla Viſionum & Revelationum ſuſpectarum in nonnullis Fœminis famâ pietatis claris. - - 40.

NUM.

Pag.

NUM. VIII. De Revelationibus S. Gertrudis. 49.

N.IX. De Revelationibus S. Eliſabethæ Schönaugienſis. 162.

N.X. De Revelationibus B. Angelæ de Fulgineo. - - 197.

N.XI. De Revelationibus B. Veronicæ de Binaſco. - - - 203.

N.XII. Revelationes Venerabilis Mariæ de Agreda in compendio. - 218.

N.XIII. Obſervationes circa Revelationes Ven. Mariæ de Agreda. - - 498.

PARS I.

Digitized by Google

PARS I.

Regulæ ex Scriptura, Conciliis, SS. Patribus, aliíſque optimis Authoribus collectæ, & in ordinatum Syſtema congeſtæ.

Digitized by Google

PARTIS I.

CAPUT I.

Regulæ ex Scriptura.

Regula 1. Non eſt ſemper certum ſignum, Revelationem eſſe à Deo, ſi prædictioni reſpondeat eventus. Ita habetur *Deuter.* c. 13. his verbis: *Si ſurrexerit in medio tui Prophetes, aut qui ſomnium vidiſſe ſe dicat; & prædixerit ſignum atque portentum; & evenerit, quod locutus eſt; & dixerit tibi: Eamus & ſequamur deos alienos; non audies verba Prophetæ illius aut ſomniatoris. Propheta autem ille aut fictor ſomniorum interficietur.*

Regula 2. Revelationes, in quibus reperitur vel unica prædictio falſa, rejiciantur totaliter cum ſuo Authore. Id colligitur ex *Deut.* 18. ubi dicitur: *Propheta, qui arrogantia depravatus voluerit loqui in nomine meo, quæ ego*

Digitized by Google

non præcepi illi, ut diceret, interficietur. Quod ſi tacita cogitatione reſponderis: quo modo poſſum intelligere verbum, quod Dominus non eſt locutus? Hoc habebis ſignum. Quod in nomine Domini Propheta ille prædixerit, & non evenerit, hoc Dominus non eſt locutus, ſed per tumorem animi ſui Propheta confinxit, & ideo non timebis eum. Ex his verbis colligitur, ex una parte prædictionis aut revelationis falſa bene inferri, quod propheta ſit impoſtor, qui aut ob ſuam arrogantiam meruerit illudi à dœmone, aut impiè velit illudere. Authoritate autem perſonæ ſublata tollitur fides etiam reliquis ejus Revelationibus. Hæc intentio Scripturæ clarius colligitur ex verſione Septuagintavirali, ubi dicitur: *Quæcunque locutus fuerit Propheta in nomine Domini, & non evenit totum illud ac omne, in impietate ſua locutus eſt Propheta ille; non abſtineas* (manus) *ab eo.* ὅσα ἐὰν λαλήσῃ ὁ Προφήτης, καὶ μὴ συμβῇ τοῦτο τὸ ῥῆμα, ἐν ἀσεβείᾳ ἐλάλησεν ὁ Προφήτης ἐκεῖνος. οὐκ ἀφέξεσθε ἀπ' αὐτοῦ.

Regula 3. Facile per revelationes falſas illuduntur à dœmone, qui merentur illudi, eò quod nolint conſulere Verbum Dei ex Scriptura, traditione, & ſenſu univerſali Eccleſiæ. Id colligitur ex Hiſtoria, quæ narratur 3. *Reg. c.* 22. Joſaphat pugnaturus contra Syriam cum impio Rege Achab rogabat eum, ut prius conſuleret Dominum de eventu belli. Hic autem, cùm poſſet conſulere Michæam Prophetam, à Deo electum ac ordinatum ad cognoſcenda arcana Dei, nihilominus conſuluit & ſecutus eſt Prophetas, adhærentes ſuo Schiſmati, à quibus & deceptus eſt. Scriptura ſic habet: *Congregavit ergo* (Achab) *Rex Iſrael Prophetas quadringentos circiter viros, & ait ad eos: Ire debeo ad bellandum, an quieſcere? qui reſponderunt: Aſcende, & dabit eam Dominus in manu regis. Dixit autem Joſaphat* (Rex Juda) *Non eſt hic Propheta Domini quiſpiam, ut interrogemus per eum? Et ait Rex Iſrael ad Joſaphat: Remanſit vir unus, per quem poſſumus interrogare Dominum;*

num; ſed ego odi eum quia non prophetat mihi bonum. - - Venit itaque Michæas ad Regem, qui ait ad eum: adjuro te, ut non loquaris mihi, niſi quod verum eſt. Et ille ait: Vidi Dominum & omnem exercitum cœli aſſiſtentem ei. Et ait Dominus: Quis decipiet Achab Regem Iſrael? ut aſcendat, & cadat in Ramoth Galaad. Egreſſus eſt autem Spiritus, & ſtetit coram Domino, & ait: Ego decipiam illum. Cui locutus eſt Dominus; in quo? & ille ait: Egrediar, & ero Spiritus mendax in ore omnium Prophetarum ejus. Et dixit Dominus: Egredere & fac ita. Nunc igitur dedit Dominus Spiritum mendacii in ore omnium prophetarum tuorum, qui hìc ſunt.

Regula 4. Revelationes, quæ ſuîs doctrinîs aut promiſſis diſponunt peccatores ad protrahendam pœnitentiam, non ſunt à Deo. Hic Character Pſeudo-Prophetarum annotatur *Jeremiæ c.* 23. his verbis: *In prophetis Jeruſalem vidi iter mendacii; & confortaverunt manus peſſimorum, ut non converteretur unusquisque à malitia ſua. Hæc dicit Dominus: Nolite audire verba prophetarum qui decipiunt vos; viſionem cordis ſui loquuntur, & non de ore Domini. Dicunt his, qui blasphemant me. Locutus eſt Dominus: Pax erit vobis. Et omni, qui ambulat in pravitate cordis ſui, dixerunt: non veniet ſuper vos malum.* Ad has falſas prophetias pertinent illæ Revelationes, quæ peccatoribus ob quasdam devotiunculas ſpondent in articulo mortis converſionem; aut monſtrant alias quasdam ad cœlum vias neglectâ viâ arctâ.

Regula 5. Revelationes, præſertim mulierum, quæ occupando homines in devotiunculis tribuunt vanam ſecuritatem aut torporem in peccatis, non ſunt à Deo. Ratio eſt, quia Deus, cum ſciat anguſtias humanæ memoriæ, potiſſimùm ſolet urgere ac identidem inculcare obligationes ſubſtantiales. In *Ezechiele c.* 13. dicitur: *Pone faciem*

Digitized by Google

tuam contra filias populi tui, quæ prophetant de corde ſuo, & vaticinare ſuper eas, & dic: Hæc dicit Dominus Deus; Væ, quæ conſuunt pulvillos ſub omni cubito manus, & faciunt cervicalia ſub capite univerſæ ætatis ad capiendas animas - Propter hoc dirumpam cervicalia veſtra pro eo, quod confortaſtis manus impii, ut non reverteretur à via ſua mala. Ibidem de Prophetis ejusmodi dicitur: Dices prophetantibus de corde ſuo. *Væ Prophetis inſipientibus, qui ſequuntur Spiritum ſuum; non aſcendiſtis ex adverſo* (contra vitia) *vident vana, & divinant mendacium, dicentes: ait Dominus, cum Dominus non miſerit eos. Prophetæ, qui vident viſionem pacis, & non eſt pax, ait Dominus.*

Regula 6. Quando petitur à Deo revelatio ab indignis, etiam illæ perſonæ, per quas petitur à Deo reſponſum, quamvis alioquin pias, facile decipiuntur à propria phantaſia vel dœmone. Id colligitur ex *Ezech. c.* 14. ubi dicitur: *Venerunt ad me viri Seniorum Iſrael; & factus eſt ſermo Domini ad me: Fili hominis, viri iſti poſuerunt immunditias in cordibus ſuis; nunquid interrogatus reſpondebo eis? propter hoc dices ad eos: Homo, qui poſuerit immunditias in corde ſuo, & venerit ad prophetam, interrogans per eum me; ego Dominus reſpondebo ei in multitudine immunditiarum ſuarum, ut capiatur domus Iſrael in corde ſuo. Homo, ſi alienatus fuerit à me, & venerit ad prophetam, ut interroget per eum me: cum propheta erraverit, ego Dominus decepi prophetam illum; juxta iniquitatem interrogantis ſic iniquitas prophetæ erit.* Huic teſtimonio Ezechielis conſonat illud Apoſtoli 2. *Theſſal.* 2. ubi ait: *Eò quod charitatem veritatis non receperunt: ut ſalvi fierent, ideo mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio.*

Regula 7. Quando Revelationes repugnant traditioni aut communi ſenſui fidelium, non cito eſt iis aſſentiendum, maximè ſi in iis locum habeat non tam

Digitized by Google

tam indifferens amor veritatis, quàm ſtudium partium. Id colligitur ex Apoſtolo 2. *Theſſ.* 2. ubi ait: *Non cito moveamini à veſtro ſenſu, neque terreamini, neque per ſpiritum* (ſeu revelationem) *neque per ſermonem, tanquam inſtet dies Domini; ne quis vos ſeducat ullo modo. - Num retinetis, cum eſſem apud vos, hæc dicebam vobis. - Nunc revelabitur ille iniquus, cujus adventus eſt ſecundum operationem Satanæ in omni virtute & prodigiis mendacibus, & in omni ſeductione iniquitatis iis, qui pereunt, eò quod charitatem veritatis non receperunt, ut ſalvi fierent; ideo mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio.*

CAP. II.

Regulæ ex Conciliis & Patribus.

REgula 1. Revelationes privatæ ſine aliis certis probationibus non ſerviant ad Regulandum cultum publicum in Eccleſia. In *Codice Canonum Eccleſiæ Africanæ Decreto* 83. dicitur: *Omnino nulla memoria Martyrum probabiliter acceptetur, niſi ubi corpus aut aliquæ Reliquiæ ſunt; aut origo alicujus habitationis vel poſſeſſionis vel paſſionis fideliſſima origine traditur. Nam quæ per ſomnia & per inanes quaſi revelationes quorumlibet hominum ubicunque conſtituuntur, omnino improbentur.*

Regula 2. Revelationes non authenticæ proclives ad inducendum errorem in rebus fidei aut morum, aut faciles ad introducendam perturbationem ſunt publicè prohibendæ, ne per eas populus decipiatur. In *Decreto Gelaſii I.* Papæ, edito in Concilio Romano,

no, prohibentur inter alia: Primo: Liber, qui appellatur Paſtoris, utpote continens meras revelationes non authenticas. Secundo: Revelatio quæ appellatur Pauli Apoſtoli. Tertio: revelatio quæ appellatur Thomæ Apoſtoli. Quarto: revelatio, quæ appellatur S. Stephani. &c. &c.

Regula 3. Qui deſiderant Revelationes à Deo, merentur illudi à dœmone. *S. Auguſtinus L.* 10. *Confeſſ. C.* 42. ait: *Quem invenirem, qui me reconciliaret tibi? an eundum mihi fuit ad angelos? Multi conantes redire ad te, ſicut audio, tentaverunt hæc, & inciderunt in deſiderium curioſarum viſionum, & digni habiti ſunt illuſionibus. Elati enim te quærebant doctrinæ faſtu, exerentes potius, quàm tundentes pectora, & adduxerunt ſibi per ſimilitudinem cordis ſui conſpirantes & ſocias ſuperbiæ ſuæ poteſtates aëris hujus, à quibus per potentias magicas deciperentur, quærentes mediatorem, per quem purgarentur, & non erat. Diabolus enim erat transfigurans ſe in angelum lucis. - - Fallax itaque ille mediator, quo per ſecreta judicia tua ſuperbia meretur illudi, unum cum hominibus habet, id eſt, peccatum.*

Regula 4. Revelationibus privatis, etiam fide digniſſimis, liberum cuivis eſt, credere vel non credere. *S. Auguſtinus Epiſt.* 100. *ad Evodium* ſic habet: *Frater noſter Gennadius, notiſſimus ferè omnibus, nobisque chariſſimus, medicus, qui nunc apud Carthaginem degit, & Romæ ſuæ artis exercitatione præpolluit, ut hominem religioſum noſti, atque erga pauperum curam impigra miſericordia, facillimoque animo benigniſſimum, dubitabat tamen aliquando, ut modo nobis retulit, cum eſſet adoleſcens, & in his eleëmoſinis ferventiſſimus, utrum eſſet ulla vita poſt mortem. Hujus igitur mentem & opera miſericordiæ quoniam Deus nullo modo deſereret, apparuit illi in ſomnis juvenis conſpicuus, eique dixit: Sequere me. Quem dum ſequeretur, venit ad quandam civitatem, ubi audire cœpit ſonos ſuaviſſimæ cantilenæ ultra ſolitam notamque ſuavitatem. Tunc intento*

Digitized by Google

intento quidnam eſſet, ait: Hymnos eſſe beatorum atque Sanctorum. Evigilavit, & ſomnium fugit. Alia nocte idem ipſe juvenis eidem apparuit, atque, utrum cognoſceretur, interrogavit, &c. &c. Sicut, inquit, oculi carnis tuæ utique in dormiente nunc vacant, & tamen ſunt iſti, quibus me intueris; ita cum defunctus fueris, nihil agentibus oculis carnis tuæ vita tibi inerit, ſenſusque quo ſentias. Cave jam deinceps dubites, vitam manere poſt mortem. Ita ſibi homo fidelis ſublatam ſibi dicit hujus rei dubitationem. Quo docente, niſi providentia & miſericordia Dei? Verumtamen cùm his verbis credere, vel non credere liberum cuivis ſit, ſeipſum quisque habet, quò ſe avocet ad quæſtionem &c.

Regula 5. Viſiones imaginariæ diſcerni non poſſunt, utrum ſint à dœmone vel Deo, niſi poſtea juxta ejusmodi Regulas bene examinentur à viris dono diſcretionis ſpirituum præditis. *S. Auguſtinus Epiſt.* 102. *ad Evodium* ait: *Sunt viſiones, quæ apparent ſpiritui tanquam corporis ſenſibus, non ſolùm dormientibus vel furentibus, ſed aliquando ſanæ mentis vigilantibus, non per fallaciam illudentium dœmonum, ſed per aliquam revelationem ſpiritalem, quæ fit per formas incorporeas corporibus ſimiles, quæ diſcerni omnino non poſſunt, niſi divino adjutorio plenius revelentur, & mentis intelligentia dijudicentur, vix aliquando cum fierent, ſed plerumque poſtea cum tranſierint.* Videatur etiam textus in *Regula* 8. infra citandus.

Regula 6. Si quis non adhibeat fidem revelationibus privatis, non eſt pugnaciter arguendus. *S. Auguſtinus L.* 1. *de Doct. Chriſt. Prolog. De ſervo barbaro Chriſtiano à graviſſimis fideque digniſſimis viris nuper accepimus, quod litteras nullo docente homine in plenam notitiam orando, ut ſibi revelarentur accepit, triduanis precibus impetrans, ut etiam oblatum Codicem ſtupentibus qui aderant, legendo percurreret. At ſi hæc quisque falſa arbitretur, non ago pugnaciter.*

Digitized by Google

Regula 7. Ea, quæ humana induſtria diſci poſſunt, non ſunt petenda per revelationem; alioquin erit periculum deceptionis. *S. Auguſtinus L. cc.* addit: *Moneamus omnes Fratres, ne parvulos iſta doceant, quia momento uno temporis adveniente Spiritu Sancto repleti Apoſtoli omnium gentium linguis locuti ſunt; immo quod per hominem diſcendum eſt, quisque ſine ſuperbia diſcat, & ſine invidia tradat quod accepit. Nec tentemus cui credidimus, ne talibus inimici verſutiis & perverſitate decepti ad ipſum Evangelium diſcendum nolimus ire in Eccleſias, aut Codicem, & exſpectemus rapi in tertium cœlum, & ibi audire ineffabilia verba, aut ibi videre Dominum. Caveamus tales tentationes ſuperbiſſimas & periculoſiſſimas. Magisque cogitemus, ipſum Apoſtolum Paulum ad hominem miſſum eſſe, ut Sacramenta perciperet, & Centurionem Cornelium Petro traditum imbuendum. Et poterant utique omnia per angelum fieri, ſed abjecta eſſet humana conditio, ſi per homines hominibus verbum ſuum Deus miniſtrare nolle videretur.*

Regula 8. Etiam in iis viſionibus, quæ non videntur ad malum inducere, poteſt intervenire illuſio dœmonis. *S. Auguſtinus de Geneſi ad Litt. L.* 12. *c.* 13. & 14. dicit: *Mirum eſt, ſi aliquando Ectaſis fieri poteſt, ut non illæ corporalium rerum ſimilitudines aliquid ſignificent. Non ſanè mirum eſt, ſi etiam dœmonium habentes aliquando vera dicunt, quæ abſunt à præſentium ſenſibus, quod neſcio qua mira mixtura fit, ut tanquam unus ſit patientis atque vexantis. Cùm autem Spiritus bonus in hæc viſa humanum ſpiritum aſſumit aut rapit, nullo modo illas imagines ſigna rerum aliarum eſſe dubitandum eſt, & earum, quas noſſe utile eſt. Dei enim munus eſt. Diſcretio ſanè difficillima eſt, cum ſpiritus malignus quaſi tranquillus agit, ac ſine aliqua vexatione corporis aſſumpto humano ſpiritu dicit, quod poteſt; quando etiam vera dicit, & utilia prædicat, transfigurans ſe velut* in

in angelum lucis, ad hoc, ut cum illi in manifeſtis bonis creditum fuerit, ſeducat ad ſua. Hunc diſcerni non arbitror, niſi dono illo, de quo ait Apoſtolus, cum de diverſis Dei muneribus loqueretur: Alii dijudicatio ſpirituum. *Non enim magnum eſt, tunc eum dignoſcere, cum ad aliqua pervenerit vel produxerit, quæ ſunt contra bonos mores vel regulam fidei; tunc enim à multis diſcernitur; illo autem dono in ipſo primordio, quo multis adhuc bonus apparet, continuò dijudicatur, an malus ſit.*

Regula 9. Si ea, quæ in Viſione cernuntur, nihil ſignificant, aut ſi ea, quæ ſignificantur, non ſunt utilia, eſt certum ſignum, quod Viſio non ſit à Deo, ſed à phantaſia vel à dœmone. *S. Auguſtinus de Gen. ad Litt. C.* 12. ait: *Cum ſpiritalis viſio penitus alienato à ſenſibus corporis animo imaginibus corporalium detinetur, ſive in ſomnis, ſive in Ectaſi, ſi nihil ſignificant, quæ videntur, ipſius animæ ſunt imaginationes.* Et C. 13. *Illud dubium eſſe non debet, corporales imagines, quæ ſpiritu cernuntur, non ſemper ſigna eſſe aliarum rerum, ſive in vigilantibus, ſive in dormientibus, ſive in ægrotantibus. - Cum autem Spiritus bonus in hæc viſa ſpiritum humanum aſſumit, aut rapit, nullo modo imagines illas ſigna rerum aliarum eſſe dubitandum eſt, & earum, quas noſſe utile eſt; Dei enim munus eſt.* Et C. 21. *Itaque bono quidem ſpiritu aſſumi ſpiritum ad has videndas imagines, niſi aliquid ſignificent, non puto. Cùm verò in corpore cauſa eſt, ut in eas expreſſius intuendas humanus intendatur ſpiritus, non ſemper aliquid ſignificare credendum eſt. Sed tunc ſignificant, cum inſpirantur à demonſtrante ſpiritu ſive dormienti, ſive aliquid aliud ex corpore, ut à ſenſibus alienaretur, patienti.*

Regula 10. Non eſt tanta fiducia ac certitudine inſiſtendum Revelationibus etiam alioquin bonis, quanta Scripturis. *S. Auguſtinus de Catechiſ. Rudibus c.* 6. ait: *Si forte quis ſe divinitus admonitum eſſe dixerit, ut fieret*

Digitized by Google

Chriſtianus, lætiſſimum nobis exordiendi aditum præbet, quanta Deo cura pro nobis. Sane ab hujusmodi miraculorum ſive ſomniorum ad Scripturarum ſolidiorem viam & oracula certiora transferenda eſt ejus intentio; & demonſtrandum eſt ei, quod Dominus eum non admoneret incorporari Eccleſiæ, & talibus revelationibus erudiret, niſi jam præparatum iter in Scripturis ſanctis eum ſecurius & tutius capere voluiſſet.

Regula 11. Viſiones ac Revelationes etiam divinæ fieri poſſunt apud Gentiles & Hæreticos. v. Reg. 12.

Regula 12. Itaque Eccleſia non eſt probanda per quasvis veras Revelationes, ſed econversò revelationes per Eccleſiam ſunt probandæ. De utraque Regula *S. Auguſtinus de Unitate Eccleſiæ c.* 19. loquens ait: *Petilianus Donatiſta oſtendat Eccleſiam apud ſuos Donatiſtas eſſe, non ideo, quia illa & illa mirabilia fecit Donatus, aut quia ille frater vel illa Soror tale viſum vigilans vidit, vel tale viſum dormiens ſomniavit. Removeantur iſta vel figmenta mendacium hominum, vel portenta fallacium ſpirituum; aut enim non ſunt vera, quæ dicuntur, aut ſi hæreticorum aliqua mira facta ſunt, magis cavere debemus, quod cum Dominus dixiſſet, quosdam futuros eſſe fallaces, qui nonnulla ſigna faciendo etiam electos, ſi fieri poſſet, fallerent, adjecit vehementer commendans & ait: Ecce prædixi vobis. Unde & Apoſtolus admonens, Spiritus, inquit, manifeſtè dicit: Quia in noviſſimis temporibus recedent quidam à fide, intendentes ſpiritibus ſeductoribus, & doctrinis dœmoniorum. Porro ſi aliquis hæreticorum in hæreticorum memoriis orans exauditur, non pro merito loci, ſed pro merito deſiderii ſui recipit ſive malum ſive bonum. Multi enim Deo irato exaudiuntur. Nonne legimus ab ipſo Deo nonnullos exauditos in excelſis montium Judææ, quæ tamen excelſa diſplicebant Deo? unde intelligimus magis valere petentis affectum, quàm petitionis locum. De viſis autem fallacibus legant, quæ ſcripta ſunt,*

Digitized by Google

ſunt, & quia ipſe Satanas transfigurat ſe tanquam in angelum lucis. Audiant etiam, quæ narrant pagani de templis & Diis ſuis mirabiliter vel facta vel viſa; & tamen Dii gentium dœmonia. Exaudiuntur ergo & multi & multis modis, non ſolùm Chriſtiani Catholici, ſed & pagani, & Judæi, hæretici variis erroribus & ſuperſtitionibus dediti. Exaudiuntur autem vel à ſpiritibus ſeductoribus, vel ab ipſo Deo vel ad pœnam malitiæ, vel ad ſolatium miſeriæ, vel ad monitionem quærendæ ſalutis æternæ. Ad ipſam verò ſalutèm nemo pervenit, niſi qui habet caput Chriſtum: habere autem caput Chriſtum nemo poterit, niſi qui in ejus corpore fuerit, quod eſt Eccleſia, quam in Scripturis debemus agnoſcere, non in variis hominum rumoribus, & opinionibus, & factis & viſis inquirere. Nemo mihi hæc opponat; quia nec nos dicimus propterea nobis credi oportere, quod in Eccleſia Chriſti ſumus, quia in locis ſanctis tanta mirabilia vel exauditionum vel ſanitatum fiunt, ita ut latentia corpora Martyrum Ambroſio fuerint revelata; aut quia ille ſomnium vidit, & ille à ſpiritu aſſumptus audivit, ſive ne iniret in partem Donati, ſive ut recederet à parte Donati. Quæcunqúe talia in Catholica fiunt, ideo ſunt approbanda, quia in Catholica fiunt; non ideo ipſa manifeſtatur Catholica, quia hæc in ea fiunt. Ipſe Dominus, cum reſurrexiſſet, & Diſcipulorum oculis videndum, manibusque tangendum corpus ſuum offerret, ne quid tamen fallaciæ ſe pati arbitrarentur, magis eos teſtimoniis Legis & Prophetarum confirmandos eſſe judicavit, oſtendens ea de ſe impleta, quæ fuerant tanto ante prædicta. Similia S. Doctor videtur velle dicere Serm. 45. in illud Proverb. *Mulierem fortem quis inveniet?*

Regula 13. Dantur tria genera viſionum; nempe *corporales* per ſenſus externos; *ſpiritales* quæ fiunt in imaginatione ſeu phantaſia per ſpecies rerum corporearum, ac denique *intellectuales*, quæ fiunt ſine ſpe-

Digitized by Google

ciebus rerum corporearum. In primo & ſecundo genere poteſt intervenire deceptio dœmonis, aut illuſio propriæ phantaſiæ, etiam tunc, quando conjunctæ ſunt cum Ectaſi, ſeu abſtractione à ſenſibus. In tertio autem genere diſtinguendum eſt. Si enim per viſionem intellectualem videntur talia objecta intellectualia, qualia reperiuntur in ipſa anima, v. g. virtutes, amor, juſtitia, voluptas animi &c. &c. Et ſi iſta videntur eodem genere luminis, quo ordinariè ſolent cognoſci; non eſt certum, viſionem eſſe à Deo. Si verò talia objecta intellectualia ſint longè altioris ordinis, quàm illa naturalia; & ſi inſuper videantur in alio lumine, quod toto genere diverſum eſt à lumine naturali ordinario, tunc certum eſt, viſionem eſſe à ſolo Deo. Id verò, an & objecta quæ videntur, & lumen, in quo videntur, excedant toto genere qualitatem objectorum & luminum intellectualium naturalium, ſolùm poteſt ab experientia eorum notum eſſe, qui in propriis actibus intellectualibus attentiori exercitatione majorem guſtum ac ſenſum, aut donum diſcretionis habent. Hæc prolixa Regula, quæ eſt inter fundamentales in hac materia, & ab authoribus plerisque, præſertim à S. Thereſia, & S. Joanne à S. Cruce inter primarias ponitur, fusè explicatur à *S. Auguſtino de Geneſi ad Litt. L.* 12. toto à C. 1. & ſequentibus. C. 1. " Apoſto-
„lus dicit: Scio hominem raptum in tertium cœlum &c. In his
„verbis quæri ſolet, quid dicat tertium cœlum? utrum in rebus
„corporalibus, an forte in ſpiritualibus intelligendum ſit? Cum
„enim vel in ſomnis vel in Ectaſi corporum exprimuntur imagines,
„non diſcernuntur omnino à corporibus, niſi cum homo redditus
„ſenſibus corporis recognoſcit, ſe in illis fuiſſe imaginibus, quas
„non per ſenſum corporis hauriebat. Quis enim, cum à ſomno
„evigilaverit, non continuò ſentiat imaginaria fuiſſe, quæ videbat,
„quamvis cum ea videret, dormiens à vigilantium viſis corporali-
„bus diſcernere non valebat? Sed ſi (à D. Paulo) extra corpus
„viſa ſint & corpora non fuerunt, adhuc quæri poteſt, an imagi-
„nes

Digitized by Google

„ nes corporum fuerint; an ea ſubſtantia, quæ nullam corporis
„ ſimilitudinem gerit, ſicut Deus, ſicut ipſa mens hominis, vel in-
„ telligentia vel ratio, ſicut virtutes, prudentia, juſtitia, caſtitas,
„ charitas, pietas, & quæcunque aliæ ſunt, quas intelligendo atque
„ cogitando enumeramus, non utique intuentes lineamenta earum,
„ vel colores, aut quomodo ſonent, aut quid redoleant, aut quid
„ in ore ſapiant, aut quid contrectantibus de calore ſeu frigore,
„ mollitudine ſeu duritia, lenitate ſeu aſperitate renuntient, ſed alia
„ quadam viſione, alia luce, alia rerum evidentia, & ea longè cæ-
„ teris præſtantiore atque certiore. Et C. 6. " In hoc uno
„ præcepto; Diliges proximum tuum ſicut teipſum, tria genera
„ viſionum occurrunt. Unum per oculos, quibus ipſæ Litteræ
„ videntur. Alterum per ſpiritum hominis, quo proximus & ab-
„ ſens cogitatur. Tertium per contuitum mentis, quo ipſa dile-
„ ctio intellecta conſpicitur. In his tribus generibus primum ma-
„ nifeſtum eſt omnibus; in hoc enim videtur cœlum & terra, &
„ omnia, quæ in eis conſpicua ſunt oculis noſtris. Nec illud
„ alterum, quo abſentia corpora cogitantur, inſinuare difficile eſt:
„ ipſum quippe cœlum & terram & quæ in eis ſunt, videre poſſu-
„ mus etiam in tenebris conſtituti; ubi nihil videntes oculis cor-
„ poris, animo tamen corporales imagines contuemur ſeu veras,
„ ſeu fictas. Tertium verò illud, quo dilectio intellecta conſpi-
„ citur, eas res complectitur, quæ non habent imagines ſui ſimiles,
„ quæ non ſunt, quod ipſæ. Nam homo vel arbor & quæcunque
„ alia corpora videntur in ſuis formis, & abſentia cogitantur ima-
„ ginibus animo impreſſis, & faciunt duo genera viſorum, unum
„ per corporis ſenſus, alterum per ſpiritum, quo illæ imagines con-
„ tinentur. Dilectio autem nunquid aliter videtur præſens in ſpe-
„ cie qua eſt, & aliter abſens in aliqua ſui imagine ſui ſimilis? Non
„ utique; ſed ipſa videtur; ſi autem aliquid corporalis imaginis
„ cogitatur, non ipſa cernitur. Et C. 7. " Hæc ſunt tria genera
„ viſionum, de quibus nunc uberius diſſeramus. Primum appelle-
„ mus *Corporale*, quia per corpus percipitur & corporis ſenſibus
„ exhibe-

„exhibetur. Secundum *Spiritale*, quia non eſt corpus imago abſentis corporis. Tertium verò *Intellectuale*. Et C. 11. Tria ergo genera viſionum, corporale, ſpiritale, & intellectuale ſingillatim conſideranda ſunt. Corporalis viſio nulli horum præſidet, ſed quod per eam ſentitur, illi ſpirituali tanquam præſidenti nuntiatur; nam cum aliquid oculis cernitur, continuò fit ejus imago in ſpiritu; & ſi ſpiritus irrationalis eſt, veluti pecoris, hucusque oculi nuntiant. Si autem anima rationalis eſt, etiam intellectui nuntiatur, ut ſi illud, quod oculi hauſerunt, alicujus rei ſignum eſt, continuò intelligatur, quid ſignificet. Vidit Rex Balthaſar articulos manus ſcribentis in pariete, continuòque per corporis ſenſum imago rei ſpiritui impreſſa eſt, atque in cogitatione permanſit. Videbatur in ſpiritu & nondum intelligebatur. Acceſſit Daniel, & quid illo ſigno portenderetur, aperuit. C. 12. His conſideratis apparet, corporalem viſionem referri ad ſpiritalem, & ſpiritalem referri ad intellectualem. Sed cum vigilantes, neque mente à ſenſibus alienati in viſione corporali ſumus, diſcernimus ab ea viſionem ſpiritalem, qua corpora abſentia cogitamus, ut non dubitemus, hæc eſſe corpora, illas verò imagines corporum. Cum autem vel nimia cogitationis intenſione, vel aliqua vi morbi, ut in phreneticis, & per febrem accidere ſolet, vel commixtione alicujus Spiritus boni vel mali, ita corporalium rerum in ſpiritu exprimuntur imagines, tanquam ipſis corporis ſenſibus corpora præſententur, manente tamen etiam in ſenſibus corporis intenſione. Quando autem penitus avertitur atque abripitur animi intenſio à ſenſibus corporis, tunc magis Ectaſis dici ſolet. Tunc omnino, quæcunque ſunt præſentia corpora, etiam patentibus oculis non videntur, nec ullæ prorſus voces audiuntur. Totus animi contuitus aut in corporum imaginibus eſt per ſpiritalem, aut in rebus incorporeis nulla corporis imagine figuratis per intellectualem viſionem. Sed cum ſpiritalis viſio penitus alienato à ſenſibus corporis animo imaginibus corporalium detinetur ſive in ſomnis, ſive in Ectaſi, ſi nihil ſignifi-

„cant,

„cant, quæ videntur, ipſius animæ ſunt imaginationes. Si au-
„tem aliquid ſignificant, ab aliquo ſpiritu demonſtrantur. Non-
„nulli volunt, animam habere vim divinationis in ſeipſa. - An
„aliquando in ſeipſa videt iſta; aliquando per alterius ſpiritus
„commixtionem? Quidquid horum eſt, temerè affirmare non o-
„portet. Illud tamen dubium eſſe non debet, corporales ima-
„gines, quæ ſpiritu cernuntur, non ſemper ſigna eſſe aliarum re-
„rum. Mirum eſt autem, ſi aliquando Ectaſis fieri poteſt, ut
„non illæ corporalium rerum ſimilitudines aliquid ſignificent. E-
„tiam dœmonium habentes aliquando vera dicunt, quæ abſunt
„à præſentium ſenſibus. Cum autem ſpiritus bonus in hæc viſa
„humanum ſpiritum aſſumit aut rapit, nullo modo illas imagines
„ſigna rerum aliarum (præteritarum, præſentium aut futurarum)
„eſſe, dubitandum eſt, & earum quas noſſe utile eſt; Dei enim
„munus eſt. - (V. Reg. 8.) Tamen per corporalem viſionem,
„& per imagines corporalium, quæ demonſtrantur in ſpiritu, *&*
„boni (angeli) inſtruunt & mali fallunt. Intellectualis autem vi-
„ſio non fallitur. Aut enim non intelligit, qui aliud opinatur,
„quàm eſt; aut ſi intelligit (per ſimplicem intuitum, ſeu nudam
„apprehenſionem ſine compoſitione judicii) continuò verum eſt.
„Quid enim faciant oculi, non habent, cum ſimile corpus vi-
„derint, quod ab alio diſcernere non poſſunt. Aut quid faciat
„animi intenſio, cum in ſpiritu facta fuerit corporis ſimilitudo,
„quam non valeat diſtinguere à corpore? Sed adhibetur intelle-
„ctus, quærens quid illa ſignificent, vel utile doceant. Et
„aut inveniens ad fructum ſuum pervenit; aut non inveniens,
„in diſceptatione ſe tenet, ne aliqua pernitioſa temeritate prola-
„batur in exitiabilem errorem. Judicat autem ſobrius intelle-
„ctus divinitus adjutus, quæ vel in quibus aliud putare quàm
„eſt, non ſit animæ pernitioſum. Nec enim obeſt hominibus,
„quod cum dormiunt, vera corpora arbitrantur, quorum ſimili-
„tudines vident. Nec obfuit Petro, cùm in Ectaſi reſpondit:
„Nequaquam Domine, quia nunquam manducavi immundum;

Digitized by Google

„putans ea ipſa, quæ in diſco demonſtrabantur, eſſe vera ani-
„malia. Quapropter & cum viſis corporalibus diabolus fallit,
„nihil obeſt, ſi non erratur in veritate fidei, & intelligentiæ ſa-
„nitate. Aut ſi ludificet animam ſpiritali viſione imaginibus cor-
„porum, ut putet corpus eſſe quod non eſt, non obeſt animæ,
„ſi pernitioſæ ſuaſioni non conſentiat. C. 25. Illuditur autem
„anima ſimilitudinibus rerum, non earum vitiô, ſed opinionis
„ſuæ, cum approbat, quæ ſimilia ſunt, pro iis, quibus ſimilia
„ſunt, ab intelligentia deficiens. Fallitur ergo in viſione corpo-
„rali, cum in ipſis corporibus fieri putat, quod fit in ſenſibus.
„In viſione autem ſpirituali, id eſt, in corporum ſimilitudinibus,
„quæ ſpiritu videntur, fallitur anima, cum ea, quæ ſic videt,
„ipſa corpora eſſe arbitratur, vel quod ſibi finxerit, hoc etiam in
„corporibus putat. At vero in illis Intellectualibus viſis non
„fallitur; aut enim intelligit, & verum eſt; aut ſi verum non
„eſt, non intelligit. C. 29. Poteſt fieri, ut etiam in ſpiritali-
„bus vel intellectualibus multos quoſdam gradus quiſquam eſſe
„contendat. Sed quot in unoquoque genere ſint differentiæ,
„ignorare me fateor. C. 30. Sicut autem in iſta luce corporea
„clarent & ſydera, quæ corpora ſunt longè meliora terreſtribus;
„ſic in illo genere ſpiritali, in quo videntur corporum ſimilitu-
„dines luce quadam incorporali ac ſua, ſunt quædam excellen-
„tia ac merito divina, quæ demonſtrant angeli miris modis. C.
„31. Sic etiam in illo genere intellectualium viſorum alia ſunt,
„quæ in ipſa anima videntur, velut virtutes, fides, ſpes &c.
„quæ & ipſæ intellectualiter videntur; neque enim corpora ſunt,
„aut ſpecies habent ſimiles corporum. Aliud autem eſt ipſum
„lumen, quo illuſtratur anima, ut omnia in ſe, vel in illo vera-
„citer intellecta conſpiciat. Nam illud ipſe Deus eſt, hoc autem
„creatura. Quamvis intellectualis, ad ejus imaginem facta, cum
„conatur lumen illud intueri, palpitat & minus valet. Cum er-
„go illuc rapitur, & à carnalibus ſubtracta ſenſibus illi viſioni
„expreſſius præſentatur, etiam ſupra ſe videt illud, quo adjuta
videt,

Digitized by Google

„ videt, quidquid etiam ſe intelligendo videt. „ Hucusque verba S. Auguſtini, in quibus notandum eſt, quod, dum objecta intellectualia aſſerit ſemper eſſe vera, id præcisè in eo ſenſu intelligat, quod non ſint ſimulacrum alterius rei extrinſecæ, reipſa non exiſtentis; prout fit in viſione imaginaria, in qua objectum viſum v. g. civitas, aut domus in imaginatione conficta non eſt vera urbs, aut domus; in viſione enim intellectuali, in qua videntur ea, quæ ſunt in ipſa anima, v. g. fides, ſpes, charitas, gaudium, triſtitia, ſunt vera fides, vera charitas, verum gaudium. Per hoc tamen non obſtat, quin in viſione intellectuali componente vel dividente poſſit eſſe falſitas, v. g. dum dico, *omnis actus, qui non eſt charitas, eſt peccatum.*

Regula 14. Etiam Ectaſes poſſunt habere cauſas naturales. Id patet ab exemplo cujusdam Presbiteri, quod *S. Auguſtinus* affert *L.* 14. *de Civ. C.* 24. his verbis: „ Hominum quorundam naturas novimus multùm cæteris diſpares, & „ ipſa raritate mirabiles, nonnulla ut volant de corpore ſuo facientium, quæ alii nullo modo poſſunt, & audita vix credunt. „ Sunt enim qui & aures moveant vel ſingulas vel ambas ſimul. „ Sunt, qui totam cæſariem capite immoto, quantum capilli occupant, deponunt ad frontem, revocantque cum volunt. Sunt, „ qui eorum, quæ voraverunt incredibiliter plurima & varia, „ paululum præcordiis contrectatis tanquam de ſacculo quod placuerit integerrimum proferunt. Quidam voces avium, pecorumque & aliorum quorumlibet hominum ſic imitantur atque „ exprimunt, ut nisi videantur, diſcerni omnino non poſſint. „ Nonnulli ab imo ſine pudore ullo ita numeroſos pro arbitrio „ ſonitus edunt, ut ex illa etiam parte cantare videantur. Ipſe „ ſum expertus, ſudare hominem ſolere, cum vellet. Notum „ eſt, quosdam flere cum volunt, atque ubertim lachrimas fundere. Jam illud multo eſt incredibilius, quod plerique fratres „ memoriâ recentiſſimâ experti ſunt. Presbiter fuit quidam no-

„mine Reſtitutus in Parœcia Calamenſis Eccleſiæ, qui quando ei „placebat, ad imitatas quaſi lamentantis cujuslibet hominis vo- „ces ita ſe auferebat à ſenſibus, & jacebat ſimillimus mortuo, ut „non ſolùm vellicantes atque pungentes minimè ſentiret, ſed ali- „quando etiam igne adureretur admoto ſine ullo doloris ſenſu, „nisi poſtmodum ex vulnere. Tanquam in defuncto nullus inve- „niebatur anhelitus, hominum tamen voces, ſi clarius loque- „rentur, tanquam de longinquo ſe audire poſtmodum refere- „bat.„

Regula 15. Viſiones etiam cum eventu non ſunt ſemper ſupernaturales. Probatur ex eventu quem refert *S. Auguſtinus L.* 12. *de Gen. ad Litt. C.* 21. his verbis: „Quidam juvenes jocando ut fallerent ubi peregrini iter agebant, „mathematicos ſe eſſe finxerunt. Qui cum Hoſpitem ſuum mira- „ri cernerent, quæ dicebant, audacius in plura progreſſi ſunt. „At ille ab eis poſtremo de filii ſalute quæſivit, quem diu ab- „ſentem deſiderabat, & quod inopinatè tardaret, ne quid ei ac- „cidiſſet, ſollicitus erat. At illi non curantes, quid poſt eorum „abſceſſum veri cognoſceretur, dummodo in præſentia lætum ho- „minem redderent, mox profecturi reſponderunt, ſalvum ac pro- „pinquantem, & eo ipſo die, quo hæc loquebantur, eſſe ven- „turum. Quid multa? dum jam abire diſponerent, ecce ſubi- „to eis adhuc illic poſitis venit. Item alius ante Symphoniacum „ſaltabat, ubi erant multa Idola per quandam Paganorum ſo- „lennitatem, non aliquo ſpiritu arreptus, ſed imitatione ludicra „arreptitios æmulatus ſcientibus circumſtantibus & ſpectantibus. „Ille ergo inter ſaltandum facto ſibi ſilentio jocabundus & riden- „te multitudine circumſeptus ea nocte, quæ impendebat, in ea „ſylva, quæ juxta erat, hominem à Leone interemptum iri, ad „cujus cadaver ſpectandum illuceſcente die confluxuram turbam „prædixit. Et factum eſt, ipſo etiam tanto amplius admirante, „quod accidit, quanto magis noſſet, quo id animo atque ore

„pro-

Digitized by Google

„protulerit. Quonam modo hæc viſa in ſpiritum hominis veni„ant; utrum ibi primitus formentur, an formata ingerantur, ut „ſic hominibus angeli oſtendant cogitationes ſuas, quemadmo„dum & ipſi cogitationes noſtras vident, noſſe non poſſu„mus.„

Regula 16. Viſiones etiam de cogitationibus occultis hominum non ſunt neceſſariò à Deo. *S. Auguſtinus* docet, quod cogitationes noſtræ videantur etiam ab angelis, ut conſtat ex verbis ultimis Regula proximè antecedente adductis, & ſciantur etiam à dœmonibus, quamvis ſolùm forte per ſigna. *L.* 2. *Retract. C.* 29. ſic ait: „Accidit, quod aliquem „libellum de divinatione dœmonum ſcriberem; in ejus quodam „loco, ubi dixi, dœmones aliquando & hominum diſpoſitiones „non ſolùm voce prolatas, verum etiam cogitatione conceptas, „cum ſigna quædam ex animo exprimuntur in corpore, tota fa„cilitate perdiſcere; rem dixi occultiſſimam audaciore aſſeveratio„ne, quàm debui. Nam pervenire iſta ad notitiam dœmonum „per nonnulla etiam experimenta compertum eſt. Sed utrum „ſigna quædam dentur ex corpore cogitantium, illis ſenſibilia, „nos autem latentia, an alia vi & ea ſpirituali iſta cognoſcant, „aut difficile poteſt ab hominibus, aut omnino non poteſt inve„niri. Idem *L.* 1. *Cont. Acad. C.* 6. ſic habet: „Licentius ſubje„cit: Cur quæſo non ſapientem vocamus flagitioſiſſimum illum „hominem, quem ipſi bene novimus per innumera ſcorta ſolere „diſſolvi; Albicerium dico illum, qui apud Carthaginem multos „annos conſulentibus mira quædam & certa reſpondit. Innu„merabilia commemorare poſſem, niſi & apud eos loquerer, qui „experti ſunt. Nonne Cochlearium, cum domi non invenire„tur, tuo juſſu percunctatus non ſolùm quid quæreretur, ve„rùm etiam nominatim cujus res eſſet & ubi lateret, citiſſimè ve„riſſimèque reſpondit? Item me præſente cum puer, qui nummos „ferebat, certam eorum partem furatus eſſet, coegit illum omnes

Digitized by Google

„ante oculos noſtros reddere, priusquam quantum ſibi allatum „eſſet, à nobis audiiſſet. Quid quod doctiſſimum & Clariſſi„mum virum Flaccianum mirari abs te accepimus? Qui cum de „fundo emendo eſſet locutus, ad illum divinum rem ita detulit, „ut quid egiſſet, ſi potis eſſet, ediceret; atque ille ſtatim non „modò negotii genus, ſed etiam ipſum fundi nomen pronuntia„vit, cum ita eſſet abſurdum, ut vix ejus Flaccianus ipſe memi„niſſet. Jam illud ſine ſtupore animi non queo dicere, quod „amico noſtro diſcipulo tuo ſeſe volenti exagitare, flagitantique „inſolenter, ut diceret, quid ſecum ipſe tacitus volveret, Virgi„lii verſum eum cogitare reſpondit. Cum ille obſtupefactus ne„gare non poſſet, perrexit quærere, quisnam verſus eſſet? Nec „Albicerius, qui Grammatici Scholam vix tranſiens vidiſſet ali„quando, verſum illum ſecurus & garrulus canere dubitavit. „Et C. 7. Scimus autem illum, quem commemoraſti, multa ſæ„pe falſa dixiſſe, quod non ſolùm aliis mihi id referentibus com„peri, ſed præſens aliquando ipſe percepi.„

Regula 17. Viſiones veræ debent eſſe ſimiles iis, quas conſtat eſſe veras ex ſcriptura; adeoque non debent fieri mente emota, & diſtortis geſtibus, ſed mente, ac compoſitione còrporis, & elocutione ſana. Ita *Epiphanius L. 2. Cont. Hær. Hæreſi.* 48. ubi ait: „Quando opus erat Prophetis, in ſpiritu vero, & mente ſana, „& intelligentiam habente vaticinati ſunt ad utilitatem, & pro „fidei portione? Quid igitur utile hi dixerunt? aut quid cor„reſpondens fidei? Comparantes enim ea, quæ ab ipſis (Mon„taniſtis) dicta ſunt, & quæ in Veteri ac Novo Teſtamento in „veritate ſunt prædicta, probabimus, qualis prophetia falſa ſit. „Propheta cum conſtanti ratione ac intelligentia loquebatur, & „dicebat ex ſpiritu ſancto omnia ſana mente & corpore. Cum „videret, dicebatur Propheta in Veteri Teſtamento. *Et viſio*, „inquit,

„inquit, *quam vidit Eſaias - vidi, inquit, dominum - & cum „audiſſem à domino, digreſſus ad populum dixi.* - Nonne vides, „quod intelligentis eſt hic ſermo, & non mente moti? ſimiliter „& Ezechiel audiens à Domino, *fac tibi panes de ſtercore huma-„no*, dixit, *nequaquam Domine.* Non velut mente motus fere-„batur, ſed ſanam & intelligentem habens mentem dicebat, *ne-„quaquam* - Cæterùm quæ hi profitentur ſe vaticinari, ea ne-„que ſtabili mente facere videntur, neque intelligentiam ſermo-„nis habentes. Obliqua enim apud ipſos ſunt verba, & intorta, „& nullam rectitudinem habentia. Montanus enim ex abrupto „dicit: *Ecce homo velut lyra, & ego volo velut plectrum; ho-„mo dormit, & ego vigilo?* quis hæc non condemnabit, cum „non poſſit ſimilia de Prophetis dicere?

Regula 18. Viſiones de rebus abſentibus aut futuris contingentibus facile conjunctam habent operam dœmonis in iis, qui aſſumunt munus divinandi. Patet ab exemplis *Regula.* 15. allegatis, & ex illo *S. Auguſtini de doct. Chriſt. L.* 2. *C.* 23. „Hinc fit, ut occulto quo-„dam judicio divino cupidi malarum rerum homines tradantur il-„ludendi & decipiendi pro meritis voluntatum ſuarum illudenti-„bus eos, & decipientibus prævaricatoribus angelis. Quibus „illuſionibus & deceptionibus evenit, ut iſtis ſuperſtitioſis divi-„nationum generibus multa præterita & futura dicantur, nec „aliter accidant, quàm dicunt; multaque obſervantibus ſecundum „obſervationes ſuas eveniant, quibus implicati curioſiores fiant, „& ſeſe magis inſerant laqueis erroris - In omnibus ergo iſtis ſo-„cietas dœmonum formidanda eſt.„ Et *de Gen. ad Liv. L.* 2. *C.* 17. „Quando a Genethliacis vera dicuntur, cum ad de-„cipiendos homines fit, ſpirituum ſeductorum operatio eſt - qui „aliquando, quæ ipſi facturi ſunt, velut divinando prædicunt.„

Regula

Digitized by Google

Regula 19. In viſionibus falſis diabolus immiſcet multa vera ac præclara ut fallat. *Cyrillus Alex. L.* 6. *de Adoratione in ſpiritu* loquens ait: „Didicimus à Chriſto, „impurorum ſpirituum verba non admittere, ne ſi velint quidem „inacceſſam ſibi & inſuetam afferre veritatem? An non advertis „Evangeliſtas, qui ſcripſerunt, dœmonia ad Chriſtum acceſſiſſe, „clara & maxima voce clamantia: *Quid nobis & tibi, JEſu Nazarene? ſcio, quod ſis ſanctus Dei. Ille autem non ſinebat ea* „*loqui.* Qua de cauſa illos, cum verum proclamarent, increpavit Chriſtus? Nimirum res geſta nobis utilis futura erat. Hac „enim re docemur, illorum verbis, etiamſi ipſam prædicare velint veritatem, & ea dicere, quæ ſunt evidenter vera, non debere niti? nam interdum veris inſerentes falſa nocent audientibus; non diſſimili ratione, ac nonnullos facere videmus, qui „mellis admixtione ſenſum amariorum rerum auferunt, & dulcium „infuſione volunt eorum quæ moleſta ſunt, latenter guſtum eripere.„

Regula 20. Viſiones falſæ reddunt viam ad cœlum latam; veræ autem eam reddunt arctam. Id obſervat *S. Hyeronimus in C.* 23. *Jeremiæ* ad illud: *Audivi, quæ prophetæ dixerunt, prophetantes in nomine meo mendacium.* „Sunt hodie quoque, inquit, ſomniatores in Eccleſia, & maximè in noſtro grege, qui errores ſuos jactant Domini prophetiam, & crebrò ingerunt, ſomniavi, ſomniavi. Quos corripit „Dominus dicens: Uſquequo iſtud eſt in corde prophetarum vaticinantium mendacium, & prophetantium ſeductiones cordis „ſui? Hoc autem faciunt, ut quo modo antiquus ille populus, „qui egreſſus eſt de Ægypto, oblitus eſt nominis Dei, ſic & „poſteri eorum obliviſcantur mei. *Propheta, qui habet ſomnium,* „*narret ſomnium.* Eorum eſt exponere ſomnium, qui Dei merentur habere ſermonem. Quid ſibi volunt hæreticorum paleæ „ad triticum Eccleſiæ? ſolent hæretici ſemper proſpera polliceri, „&

Digitized by Google

„& cœlorum regna peccatoribus pandere, ut dicant, parata ſunt „tibi regna cœlorum; potes imitari majeſtatem Dei ut absque „peccato ſis. Decipiuntque blanditiis miſeros, & maximè mu'i-„erculas oneratas peccatis. Idcirco Dominus verba ſua hæretico-„rum paleis comparans dicit: *Nunquid non verba mea ſunt quaſi* „*ignis, & quaſi malleus conterens petram?* meus enim ſermo „nuntiat futura ſupplicia, ut homines deterreat à peccando. „Tale quid & Dominus per Ezechielem loquitur, quod Pſeu-„dopropheta blanditiis ſuis liniant parietem absque temperamen-„to, qui poſtea imbre vehementi & veritate judicii ſubruatur; & „Pſeudoprophetæ corruant cervicalia ſub omni cubito manus, ut „faciant peccatores requieſcere, & nequaquam iram Dei lachri-„mis mitigare.„

Regula 21. Abſtruſæ quæſtiones non viſionibus requirendæ, ſed futuro ſæculo reſervandæ. *Gregorius Nazianz. Orat.* 14. „An non cognoſcamus prius, quænam „quæſtiones à nobis percipi, & quatenus poſſint? quænam verò „facultatem noſtram ſuperent? quænam hujus temporis ſint, „quænam autem futuri ſæculi, & cœleſtis libertatis, ut aliis „modo contenti ſimus, aliis purgemur ac præparemur, velut „poſtea initiandi, & deſiderii compotes futuri? an non apud „nosmetipſos diſtinquamus, quænam ne quærenda omnino ſint, „quænam mediocriter, quænam contentioſis hominibus conce-„denda & relinquenda? - Hoc poſito ſuperfluos & inutiles quæ-„ſtionum hujusce temporis ſtolones ac deflexus tanquam commu-„nem quendam morbum exſcindemus, ac de medio tollemus. „An verò non mihi ſufficit Montani impurus ſpiritus adverſus „ſpiritum ſanctum?„

Regula 22. Viſiones falſæ non propterea permittendæ pro lectione promiſcua populi quia multa utilia continent. Ita in ſimili circa fabulas Græcorum diſcur-

Digitized by Google

rit *Euſebius Præpar. Evang. L.* 2. dicens: „Neque me neſcire „quiſquam exiſtimet, nonnullas Græcorum fabulas aliquid ho„minibus utilitatis afferre; verùm arbitror exigua illa eſſe bona, quæ „Græcis fabulis continentur, quæque non ad plures, ſed tan„tùm ad paucos pertinere poſſunt qui, quem in ſcopum ipſæ „collineent, diligenter accuratéque perſpexerint. Enimverò, „cum pauci admodum illi ſint, quibus hanc ad Philoſophiam „aditus pateat, rudis & imperita multitudo vulgares iſtos de Diis „ſermones deteriorem in partem interpretari ſolet, atque in al„terum è duobus incidit, ut aut Deos aſpernetur, aut nullum „flagitii genus ſibi cavendum putet.„

Regula 23. Viſiones, quæ ſerviunt tantùm ad paſcendam curioſitatem, non verò ad emendandam vitam, non ſunt adſcribendæ Deo. Ita *Origenes* diſtinquit vera miracula Chriſti à præſtigiis dœmonum. *L.* 1. *Cont. Celſum* ſic habet: „Celſus fingit, ſe concedere vera eſſe, quæ„cunque de ſanationibus, reſurrectione, ac aliis prodigiis Chriſti „ſunt prodita; commune tamen hoc ei facit cum præſtigiatoribus „non minora miracula pollicentibus. - Et eſſent ſanè communia „ac ſimilia, ſi oſtendiſſet, nihil in eis fuiſſe præter ſpeciem. „Nunc verò nullus præſtigiator per ea quæ facit ad morum cor„rectionem ſpectatores invitat, neque timore Dei perculſos eru„diunt id genus ſpectacula. Nihil horum faciunt præſtigiatores, „quia non poſſunt, ac ne quidem volunt negotium habere cum „corrigendis hominibus.„ Idem *L.* 2. *Cont. Celſum* ſic pergit: „Si quis fateretur, prodigioſa miracula fieri, negans ulla patrari „divinitus, perinde facere videretur, ac ſi faſſus ſophiſmata „quædam eſſe, rationesque probabiles, negaret, extare apud „homines alias veras dialecticas longè diverſas à ſophiſmatibus. „Quodſi ſemel admittimus, exiſtere artem magicam, conſequens „eſt, ut etiam divinæ virtutis operationes inveniantur in homini„bus. Quin ergo certis indiciis examinemus promiſſores talium

„mira-

Digitized by Google

„miraculorum, videlicet deſumptis ex eorum vita moribusque, „tum ex miraculorum ipſorum affectibus, diſpiciendo, afferantne damnum hominibus, an correctionem moribus, ut ſciamus, „quænam vel ab incantatore fiant miniſterio dœmonum, vel ab „anima pura ſanctaque & afflata divino ſpiritu, cujus etiam corpus ex ejusdem ſpiritûs commercio ad utilitatem inſtitutionemque hominum ſit efficax, & ad confirmandam veram fidem in „Deum. Quod ſi non ſunt probanda miracula priusquam diſcernantur, à quo rectè patrentur aut ſecus, ne vel omnia „damnemus, vel omnia miremur tanquam divina, an non perſpicuum eſt, JESU miracula divina virtute facta eſſe?„

Regula 24. Quando in Viſionibus reperiuntur aliqua, quæ videntur eſſe indigna majeſtate Dei, non eo ipſo ſtatim rejicienda, ſed num utilia moribus, examinenda. Ita diſcurrit *Origenes L. 4. Cont. Celſum.* „Quoniam Celſus non intelligens taxat Scripturæ verba humanos „affectus Deo tribuentis, ut videtur, quoties facit iracundè minaciterque invehentem in impios, dicendum eſt, quod ſicut „nos cum pueris parvulis agentes accommodamus verba ad eorum ſenſum, quantum poſſumus, & pueros pueriliter educamus, „erudimusque, ut putamus eis conveniens; ita videtur divina „ſapientia contexuiſſe Scripturas ad auditorum modulum, id ſibi „decorum exiſtimans, quod illis ſit utile. De quo more Dei „alloquentis homines hæc leguntur in Deuteronomio. Accommodavit ſe tuis moribus Dominus Deus tuus, haud ſecus quàm „Pater accomodat ſe ſuo filio. Deut. 13. Nimirum more hominum Scriptura loquitur ad utilitatem hominum; non enim erat „in rem plebejæ multitudinis, ſi Dei perſona induceretur loquens „pro majeſtate ſua.„ Ita Origenes. Similia habet *S. Chryſoſtomus in Joannem Hom. 63.* ad illud: *Sicut Pater ſuſcitat mortuos, ita & Filius.* „Ne Judæi, inquit, ſuſpicarentur Deo

„ contrarium eſſe, etiam quæ ſibi non conveniunt, de ſe non-
„ nunquam loquitur. - Et quid filium hoc feciſſe dico, dum Pa-
„ ter non indutus carne multa de ſe humilia dici paſſus ſit propter
„ auditorum ſalutem? Adæ enim inquit: *Ubi es?* & illud? *Ut*
„ *cognoſcam, ſi forte ſecundum clamorem eorum perficiat.* Et:
„ *Nunc cognovi, quia tu times Deum.* Et: *Si forte audiant &*
„ *intelligant. &c.* Et multa hujuſmodi in Veteri Teſtamento, ſi
„ quis notaret, divina majeſtate indigna inveniret. Et de Achab
„ dictum eſt: *Quis decipiet Achab?* Et quoties gentilibus Diis
„ per comparationem præponitur, ſemper indigna ſunt Deo verba.
„ Sed aliter digna efficiuntur, quoniam tam clemens eſt, ut prop-
„ ter noſtram ſalutem etiam digna de ſe verba contemnat, „

Regula 25. Revelationes veræ à falſis per effe-
ctum indubitatò ſupernaturalem diſcernendæ ſunt.
Ita *S. Auguſtinus Sermone inter Sirmondianos* 25. Et *Fauſtus E-
piſcopus apud Sirmondum l. cc.* In *Serm. de Inventione Corporis
S. Stephani*, cujus Exordium ſic habet: *Præſente lectione percepi-
mus viſionem omnibus Eccleſiis celebratam. Audivimus non
ſomnia ſenſuum errore deluſa, ſed oracula rerum effectibus
approbata. Merito revelationi credimus in ſer-
mone, qui fructum tenemus in mune-
re. &c.*

CAP.

CAP. III.

Regulæ Generales ex P. Gravina.

DOminicus Gravina, Illuſtris Scriptor Ordinis Prædicatorum, edidit anno 1638. Neapoli librum ſub titulo: *Lapis Lydius ad diſcernendas revelationes veras à falſis.* Ex hoc opere *Part. I.* ſequentes Regulæ generales deduci poſſunt.

Regula 1. Præter Revelationes, concernentes directè profeſſionem fidei publicam, dantur etiam Revelationes privatæ.

Ad intelligendam hanc Regulam prænotandum, per Revelationes privatas intelligi illas, quæ directè dantur pro directione hominis privati, aut communitatis particularis circa particularia hìc & nunc agenda vel ſcienda, quamvis cedant in bonum Religionis ſaltem mediatè atque indirectè.

Datas fuiſſe ejusmodi Revelationes particulares in Veteri Teſtamento, patet ex Numer. C. 27. ubi in dubio, an eſſet ineundum bellum, vel aliud grave negotium ſuſcipiendum, jubetur conſuli Dominus. *Pro hoc*, inquit Textus, *ſiquid agendum erit, Eleazar Sacerdos conſulet Dominum. Ad verbum ejus egredietur ipſe & omnes filii Iſrael cum eo, & cætera multitudo.* David conſuluit Sacerdotem Abiathar, an perſequi deberet Amalecitas 1. Reg. 30. Achimelech Sacerdos accuſatus apud Saulem, quod pro Davide conſuluiſſet Dominum, reſpondit, ejusmodi conſultationes eſſe conſuetas. *Num hodie*, inquit, *cœpi pro eo conſulere Dominum?* 1. Reg. 22. Joſue & alii duces leguntur fuiſſe à Gabaonitis decepti, quia *os Domini non interrogaverunt.* Eliezer ſervus Abrahæ, cum ad eligendam uxorem filio ejus mitte-

retur, expectavit revelationem à Deo dicens: *Puella, cui dixero, inclina Hydriam tuam, & illa dixerit, bibe &c. ipſa eſt, quam præparaſti ſervo tuo Iſaac, & per hoc intelligam, quod feceris miſericordiam cum Domino meo.* Gedeon omine ſomnii uſus eſt ad pugnandum. Jud. 7. Saul I. Reg. C. 14. ſimilem revelationem exſpectat, dicens: *Si in me aut in filio meo eſt iniquitas, da oſtenſionem.* Itaque dabantur in Veteri Teſtamento revelationes privatæ, utpote ordinatæ pro directione aut notitia particulari certorum hominum, quamvis bonum illud privatorum fuerit ulterius ordinatum pro bono Religionis, & pro ſalute ſpirituali totius fidelis populi.

In novo Teſtamento perſeveraſſe donum ejuſmodi revelationum particularium, probatur ex Actis Apoſt. C. 2. ubi Petrus Apoſtolus adducit vaticinium Joelis Prophetæ tanquam pertinens ad Legem Gratiæ: *Prophetabunt filii veſtri, & filiæ veſtræ, & juvenes veſtri viſiones videbunt, & ſenes veſtri ſomnia ſomniabunt.* Act. 16. legitur D. Paulus ab angelo admonitus ad prædicandum in Macedonia. Act. 23. admonetur viſione de inſtantibus tribulationibus. Act. 27. inſtruitur per revelationem & ſua & navigantium liberatione. Idem in tertium cœlum rapitur, nec eam revelationem manifeſtat, niſi poſt quatuordecim annos. Itaque dantur etiam in Novo Teſtamento revelationes privatæ, quamvis mediatè fuerint ordinatæ ad bonum univerſalis Eccleſiæ.

Regula 2. Revelationes privatæ perſeverarunt primis Eccleſiæ ſæculis. Exempla talium revelationum authentica præbent

1. *Irenæus* L. 2. C. 57. ubi teſtatur, viguiſſe ſuo tempore in Eccleſia, qui habent præſcientiam futurorum, & viſiones, & dictiones propheticas.

2. *Juſtinus* in Apolog. ait: Apud nos etiam hucuſque prophetica extant dona, unde & vos (o Gentiles) debetis intellige-

re,

re, quæ olim in genere veſtro fuere (Sybillarum dona) in nos fuiſſe translata.

3. *Origenes* L. 1. Cont. Celſum, teſtatur, multos gentilium viſionibus inſtructos dediſſe nomen Chriſto, ſpiritu quodam repente mutante intellectum eorum, ut pro verbo exoſo ad id temporis non cunctarentur mortem oppetere poſt viſiones oblatas illis vel dormientibus vel vigilantibus. Multa enim talia vidimus. Teſtis eſt Deus noſtræ conſcientiæ, conari me non falſis narrationibus, ſed variis exemplis commendare doctrinam JEſu.

4. *Epiſtola Luciani & Montani* Martyrum teſtatur, captivos Chriſtianos ad Martyrium fuiſſe animatos viſione omnibus communi, in qua videbant illis è numero incarceratorum præferri faces, qui ad Martyrium ducendi erant. In eadem Epiſtola recitatur viſio Perpetuæ de ſtatu ſui fraterculi in Purgatorio adhuc exiſtentis, & de Martyrio Satyri, Sociorumque ejus. De Orthodoxia horum martyrum diſſertationem doctiſſimam edidit P. Auguſtinus Orſi.

5. *Gregorius Nyſſenus* de Gregorio Thavmaturgo teſtatur, eum per viſionem de doctrina fidei chriſtianæ inſtructum fuiſſe. Idem de ſeipſo narrat Juſtinus in Dialogo cum Tryphone.

6. *S. Cyprianus* L. 4. Ep. 5. narrat, ſe viſione nocturna admonitum fuiſſe ad ordinandum Celerinum.

7. *S. Antonius* teſte Cryſoſtomo Hom. 8. in Math. prævidit Arrianam hæreſin ſub figura beſtiarum intrantium in ſanctuarium Dei. De his, inquit, quos Arriana peſtis invaſit, manifeſtiſſimè prophetavit, quantaque Eccleſiis ab illis labes immineret, docuit, Deo utique revelante hæc, & cuncta ob oculos ejus figura ponente.

8. *Conſtantinus M.* teſte Euſebio vexillo Crucis divinitus in aëre præmonſtrato de futura contra Maxentium victoria promiſſum accepit.

9. *S. Ambroſius* L. 7. Epiſt. 54. teſtatur, corpora Sanctorum Protaſii & Gervaſii ex revelatione ſibi innotuiſſe.

Præ-

Digitized by Google

Prætereo plurima alia ejusmodi exempla, quæ paſſim occurrunt in Hiſtoria Eccleſiaſtica, & in SS. Patribus, præſertim Chryſoſtomo, Auguſtino, Gregorio M., Ambroſio, Hieronymo. Huc pertinet celebris inventio corporis S. Stephani facta per revelationem.

Regula 3. Revelationes privatæ non quidem pertinent ad Fidem; pertinent tamen aliam intellectualem ad virtutem, qua obligamur credere Deo, etiam ea, quæ non pertinent ad Religionem univerſalem, revelanti.

Ad Fidem namque ſimpliciter dictam, qua aſſentimur veræ Religioni, tria pertinent. 1. *Articulus univerſalis*, ſeu objectum ab omnibus univerſim credendum ex motivo univerſali omnibus ſufficienter promulgato. 2. *Aſſenſus*, ſeu actus ex parte intellectus objecto ob authoritatem Dei revelantis præſtitus. 3. Habitus ſupernaturalis fidei, dignificans aſſenſum eumque elevans ad claſſem actuum intellectualium altioris ordinis. Iſte habitus reſpicit objectum aſſensûs univerſale, & ob hoc ipſum qualitate ſua ſpecifica ſervit per modum diſtinctivi inter fideles & infideles.

Dicendum proin, Revelationes privatas non pertinere ad habitum fidei, quia aut non habent objectum univerſale, aut non habent motivum credendi univerſale, puta Scripturam, traditionem, aut definitionem Eccleſiæ. Ita docet Angelicus 1. Part. Q. 1. Art. 8. ad 2. & 2. 2. Q. 1. ad 2. & Q. 2. de Virt. Art. 13. ad 16.

Objicitur 1. Quod *S. Auguſtinus L.* 10. *de Civit. C.* 16. *&* 26. doceat, angelis revelantibus credendum eſſe. 2. Quod Zacharias non credens Angelo fuerit punitus. *Luc.* 1. 3. Quod Adam, Abraham, Tobias obligati fuerint credere revelationibus privatis ſibi factis.

Reſpon-

Reſpondetur ad 1. credendum eſſe hujusmodi revelationibus, quando certò conſtat eſſe divinas; ſed ea ſolùm fide, quæ eſt virtus ſpecialis, diſtincta à virtute fidei univerſalis. Hæc enim attingit objecta ab omnibus credenda, adeoque conſtitutiva Religionis.

Reſpondetur, ad 2. & 3. objecta earum revelationum fuiſſe articulos univerſales Religionis, adeoque ea pertinuiſſe ad conſtitutionem Religionis, & ad habitum Fidei ſimpliciter dictæ.

Ex hoc autem ſequitur, quod incredulitas ad ejusmodi revelationem privatam, ſi de illa certò conſtet, ſit grave peccatum pertinens ad ſpeciem Infidelitatis ac hæreſis diverſæ ab ea, quæ opponitur Fidei ſimpliciter dictæ & quidem diverſitate ſpecifica.

Regula 4. Quando Revelationes privatæ ab Eccleſia approbantur, non approbantur tanquam indubitatò credendæ, ſed tanquam probabiles. Multas Revelationes legimus fuiſſe approbatas à Sede Apoſtolica. Sic Baronius ad annum 1148. ſcribit; Revelationes B. Hildegardis ab Archiepiſcopo Moguntino ſubjectas fuiſſe judicio Eugenii III, qui eas à duobus viris doctis juſſit examinari, factoque examine permiſit publicari. Revelationes S. Brigittæ Cardinalis Turrecremata cenſet divino ſpiritu inſpiratas, eò quod magnorum virorum ac etiam ſummi Pontificis judicio approbatæ fuerint, ut patet ex Prologo in C. 1. earum Revelationum. Dicendum tamen, quando hæ revelationes ab Eccleſia approbantur, non probantur, ut illis certitudine fidei aſſentiamur, ſed ut eas velut probabiles recipiamus. Neque de Revelationibus B. Hildegardis aut S. Brigittæ ſtatutum eſt, ut de Fide recipiantur, ſed quod in illis nihil contineatur, abſonum fidei vel bonis moribus. Cæterùm quantum ad particularia facta proponuntur tanquam probabilia, & pietatem fidelium promoventia, & nullam continere abſurditatem. Dicere verò, eas poſt approbationem Eccle-

Digitized by Google

ſiæ continere falſa & hujusmodi, inſignis temeritas & præſumptio eſt, (puta, niſi veritas in facto aliquo hiſtorico certioribus documentis doceatur.)

Regula 5. Valde leves ſunt, qui omnibus ejusmodi Revelationibus, à quibuscunque aſſerantur, illico fidem adhibent.

Prudentes Confeſſarii & Judices Eccleſiaſtici, quando de veritate aut falſitate alicujus determinatæ revelationis non habent certa argumenta, re nondum penitus perſpecta judicium ſuſpendant, & interea in negativam potius partem inclinent, quàm ejusmodi viſionibus applaudant. Ratio eſt, quia parum plerumque promovet Religionem, ſi inter aliquas falſas revelationes aſſentiamur aliquibus veris, plurimum autem illi nocet, ſi inter plurimas revelationes veras etiam aſſentiamur nonnullis falſis. Hæc eſt obſervatio *S. Bonaventuræ L.* 2. *de profectu Relig.* C. 1. ubi ait: *Revelationes ſecretorum & viſiones ſunt ejusmodi naturæ, quod exinde quidam aliquando de veritate erudiuntur. His autem tanto minus immorandum eſt, quanto frequentius eis immorantes decipiunt; & minor profectus eſt in talibus, ſi vera ſunt; licet à rudibus & ſpiritualium rerum ignaris magnæ ſanctitatis & ſapientiæ virtus in hujusmodi conſiſtere exiſtimetur; & horum quidam ſunt, qui ſunt illuſi; plurimi ſunt, qui illudunt eas fingendo, vel componendo, vel veras exiſtimando.* Frequentia quoque viſionum ex eodem S. Doctore ſuſpecta eſſe debet. Nam ſi olim viſiones fuere frequentiores, magis erant neceſſariæ. Unde pede plumbeo incedendum, poſtquam vitio hominum degeneraſſe vidimus ſæpiſſime in avenas & fructus Gnoſticorum, Beguinarum, Illuminatorum, aliorumque impoſtorum. Sed & tot ſunt ponderandæ circumſtantiæ pro diſcretione viſionum, ut difficile ſit formare irrefragabile judicium. Et quamvis Regulæ à Doctoribus traditæ multùm conferant ad harum rerum notitiam, non tamen plenam ſubminiſtrant reſolutionem. Præſertim Judicibus

Digitized by Google

dicibus & Inquiſitoribus in hac re opus eſt invicta fortitudine, ne veritatem prodant vi aut metu, ſed detegant falſitates aut impoſturas; quas in Religionis materia obtrudere velle perniciosiſſima res eſt, & immane ſacrilegium. Immobilitatem etiam quandam iis ſubminiſtrabit DEus, ut contradicente & obloquente vulgo, viſioniſtis hujusmodi affecto, non declinent ad murmur eorum. Non curent ergo vulgi dicteria, etiamſi prætextati & candidati ſint applauſores; in judicandis enim his perſonis habent certius lumen, quo viſiones falſas à veris diſcernant. Quod ſi inclinant ad ejusmodi perſonas laudandas vel approbandas, nihilominus eas increpent ad probandum eorum ſpiritum ad imitationem Patriarchæ Jacob, qui Joſephum narrantem ſua ſomnia *increpavit*, interea verò ſecum *rem tacitus conſiderabat.*

Regula 6. Si forma, modus, circumſtantiæ, aut effectus apparitionis continent aliquam deformitatem, vanitatem, ſuperbiam, turpitudinem; certum eſt, viſionem eſſe à Dœmone; quia angeli boni nunquam in hujusmodi imitantur malos. Econtra ſi in viſione abſit omnis inhoneſtas, aut deformitas, non eoipſo certum eſt, viſionem eſſe à bono angelo, quia angeli mali imitantur bonos. Ad hanc regulam intelligendam ſciendum, quod viſio ſit triplex; videlicet corporalis, imaginaria, & intellectualis. *Corporalis* eſt, dum exterioribus ſenſibus objicitur res habens ſignificationem myſticam; ut dum Abraham exterioribus oculis vidit tres angelos. *Imaginaria* eſt, dum in imaginatione imprimuntur vel excitantur ſpecies corporalium rerum habentium myſticam ſignificationem; ut dum Jacob in ſomno vidit Scalam. *Intellectualis* eſt, dum menti aperiuntur res aut veritates nullam habentes formam ſenſibilem, ut dum ſignificatio viſionis corporalis aut imaginariæ aperitur.

Digitized by Google

Circa viſiones corporales multi varias tradunt regulas ad diſcernendum, utrum ſint ab angelo bono vel malo; quæ tamen non ſunt univerſales. Sic primo aliqui recurrunt ad formam, in qua apparet; ſi ſit pulchra, dicunt eſſe angelum bonum; ſi ſit deformis, putant eſſe angelum malum. Hæc regula non eſt univerſalis; quia, ut D. Paulus docet, angelus tenebrarum ſe aliquando transfigurat in angelum lucis; & D. Martino, prout legitur in ejus vita, apparuit in Figura Chriſti coronati & purpurati. Alii ſecundo deſumunt diſcrimen ex effectuum magnitudine. Sed hoc non procedit, quia, ut obſervat D. Thomas, dæmones non amiſerunt ſuas vires naturales. Tertio alii attendunt ad hoc, utrum id, quod conſulunt, bonum an malum ſit. Sed & hoc ſignum interdum fallax eſt, quia, ut legimus in Vitis Patrum, & in Hiſtoriis Sanctorum, multos ſub ſpecie boni ſeduxerunt. Accedit, quod aliquid ex ſe poſſit eſſe bonum, quod tamen ex circumſtantia malum eſt. Quarto nonnulli ex loco ſumunt argumentum; ut, ſi in Eccleſia appareat, ſit bonus. Hi neſciunt, Diabolum etiam loca ſacra non refugere, ut patet ex illa ſeductrice tempore Rusbrochii, quæ etiam ad Euchariſtiam accedebat comitantibus duobus dæmoniis ſub ſpecie Seraphin. Quinto aliqui diſtinguunt apparitiones bonorum angelorum ab apparitione malorum eò, quod hi ad vindictam mittantur, illi ad prœmia. Sed & hoc diſcrimen non ſubſiſtit, quia legimus, etiam bonos angelos mitti ad faciendam vindictam, prout miſſi ſunt in exercitum Sennacherib, & angelus peſte flagellans populum Iſrael. Sexto alii volunt, angelos malos nocte apparere, bonos de die. Hi tales non obſervant, dari quoque dœmonia, qui vocantur meridiana; & Evam in meridie tentatam fuiſſe. Itaque miſſis his regulis, ſtatui poſſunt ſequentes.

1. Si forma & ſpecies humana non ſit, ſuſpicio eſt, quod ſit apparitio angeli tenebrarum. Ratio eſt; quia angelo debetur forma præſtantiſſima, ut miniſteria,

ria, ad quæ mittuntur, decenter exequantur. Econtra ſi formæ ſint indecoræ, jam non ſuſpicio, ſed certitudo moralis eſt, eas eſſe dœmoniorum.

2. Si operatio horum ſpirituum mala ſit, ut ſi ad carnalia invitent, ſi blasphemant, ſi rebus vel verbis ſacris abutuntur ad ſuperſtitiones, id in bonos ſpiritus cadere non poteſt. Similiter modus agendi malorum ſpirituum ab initio ſolet eſſe amicabilis; dein verò adducit ad confuſionem. Sic ſerpens Evam amicabiliter allocutus eſt; dein verò eam reliquit in confuſione.

3. Si verba eorum ſpirituum ſint tumida & ſuperba; aut ſi prophetent falſum; non ſunt boni ſpiritus.

4. Si eorum verba ad curioſitatem & vanas artes viam & occaſionem ſternant, affectumque eatenus eò inclinent, ac invitent, ſuſpecti eſſe debent. Et ſi afferant, ſe ab homine compulſos & adſtrictos fuiſſe ad apparendum, certum eſt, eſſe malos. Ex his regulis patet, ſæpe facilius poſſe dari certitudinem de fallacia apparitionis, quàm de illius veritate; quia angeli mali habent ſuos caracteres, quos nunquam imitantur angeli boni. Econtra angelorum bonorum formam & modum ſæpe imitantur mali.

Regula 7. Revelationes privatæ non ſerviunt ad definiendum aliquem novum articulum fidei, cujus aliunde non habentur certa argumenta.

Quod revelationes privatæ etiam authenticæ non ſerviant primariò ad conſtituendum novum articulum fidei, ſed tantùm ſecundariò, tunc videlicet, quando aliùnde habentur argumenta certa pro definiendo articulo, exinde probatur, quia Eccleſia in definiendis articulis fidei nunquam confugit ad revelationes pri-

vatas tanquam ad fundamentum ſuum præcipuum, ſed ad Scripturas, traditiones, & ſenſum communem Patrum, aut Eccleſiæ.

Contra hanc aſſertionem ſtare videntur Corduba in Quæſtionario L. 1. Q. 44. Concl. 6. & Orlandus in 3. Sent. D. 3. Q. 3. Dub. 4. dicens: Quando aliqua veritas innoteſcit Eccleſiæ per miracula certa ac manifeſta, etiam ipſam eſſe Fide Theologica certam. Acerrimè quoque oppoſitam ſententiam defendere videtur Joannes Serranus Epiſcopus Acernenſis L. 1. de Concept. Virg. C. 2.

Argumenta eorum ſunt ſequentia.

1. *C. Noſſe vos. de Conſecr. D.* 3. *Pius I.* poſt relatam viſionem Hermeti factam, qua præcipiebatur Paſcha celebrandum eſſe die Dominico, ſubjungit: *Unde & nos Apoſtolica authoritate inſtituimus, omnes idem obſervare debere.*

2. Antiochiæ, ut teſtatur *Caſſiodorus C.* 9. introductus eſt mos decantandi Triſagion ob viſionem S. Ignatio oſtenſam, qua audiebatur concentus Angelorum idem Triſagion decantantium. Ex Eccleſia autem Antiochena mos ille ad alias Eccleſias propagatus eſt.

3. *S. Auguſtinus L. 7. Cont. Donat. C.* 53. loquens de baptiſmo per jocum collato, dicit; *Utrum approbandus eſſet baptiſmus, qui ſic daretur, divinum judicium per alicujus revelationis oraculum concordi oratione implorandum eſſe cenſerem.*

4. In 5. *Synodo* damnatur Petrus Gnaphæus, Epiſcopus Antiochenus, qui addidit Triſagio, quod Trinitas ſit paſſa ac crucifixa; quia *angelicam traditionem* pervertit. Et Felix Papa in Epiſtola ad eundem Petrum recenſens viſionem cujusdam pueri, qui audierat concentum angelorum idem Triſagion decantantium; & ceſſationem terræ motus poſt decantationem ejusdem Hymni à populo, addit: *At tu quàm temerè ut ſcripturas divinas, ita & angelorum laudem pervertere præſumpſiſti.*

5. In

Digitized by Google

5. In *Concilio Turonenſi* 2. C. 14. dicitur: ***Patrum Statuta præceperunt, ut ad Sextam ſex Pſalmi dicantur cum Alleluja, quod etiam angelo oſtendente didicerunt.***

6. *Expoſitio fidei D. Gregorio Thaumaturgo* tradita eſt per viſum à B. Virgine, & in magno pretio habita à Patribus, ut conſtat ex Gregorio Nyſſeno agente de hoc Sancto.

7. Dantur quæſtiones fidei arduæ, quæ non poſſunt ſufficienter determinari ex claris teſtimoniis Scripturæ vel traditionis; ergo debet dari aliud fundamentum, ex quo poſſit prudenter regulari judicium Eccleſiæ, cui promiſſa eſt aſſiſtentia Spiritûs Sancti.

8. In Lege Moyſaica multa determinabantur per oracula; ergo cum Lex gratiæ non ſit deterioris conditionis, idem revelationibus tribuendum.

Reſpondetur ad 1. 3. 4. 5. 6. ibi ſermonem eſſe vel de rebus pertinentibus ad arbitrariam Diſciplinam Eccleſiæ, quæ poſſunt determinari per revelationes privatas; vel de articulis fidei jam aliunde ſtabilitis & receptis per traditionem Eccleſiæ, ſic ut revelationes privatæ tantùm tribuant occaſionem definitioni ſolenni Eccleſiæ.

Ad 2. Reſpondetur, ibi quæſtionem eſſe non de articulo fidei univerſali, ſed de judicio particulari ferendo ab uno Epiſcopo, qui in hujusmodi controverſiis dubiis rectè ſequeretur revelationem authenticam, quamvis privatam.

Ad 7. Reſpondetur, Eccleſiam in urgentibus negotiis ſemper habere aliquam regulam, nempe ſenſum communem & traditionem Eccleſiæ; quæ ſi non extent, ſignum eſt, Deum nondum voluiſſe Eccleſiæ manifeſtare rem, de qua quæritur. Ut proin Eccleſia non opus habeat confugere ad revelationes privatas

ad 8.

Google

ad 8. Reſpondetur, ea oracula non pertinuiſſe ad decidendas controverſias fidei, ſed ad gubernationem politicam Reipublicæ Hebraicæ.

Regula 8. Non eſt ſignum viſionis illuſoriæ, ſi in ea viſa fuerit divina eſſentia tranſeunter. Ut intelligatur hæc regula, notandum; in viſione intellectuali, in qua videntur objecta ſine formis rerum ſenſibilium, poſſe ſervire triplicis generis ſpecies. Primò poſſunt ſervire ſpecies intellectuales à rebus ſenſibilibus acceptæ, ſed tamen per abſtractionem circumſtantiarum materialium, puta figuræ, quantitatis, & coloris depuratæ. v. g. juſtitia hominis juſti non conſiderando ipſam figuram hominis. Secundò poſſunt ſervire ſpecies intellectuales non acceptæ à rebus ſenſibilibus, ſed infuſæ. v. g. ſpecies hujus veritatis: *Virtus eſt amanda.* Tertiò poteſt per modum ſpeciei intelligibilis ſervire ipſa eſſentia objecti viſi; v. g. quando juxta ſententiam D. Thomæ Beati vident Deum ſine ſpecie creata.

Hoc prænotato dico, non eſſe ſignum deceptionis, ſi quis dicat, ſe vidiſſe divinam eſſentiam intuitivè. Ratio eſt, quia in omnium Theologorum ſententia hic modus viſionis eſt poſſibilis. Controverſia Theologorum ſolùm in eo eſt an aliqui viderint eſſentiam divinam, & an divina eſſentia poſſit videri in hac vita ſolùm tranſeunter, an verò permanenter? Qui admittunt, viſionem divinæ eſſentiæ intuitivam fieri per ſpeciem creatam, ut Suarez & alii, concedunt, eam viſionem poſſe haberi permanenter; quia ſpecies divinæ eſſentiæ poteſt permanenter uniri intellectui viatoris. Econtra Thomiſtæ, qui defendunt, eſſentiam divinam non poſſe videri mediante ſpecie creata, ſolùm admittunt in viatore viſionem intuitivam divinæ eſſentiæ tranſeuntem, eò quod hæc viſio fieri non poſſit ſine unione eſſentiæ divinæ cum intellectu humano, & ſine totali abſtractione intellectûs à ſenſibus, quæ unio & abſtractio in homine viatore non poteſt eſſe perpetua. *P. Gravina* L. 2. C. 9. ſic habet. Sententia *D. Thomæ*

mæ 1. 2. Q. 94. a 4. ad 6. eſt, viſionem intellectualem divinæ eſſentiæ nulli concedi, niſi beatis, & privilegiatis, ut Moyſi & Paulo, qui viderunt divinam eſſentiam per modum tranſeuntis. Sed tunc mutata eſt in Paulo conditio viatoris quodammodo. Nam ad videndum Deum per divinam eſſentiam requiritur, ut homo totaliter abſtrahatur à ſenſibus, ut Paulo contigit.

Regula 9. Viſio genuina poteſt etiam fieri in ſomno. Ratio eſt, quia ex Scriptura & communi ſenſu Doctorum conſtat, quod Deus in ſomnis ſoleat immittere viſiones; ſicque ſe accomodare generali ſuæ regulæ, vi cujus in operando ſemper utitur cauſis ſecundis & diſpoſitionibus naturalibus, ubicunque & quouſque ſufficiunt, ne videlicet recurrat ad modum operandi miraculoſum ſine neceſſitate. Cum ergo in ſomno mens ſit tranquillior, & ob ceſſationem aliorum motuum aptior ad recipiendas divinas impreſſiones aut angelicas, frequenter Deus ea diſpôſitione utitur. Hinc *Numerorum C.* 12. dicitur: *Si fuerit Propheta vobiscum, in viſione cognoſcor, ab eo, & in ſomno loquar cum eo per viſionem. Tertullianus C.* 47. *de Anima*, ait: *Nabuchodonoſor divinitus ſomniat, & major pars hominum ex viſionibus Deum diſcit. S. Thomas in Job.* C. 4. Lect. 3. dicit: *Tempus nocturnum propter quietem magis eſt congruum divinis revelationibus percipiendis. Veriora tamen & certiora eſſe ſolent, cum vigilantibus apparent; quia in ſomno ſpirituales viſiones minus diſcerni poſſunt à ſomniis frivolis & conſuetis.*

Quia ergo plurima ſunt ſomnia vana, & frequenter immiſſa etiam à dœmone, tradendæ ſunt regulæ, quibus diſcernantur vana à divinis, de quibus poſtea.

Regula 10. Perſonæ Ecſtaticæ poſſunt habere peccata venialia non plenè deliberata; non tamen poſſunt durante Ecſtaſi pati fluxum ſeminis.

Digitized by Google

Certum eſt, pertinere ad hæreſin Pelagianorum & Origenis, quod animæ perfectorum non ſentiant paſſiones. Id enim inter errores Pelagianorum & Origeniſtarum ponit *Hieronymus in Epiſt. ad Cteſiphontem* dicens: *quod introduxerit Apathiam Stoicam.* Quod verò Hieronymo ſtandum ſit in probatione vel improbatione Origeniſtarum, conſtat ex *Gelaſio D.* 15. Hoc non obſtante dicendum, aliquibus ad aliquod tempus concedi perfectisſimam à paſſionibus pacem, ut patet ex ſenſu Doctorum, quos citat *P. Gravina* L. 2. C. 13. videlicet *S. Bernardi* Serm. 52. in Cantica. *Brachar.* 2. P. C. 16. *Richard.* in C. C. 33. *Alberti M.* de adhærendo Deo C. 15.

Dicendum. 2. Quamvis perfecti maximè dono contemplationis præditi & unitivam viam adepti poſſint carere peccatis venialibus voluntariè commiſſis, nunquam tamen carere poſſunt venialibus ex ſubreptione commiſſis. Probatur ex *S. Auguſtino* (ſeu potius alio authore) *de Dogmat. Eccleſ.* C. 68. ubi ait: *Veraciter omnes Sancti pronuntiant, ſe eſſe peccatores, quia in veritate habent, quod plangant; ſi non reprehenſione conſcientiæ, certè tamen mobilitate & mutabilitate prævaricatricis naturæ. B. Henricus Suſo Dial. de Verit. C.* 10. ubi docet: unitum non amplius peccare, intelligendus eſt pro illa hora, qua talis homo actu eſt in unione contemplationis.

Dicendum 3. Corpus durante vera contemplationis unitione non poſſe pati ſeminis fluxum; quia ex illa unione tanta oritur applicatio mentis, ut omnes vires inferiorum potentiarum ſuſpendantur.

Regu-

Regulæ Practicæ ex P. Gravina.

Regula 1. Eoipſo, quod Revelatio ſit alicujus fœminæ, non eſt recipienda ſine indiciis aliunde certis. Ita *Gravina* P. 2. L. 1. C. 2. aſſert. 3. Ratio eſt, quia revelationes mulierum contingit ex variis cauſis eſſe falſas. Primò enim oriuntur ex complexione fœminea. Quia, ut obſervat *F. Joannes Nider in ſuo Præceptorio;* fœmina cum ſit mollis, flexibilitatem habet complexionis; & facile poteſt earum imaginatio multis phantaſiis ſigillari. Præterea cum earum complexio ſit frigida, ac proinde melancholica, fortem efficit imaginationem. Unde notavit Gerſon, quod ex earum frequenti imaginatione ad aliquod objectum, ac ſi oculis vidiſſet, illud imaginatur, nempe Chriſtum vel angelos. Apprehenſio enim appetitum animalem excitat, ex quo corpus alteratur; ex alteratione verò appetitus ita afficitur, ut realiter videre exiſtimet, quæ ſola imaginatione cogitantur. Novi, ait, quaſdam mulieres ſimplices, & in via Dei ambulantes quæ Deum cum immenſa luce fulgentem videre ſibi præſentem exiſtimabant; & ex vehementi iſta fixione non eſſe viſiones ſupernaturales deprehendo. Et *Cajetanus* 1. 2. Q. 17. a 7. dicit: *Videbis, quod pluries accidentia perſonis patientibus Ectaſin & hujuſmodi* (revelationes ſeu viſiones) *cauſantur ex ſua imaginativa originaliter; quamvis forte conſuetudo mutata ſit in naturam, ut invitas poſtmodum afficiat. Cujus ſignum eſt, quod ſi diutius ad oppoſitos mentis actus ſeſe toto conatu transferunt, ab hujusmodi accidentibus deſeruntur.* Ita Cajetanus; ex cujus doctrina Confeſſarii & animarum directores habent generale remedium, ac revelationum criterium.

Altera cauſa aptiſſima ad immutandam phantaſiam fœmineam ſunt paſſiones animæ; nempe lætitia, triſtitia, odium, amor;

amor; ex quarum actione in phantaſiam mulieres frequenter patiuntur viſiones. Cum enim mulieres ſint teneræ complexionis, facile paſſionibus præſertim amatoriis ſubjiciuntur; quo fit, ut, cum amor phantaſiam maximè afficiat, & exinde mentis aciem obfuſcet, præſertim ſi accedat defectus judicii, imagines rerum veræ & reales exiſtimentur; unde & ille dixit: *Credimus, an qui amant, ipſi ſibi ſomnia fingunt?* Quæ deluſio non tantum ex profano amore, ſed etiam ex ſpirituali dilectione & affectione cauſari poteſt, ſi anima intentè ad ſpiritualia feratur, & affectu præſertim inordinato aut imprudenti. Exemplum aptiſſimum habetur *L.* 6. *Confeſſ. S. Aug. C.* 13. de S. Monica, quæ cum ad corrigendam filii ſui libidinem vehementer cuperet, eum matrimonio copulari, varias phantaſias de futuro Auguſtini matrimonio paſſa eſt. *Cum*, inquit S. Auguſtinus, (Mater mea) *deſiderio forti à te deprecaretur quotidie, ut ei per viſum oſtenderes aliquid de futuro matrimonio meo, nunquam voluiſti. Et videbat quædam vana, & phantaſtica, quo cogebat impetus de hac re ſatagentis humani ſpiritus; & narrabat mihi non cum fiducia, qua ſolebat, cum tu demonſtrares ea, ſed contemnens ea. Dicebat enim, diſcernere ſe neſcio quo ſapore, quem verbis explicare non poterat, quid intereſſet inter revelantem te, & animam ſuam ſomniantem.* Ita Auguſtinus.

Tertia cauſa illuſionis in fœminis facile eſſe poteſt dœmon; qui poteſt agere in potentias internas & phantaſiam, comovendo ſpiritus vitales, & ſpecies ſenſibiles; immo in ipſos etiam ſenſus externos, repræſentando objecta ſenſibilia. Quia ergo complexio fœminea humoribus abundat, & tenerè lachrimas emittit, & intenſiſſimè fertur in ſuas actiones, longè majores in iis diſpoſitiones reperit dœmon, quàm in ſexu virili, ad commovendos humores, ut inordinati affectus naſcantur. Unde ex vehementia affectuum & cogitationum fit facile, ut aut videre ſibi videantur, quæ cupiunt; vel ut ipſe dœmon ſe immiſceat, & interiores vel exterio-

Digitized by Google

exteriores ſenſus immutet. Unde *S. Thomas* 1. Q. 116. a 5. ait: *Dœmones ſecundum certa augmenta Lunæ perturbant hominis phantaſiam, quando conſiderant cerebrum ad hoc eſſe diſpoſitum.* Cùm ergo fœminæ magis diſpoſitæ ſint ob connaturalem abundantiam humorum, non mirum, ſi dœmon magis fœminarum phantaſiam quàm virorum perturbare & ludificare conetur. Quare, niſi certis documentis probetur, quod hujusmodi immutatio ſenſuum fiat virtute angeli, vel Dei, præſumendum, quod ſint dœmonis opera; vel ſaltem in dubio judicium eſt ſuſpendendum, & in negativam potius partem inclinandum.

Quarta cauſa, ob quam magna cautela adhibenda, & plumbeo pede incedendum ad ferendum certum de ejusmodi viſionibus judicium, eſt ipſa multitudo mulierum, quæ putant ſe habere viſiones. In Sacris enim Litteris pauciſſimas Prophetiſſas legimus, plurimos verò Prophetas. Econtra apud Ethnicos pauciſſimos jactatos Vates; plurimas verò jactatas Prophetiſſas deprehendimus. In Novo quoque Teſtamento ſimiliter paucas intuemur; nam B. Virginem, Annam, Eliſabeth, & quatuor Philippi filias prophetico ſpiritu dotatas quidem legimus; non tamen fuit tanta frequentia mulierum ac virorum.

Quinta cauſa ſumitur ex fine talium viſionum; quia regulariter ordinantur ad inſtruendam Eccleſiam, ad quam inſtructionem mulieres ordinariè vocatæ non ſunt. Hinc in Joele C. 2. quando dicitur; *Effundam de ſpiritu meo ſuper omnem carnem, & ſuper ſervos & ancillas meas in diebus illis effundam ſpiritum meum; non additum eſt; ſomniabunt, aut viſiones videbunt*; ſed dicitur; *Senes ſomniabunt. Et juvenes veſtri viſiones videbunt.* Similiter Apoſtolus ad Epheſ. 4. dona enumerans ait: *Poſuit Deus quosdam Apoſtolos, & quosdam Prophetas*, non dicit, *quasdam.* Et *Tertullianus* exponens illud 1. Cor. 14. *Mulieres in Eccleſia taceant*, ait: *Non permittitur mulieri in Eccleſia loqui; ſed nec docere, nec arguere, nec offerre.* Chryſoſtomus in eundem locum ait:

Digitized by Google

ait: *Mulierum quoque libertatem amputavit, ut omnia ſecundum ordinem fierent.* Similia habentur *L. 6. Conſtit. Apoſt. C. 6.* Reſecanda proin eſt multitudo infinita hodie ſomniantium, ut quibus non eſt permiſſum loqui, nec permittatur ullo modo, ut ſint velut oracula Delphica, quando paſſim de rebus impertinentibus interrogantur. Multa pronuntiant viſa, quæ ſunt potius deliramenta; & potius diſcere debent in ſilentio & erudiri, quàm hujusmodi viſis erudire non ſolùm privatim, ſed etiam in domibus & conventiculis magnatum adducentes diſcipulos poſt ſe. Unde egregiè in hunc locum quidam dixit: *Semel mulier prædicavit, & mundum ſeduxit.*

Sexta cauſa habendi mulierum revelationes ſuſpectas eſt illa ipſa cauſa, ob quam arceantur à munere docendi; quia videlicet ſunt leves, incautæ, imprudentes, honoris cupidæ, & garrulæ, ex quibus diſpoſitionibus facilis eſt via ad deceptiones. *S. Chryſoſtomus* inquirens cauſam prohibitionis apoſtolicæ, ob quam à munere docendi excluſæ, & ad tantam ſubjectionem redactæ ſunt, reſpondet; quia mulier eſt res imbecilla, & mobilis & levis. *Hom.* 37. in C. 14. Epiſt. 1. ad Cor. ſic habet: *Sexus mulierum incautus eſt, & mollis.* Quia facile flectitur vel de malo ad bonum vel de bono ad malum. Virilis autem ſexus cautior eſt, & durior. Cautior quidem, quia quæ videt diſcutit ratione; durior autem, quia nec de malo facile inclinatur ad bonum; nec de bono facile revocatur ad malum; nam ſequitur rationem; & ideo durior, quia rationabilior. Quod laudis & honoris cupidæ ſint, obſervat *Carthuſianus L. 2. de Reg. vit. Chriſt. C. 3.* Sicut ergo iis loqui inhibitum eſt ob ſexum tam fragilem, ita non eſt æquum, ut paſſim tanquam Sybillæ, & tanquam oracula habeantur.

Septima cauſa eſt, quia mulieres curioſæ ſunt, ſciendi ac experiendi cupidæ. Ob quod Diabolus poteſt ſe per eas facilius inſinuare.

Octava

Digitized by Google

Octava cauſa eſt, quia dœmon per mulieres mediantibus ejusmodi viſionibus multas ſectas & errores introduxit. Sic, prout obſervat Hieronymus ad Cteſiphontem, Simon magus ſuam hæreſin condidit adjutus auxilio Helenæ meretricis viſionariæ. Marcion Romam præmiſit mulierem viſionariam, quæ decipiendos animos prapararet. Apelles ſuarum doctrinarum comitem habuit Philomenam viſionariam. Montanus per Priſcam & Maximillam multas fœminas hæreſi polluit. Ita etiam Begardi per Beguinas viſionarias ſuas diſſeminarunt hæreſes.

Itaque, quamvis aliquæ mulieres videantur eſſe piæ ac religioſæ, non propterea negligendum, quin eoipſo debeant cautius examinari, quia ſub ſpecie recti pernitioſa muſcipula ponitur. Hinc & diabolus per mulieres religioſas contra Paulum & Barnabam ſeditionem moviſſe legitur, ut habetur *Act.* 13. *Judæi autem concitaverunt mulieres religioſas & honeſtas, & excitaverunt perſecutionem in Paulum & Barnabam.*

Regula 2. Viſiones & apparitiones perſonarum habentium viſum vel auditum debilem, niſi concurrant indicia aliunde certa, & cum debilitate ſenſus concurrat imaginatio fortis, præſumendæ ſunt eſſe meræ illuſiones. Ratio eſt, quia ubi iſta duo ſimul in eodem homine concurrunt, nempe ſenſuum exteriorum debilitas, & imaginatio fortis, facillimæ ſunt illuſiones, ut exemplis ſequentibus manifeſtum fiet. Sic Ariſtoteles 3. Meteor. C. 4. narrat: Antiphontem ſemper ante oculos ſuos vidiſſe ſimulacrum hominis; quæ illuſio proveniebat ex eo, quia macula quædam in oculo exiſtens reſplendebat in corneam tunicam oculi, quæ tanquam ſpeculum concavum deferebat imaginem ejus maculæ per pupillam in interiorem cavitatem oculi; & imago maculæ ſic depicta in oculo, dum adjuta erat per imaginationem fortem, referebat phantaſiæ imaginem hominis. Ariſtoteles

teles ſic habet: In ejus pupilla (ſeu potius in ambitu pupillæ) erat humor craſſus, (ſeu macula) & ipſe propter debilitatem viſus judicabat de idolo in eo impreſſo, ſicut de quodam extrinſeco, quia utebatur pupilla (ſeu potius tunica cornea ambiente pupillam) quasi ſpeculo, & humore (ſeu macula) tanquam objecto, & judicabat ipſum eſſe hominem ambulantem propter ſimilitudinem. Sicut & in aliis laborantibus infirmitate oculorum apparet aranearum tela ante oculos, quibusdam autem muſcæ volantes &c. Huic exemplo Ariſtotelis poſſum addere aliud de Presbytero mihi notiſſimo, cui, quoties volebat, obverſari videbatur ante oculos orbiculus, ſimilis monetæ. Adhibitis variis conſiliis medicorum tandem deprehenſa eſt in circumferentia pupillæ extraordinaria macula, quæ, dum commovente imaginatione obvertebatur debitè corneæ tunicæ, videbatur iſte orbiculus.

Aliud exemplum de illuſione viſus debilis præbet Halo viſus circa lumen candelæ, aut lunæ. Cujus ſignum eſt, quod Halo iſte videatur quando oculus à lumine v. g. 20. 50. aut 100. paſſibus eſt remotus, non autem in vicinia. Et in eadem mediocri diſtantia videtur ab oculo debili non autem à forti. Univerſim autem non videtur, quando oculus eſt armatus perſpicillis, aut perſpectivo. Quod ipſum contingit in obſervatione ſtellarum fixarum, quæ, ſi obſervantur oculo nudo, apparent ſub varia magnitudine; ſed ſi inſpiciantur tubo aſtronomico, apparent inſtar puncti. Ex quo manifeſtum eſt, lumen illud ſtellarum ſub ea magnitudine, qua cernitur, eſſe ſpurium & tantum apparens ob debilitatem viſus. De Auditu idem probat experientia, dum morbus aurium varios ſæpe tinnitus inſonat, ut Medici agnoſcunt, dum tractant de hoc morbo, Corobantiſmo dicto.

Regula 3. Idem tenendum circa eas perſonas, quæ præter imaginationem fortem etiam pollent extraordinaria ſubtilitate visûs vel auditûs. Ratio eſt, quia in talibus perſonis ob mobilitatem ſpirituum & partium organi

Digitized by Google

organi viſus vel auditus facile per imaginationem fortem efformantur eædem modificationes in organo, quæ aliàs efformari ſolent ab objecto. Exemplum hujus veritatis præbet *Cardanus de ſe ipſo* L. 6. de Variet. Rerum C. 43. ubi teſtatur: ſe in infantia ſic potuiſſe moderari ſuam phantaſiam, ut ante ſuos oculos apparerent imagines, quaſcunque vellet; vim tamen illam phantaſiæ cum incremento ætatis fuiſſe imminutam. Sic ait: Cum volo, video, quæ volo, oculis, non vi mentis, velut imagines illas, de quibus dixi, cùm infans eſſem, me vidiſſe. Sed nunc, credo id fieri per occupationes, nec diu, nec perfectè, nec omnino ſemper, cum volo, nec tamen, niſi velim. Moventur autem perpetuò, quæ videntur imagines. Itaque video lucos, animalia, orbes, & quæcunque cupio. Credo cauſam eſſe vim imaginatricis virtutis, & viſûs ſubtilitatem. In prima juventa, quod cum Tiberio Cæſare commune fuit, in maximis tenebris omnia luſtrabam, ac ſi dies clara eſſet, ſed brevi tamen dies illa mihi ſubtrahebatur. Nunc etiam aliquid video, ſed tamen non diſcerno, cauſa eſt cerebri caliditas, ſpirituum tenuitas ac ſubſtantiæ oculi, & vis calida imaginantis virtutis. Ita Cardanus.

Regula 4. Idem dicendum de iis, qui pollent imaginatione forti extraordinaria, maximè ſi ſint naturæ immoderatè melancholicæ, aut muliebris; idque verum eſt, etiamſi viſio vel apparitio conjunctam habeat alterationem extraordinariam in corpore. Ratio eſt, quia in hujuſmodi perſonis ſola imaginatio valet repræſentare varia objecta, & immutare motus ac affectionis corporis; ut bene obſervat *S. Thomas* 3. P. Q. 13. Art. 3. ad 3. ubi ſic diſcurrit. Imaginationi, ſi fuerit fortis, obedit corpus quantum ad caſum de trabe in alto poſita, quia imaginatio nata eſt eſſe principium motus localis, ut dicitur 3. de anima. Similiter quantum ad alterationem, quæ eſt ſecundum ca-

Digitized by Google

lorem & frigus, & alia conſequentia, eò quod ex imaginatione conſequenter natæ ſunt conſequi paſſiones ſecundum quas movetur cor & ſic per commotionem ſpirituum corpus alteratur; aliæ verò diſpoſitiones corporales, quæ non habent naturalem ordinem ad imaginationem, non transmutantur ab imaginatione, quantumvis ſit fortis, puta figura manus, vel pedis, vel aliquid ſimile. Ita S. Thomas. Idem confirmatur innumeris experientiis.

Sic ad imaginationem ſequitur paſſio amoris & vehementior pulſus arteriæ; ex qua obſervatione Eriſtratus Medicus Antiochum amore Stratonicæ captum fuiſſe deprehendit. Guloſis ſæpe ex appetitu ſolo quorundam ciborum quos vehementi imaginatione apprehendunt, movetur ſaliva; & ea ſoliva eodem ſapore, qui cibis cogitatis ineſt, non raró inficitur. Nonnullis quando vident commedentes acida, obſtupeſcunt dentes; alii viſo pharmaco, aut ſentientes illius odorem vehementi purgatione ſolvunt alvum. Ex conſideratione quoque affectionum corporis in aliis naſcuntur eædem affectiones in conſiderante; ſic multi cum oſcitantibus oſcitant, & mingunt cum mingentibus. A vehementi rei concupitæ affectu nedum pueri, ſed etiam gravidæ mulieres v. g. propter nimiam vetiti cibi vel potûs aviditatem dulcem ſalivam, etſi non comedant, interdum defluunt. Similiter mulières gravidæ nonnunquam fœtui notam inprimunt, aut eundem in monſtrum transformant ex vehementi imaginatione objecti concupiti vel monſtroſi. Sic & oves naſcebantur Jacobo Patriarchæ diſcolores, quando ipſarum viſui ad fontem objiciebantur virgæ diſcolores. *Gen.* 9.. & Gallina fovens ova ad aſpectum ſerpentis ſerpentinam imaginem ſuis pullis impreſſit, ut ſcribit Gravina. Lætitia aut triſtitia extraordinaria conſimiliter miros effectus edit in corpore. Sic mater viſo filio redeunte ex Cannenſi victoria exſpiravit præ lætitia. Sophocles & Dionyſius tyrannus accepto nuntio tragicæ victoriæ ſubito è vivis exceſſerunt. Paria operatur

Digitized by Google

tur timor, pallent repente trementes; ſtant arrectæ comæ, gelidusque per oſſa tremor currit; vox faucibus hæret; & multi exinde naſcuntur morbi. Vice verſa alii curantur timore, prout notiſſimum eſt de ſingultu & quartana. Dum in certamine unus Crœſum gladio peteret, ejus filius, puerulus & mutus repente linguam ſolvit clamando; *ne interficias Crœſum.*

Alios mirabiles imaginationis effectus recenſet *S. Auguſtinus* L. 14. de Civ. Dei C. 24. Quos ſupra recenſui C. 2. Reg. 14. Cùm autem imaginatio vim ſuam habeat potiſſimum in eis, qui ſunt complexionis melancholicæ, videndum eſt primò, an tales viſionarii ſint naturæ melancholicæ, dein verò, utrum ea ſit exceſſiva. Melancholia moderata omnibus communis eſt, qui excellunt in aliqua arte vel ſcientia, adeò ut Ariſtoteles ſcribat, omnes cujuslibet artis aut facultatis peritos complexionis fuiſſe melancholicæ, ſive à natura ſive ex accidenti tales evaſerint. Et ratio eſt, quia humor melancholicus magis fixam naturam habet, ut proin non tam facile diffluat, ſed recollectioni ſtabili mentis ad intra melius inſerviat; ſi proin ille humor melancholicus conjunctus ſit cum natura terreſtri ignea, quæ ſubtiles & agiles ſufficiat ſpiritus, reddit in artibus & ſcientiis præſtantiſſimos, ac valde ineptos ad viſiones phantaſticas. Si verò ille humor denſus ac fixus conjunctus ſit cum natura humida, ac terreſtri, non ignea, ut ſolet eſſe in fœminis, ſic reddit ſtultos & phantaſticos. Dum enim ille humor melancholicus aſcendit in caput, depravat phantaſiam, turbat memoriam, offundit tenebras, & varias ſiſtit imaginationi formas, plerumque, ut in tenebris fieri ſolet, horridas. Inde videbis homines tali morbo affectos mœrere ſine cauſa, timere ubi nullus timor, vitam damnare, tenebras exquirere, & ſolitudinem. Quàm miros hujusmodi humor melancholicus ſecundi generis ſæpe imaginationi induxerit formas, monſtrant varia exempla. Sic quidam credebat ſe eſſe ſine capite. Alius exiſtimabat, ſe transformatum fuiſſe in Gallum. Quidam arbitra-

 tus,

Digitized by Google

tus, ſe mutatum eſſe in granum milii nunquam induci potuit, ut domo exiret, metuebat enim, ne comederetur à Gallina. Nonnulli exiſtimabant ſe eſſe mortuos, de quibus varia exempla refert P. Nider & Gravina.

Nec verò ea melancholia tantùm oritur à natura ſed etiam à cauſa accidentali, puta ex firma cogitatione rei triſtis, aut ex cauſa extrinſeca, puta ex immoderatis vigiliis, jejuniis, exercitiis indiſcretis, & ſolitudine nulla diſcretione temperata. Exinde enim fit, ut cerebrum conſumptis ſpiritibus fœculento ac craſſo ſucco ſubſidente repleatur, & ad exceſſum ſiccitatis redigatur, & temperamentum frigidum aduſto ſanguine ac exhalatis ſpiritibus induat, ac denique obtenebreſcat. Tales quandoque dicent, ſe videre dœmonum turbas ac legiones, aut flammarum globos, ita ut de inferis, aut de aliis locis ſibi talia divinitus revelata fuiſſe credant & pronuntient.

Regula 5. **Viſiones eorum, qui aliàs ſunt læſi capitis, aut obſeſſi à dœmone, nullam merentur fidem.** Ratio prioris eſt, quia laborantes phræneſi vel mania, facile in viſiones phantaſticas incurrunt. Prout Bracharenſis 2. P. Compend. ex Gerſone his verbis obſervat: Meditantes inquit, maximè caveant, ne efficaciter, fixè, ac profundè rebus corporeis licet bonis meditatione inhæreant, ſed mox evolare ſtudeant ad abſtractas conſiderationes, ſcilicet ſpirituales & univerſales. Ex profunda enim corporalium imaginatione ſæpe læditur vis phantaſtica, incurritur mania, & objiciuntur variæ illuſiones ita ut multa ſe videre quis exiſtimet & audire quæ tamen non videt & audit, ut ſi dicat, videre Chriſtum Crucifixum in Sacramento, aut cantus beatorum audire. Incidit etiam ſæpe in vanas & fabuloſas revelationes, immo & in errorem contra fidem. Ita ille. Idem obſervat *S. Hieronymus ad Ruſt.* dicens: ſunt qui humore cellarum immoderatiſque jejuniis, tœdio ſolitudinis, ac nimia lectione vertuntur in melancholiam.

Ratio

Ratio ſecundæ partis eſt, quia multi obſeſſi vaticinantur loquente dœmone. Exemplum habetur in *Act. C.* 16. ubi Apoſtolus ex Pythoniſſa vaticinante ejecit dœmonem, quamvis adhortante populum ad credendum Paulo. Aliud Exemplum refertur apud *Cyprianum in Epiſtola Firmiliani, quæ eſt* 75. cùm enim poſt Alexandri Imperatoris tempora multi fierent terræ motus, *Emerſit* quædam mulier, quæ prophetam ſe proferret, & quaſi ſancto ſpiritu plena ſic ageret; ita autem principalium dœmoniorum ſpiritu ferebatur, ut per longum tempus ſolicitaret & deciperet fraternitatem, ac mirabilia quædam & portentoſa perficiens, & facere ſe terram *movere polliceretur* - quibus mendaciis & incantationibus ſubegerat mentes ſingulorum, ut ſibi obedirent, & quocunque præciperet, & duceret ſequerentur. Fecerat quoque mulierem illam cruda hyeme nudis pedibus per aſperas vias ire, nec vexari in aliquo, aut lædi illa diſcurſione. Dicebat etiam ſe in Judæam & in Hieruſalem feſtinare, fingens tanquam inde veniſſet. Hic & unum de Presbyteris, Ruſticum, & alium Diaconum fefellit, ut eidem mulieri commiſceretur, quod & paulo poſt detectum eſt. Ita Firmilianus.

Signum autem, quod tales perſonæ arreptitiæ ſint, eſt ſi ea, quæ revellantur, à ratione honeſtatis devient; ſi ad curioſitatem tendant, aut in Dei vel proximi contumeliam redundent. Sic refert *P. Nider* duo ſimilium arreptitiorum, curioſa ſectantium exempla. *L.* 3. *Forminerii C.* 1. narrat de quodam juvene, qui poſtquam fuit obſeſſus à dœmone, ut poſtmodum detectum eſt, in orationibus erat aſſiduus; Frequenter in ectaſin rapiebatur ab omnibus ſenſibus alienatus. Ab ectaſi quadam die excitatus latinam linguam, quam nunquam didicerat, loqui cœpit. Gallicam ſimiliter linguam, quam nunquam didicerat, exprimebat. Multa loca ſcripturæ proferebat, in cœlo quoque mirabilia ſe videre aſſerebat. Accurrunt undique femellæ, quæ cito credunt, & leves ſunt corde; ſpiritum ſanctum in eo adeſſe proclamabant. Cor-

dati verò Fratres, qui juvenem rudem ſatis eſſe cognoverant, ſiniſtrè hos eventus accidere interpretabantur. Quid faciunt? Summa reverentia diviniſſimum Sacramentum in altari exponunt, & ad adorandum juveni exhibent. Præſentiam ſummi regis ferre non valuit obſeſſus, quin velut Dagon ante arcam corrueret. Exorciſmis proin fuit dœmon adjuratus & ab obſeſſo expulſus. Juvenis poſtea valdè erat hebes. *P. Gravina* addit aliud exemplum. Diebus, inquit, noſtris erat quædam perſona orationibus aſſiduis intenta, cilicio membra domans, per ſemitas mortificationis incedens, ſacramenta frequentans, ab omni etiam licita converſatione ſe abſtinens, vel de Deo, vel cum Deo loquens, tanquam altera Anna à templo non recedens, orationibus & obſecrationibus Domino ſerviens, ut ab omnibus fuerit habita velut exemplar virtutum & imago probitatis. Præter hæc varios & intenſos affectus erga Chriſtum, Deiparam, & Sanctos habebat, variis donis ſe cumulatam narrabat, ut modò monilibus, armillis, modò variis gemmis, inauribus, & quidquid ad mundum muliebrem attinet, excellentius ornaretur. Demum eo dono ſe præditam aſſerebat, ut ſacra etiam ſtigmata quadam die ſuſcepturam affirmaret. Vexillum quoque, in quo erat ejus imago depicta, è cœlo demiſſum Gabrielis manu videre ſibi viſa eſt; annulo quoque ſubarrhatam à ſponſo, monile alterum velut aureum vellus eidem traditum certò certius aſſerebat; coronam auream variis margaritis intextam poſt ſolennem proceſſionem in cœlis habitam in caput ejus è cœli faſtigio delapſam accepiſſe narrabat. Ad raptum & ectaſin ſæpe ſe componebat, ac ſi in ejus poteſtate eſſet, quandocunque vellet, ſe in exceſſum mentis conferre. Tanta erat vitæ ejus exiſtimatio, ut non ſolùm ſpectatores ad vitam rectam componeret, ſed etiam devotas perſonas ad eam inviſendam alliceret. Et tamen hæc mulier detecta eſt arreptitia; eamque deceptam potius fuiſſe, quàm decipere voluiſſe exitus comprobavit.

Regula

Digitized by Google

Regula 6. Prudentes & experti modicam adhibent fidem revelationibus ac viſionibus fœminarum, quas flexibiles ad malum, inconſtantes ad bonum, & valde pronas ad aucupandam vanam gloriam agnoſcunt. Ratio eſt, quia, ut experientia monſtrat, hujusmodi mulieres facile viſiones fingunt, aut illuduntur facile à dœmone. *P. Nider* L. 3. C. 9. narrat in Civitate Conſtantienſi extitiſſe Recluſam, quæ raptus & ectaſes ſe habere fingebat. De eadem ſtigmata quoque Domini in manibus ac pedibus prædicabantur. Quando verò populus cum ſacerdotibus ad ejus Cellam exibat conſtituto die, illa quidem jacebat velut in raptu immobilis, ſed nihil ſtigmatum apparuit. Non multo poſt tam iſta mulier, quæ populos dementabat, quàm unus aliquis in fictionibus hujusmodi cooperarius per Officialem Conſtantienſem ad Palinodiam quorundam malè aſſertorum coacti ſunt in publico ſpectaculo non ſine magna facies eorum cooperiente confuſione. *Idem* L. 3. C. 1. ait: Notitiam habui cujusdam virginis optima fama & devotionis ſpiritu dotata, dum adhuc in ſæculo degeret, quæ ingreſſa in Monaſterium non minus in Dei obſequio videbatur ſincera ſed tamen vanæ gloriæ ſpiritu percita revelationem & ectaſin finxit, quam nunquam experta eſt. Cùm enim audiſſet in menſa ſæpius legi, quàm abſtractè priores ſancti & ſanctæ vixiſſent, ut de eorum numero exiſtimaretur, publicè etiam ſæpius merè ficta clamare cœpit, alta voce & in jubilo, & cadendo ſolotenus fingere raptum vel mentis exceſſum. Multo tamen elapſo temporis intervallo conſcientiæ ſtimulis agitata coacta eſt rem detegere, ut facinus illud ſibi à divina Clementia condonaretur. Audivi quoque, aliam fœminam quaſi in jubilo clamare cœpiſſe, & eò præ cæteris majorem ſanctitatis famam ſibi comparaſſe, quo majoris præ cæteris erat in populo exiſtimationis. Tandem faſſa eſt, ea procedere, ex vanæ

Digitized by Google

næ gloriæ furore. Sic ille. Hujuſmodi ſolent duabus viis ingredi, & induere cothurnos utrique pedi aptos. Aliquando enim ſunt diſſolutæ, vanæ & garrulæ; alio loco diſcurrunt de rebus altiſſimis, & ſimulant ſanctitatem, ex qua ipſa actionum inæqualitate cognoſci poſſunt.

Regula 7. Si perſona, cui tribuuntur viſiones aut revelationes, fuerit pravis moribus imbuta præſertim vitiis carnalibus ſubdita, & curis, ac ſolicitudinibus ſuperfluis irretita, judicandum eſt, eam eſſe vel deceptam ac illuſam, aut eam eſſe deceptricem.

Regula 8. Idem judicandum eſt de iis, qui refrœnare impatientiæ motus negligunt. Ratio eſt, quia hujuſmodi paſſiones irrefrœnatæ impediunt elevationem mentis ad contemplationem ſpiritualium, ut docet *S. Thomas* 2. 2. Q. 172. A. 4. C. & Q. 12. de Verit. a 4. & 5. Nec obſtat, quod Matth. 7. dicatur, multos in judicio dicturos; *Nonne in nomine tuo prophetavimus* &c. Et tamen laturos ſententiam condemnationis: *Neſcio vos.* Quia ibi vel ſermo eſt de dono prædicationis, ad quod non requiritur unio affectiva cum Deo, ſicut in Ectaſi. Vel ſermo eſt de vitiis ſpiritualibus, qualia ſunt ſuperbia, invidia &c. quæ non ita turbant harmoniam paſſionum, ut impediant converſionem totalem imaginationis & rationis ad Deum, neceſſariam in Ectaſi, ſicut tamen eam turbant paſſiones iræ, triſtitiæ, delectationis, timoris, peccata carnalia, & immenſæ ſolicitudines ſæculi. Et ideo etiam Rabbi Moyſes bene dicit; hoc eſſe ſignum, quod aliquis ſit falſus Propheta, quando voluptatibus & ſolicitudinibus ſæculi detinetur. Dixi ita præſumendum eſſe, quia non eſt Deo impoſſibile, in caſu extraordinario in bonum electorum ſuorum v. g. gentilium, quos vocat ad Eccleſiam:

Digitized by Google

deſiam: conferre etiam lumen prophetiæ diſſoluto homini; quamvis talis caſus aut nunquam extiterit, aut rariſſimus ſit, & tunc forte ſolùm reperibilis, quando non reperitur alius melior, à quo poſſit promulgari Evangelium.

Regula 9. Rejiciendæ viſiones eorum, qui utuntur ſuperſtitioſis mediis ad ſcienda recondita. Ratio eſt, quia non dantur media naturalia ad obtinendam ſcientiam reconditorum, niſi per Deum & angelos, aut per dœmonem. Deus autem non infundit ſcientiam reconditorum, niſi dependenter à mediis a ſe ordinatis, qualia non ſunt ſuperſtitioſa, puta vanæ & de ſe inefficaces obſervationes, certa jejunia, inſpectio quarundam figurarum, ignotorum verborum pronuntiatio, quæ omnia Deus non ordinavit ad obtinendam ſecretorum myſteriorum ſcientiam. Adeoque neceſſe eſt, in hujusmodi operibus intervenire operam dœmonis, cui nunquam adhibenda fides. Rectè *Tertullianus Apolog. C.* 23. *Magi phantaſmata edunt, etiam defunctorum inclamant animas, ut in necromantiis pueros in eloquium oraculi eliciunt; ut in hydromantiis multa miracula circulatoriis præſtigiis ludunt. Somnia immittunt habentes ſemel invitatorum angelorum & dœmonum aſſiſtentem ſibi poteſtatem per quos & capræ & menſæ divinare conſueverunt.* Et C. 44. *Notata ſunt etiam hæreticorum commercia cum magis, cum circulatoribus, cum aſtrologis, cùm philoſophis curioſitati deditis. Adeo & de genere converſationis qualitas fidei exiſtimari poteſt. Doctrinæ index diſciplina eſt.*

Regula 10. Non facile adhibenda eſt fides viſionibus perſonarum, quæ nondum tranſierunt per viam purgativam mortificando paſſiones, ſed per ſaltum ad contemplationis montem acceſſerunt; maximè ſi ſe non ſubjecerint directori ſpirituali, ſi-

Digitized by Google

mul probo & docto. Ratio eſt, quia tales perſonæ potiſſimum expoſitæ ſunt deceptionibus ac illuſionibus dœmonum; quod probatur tum authoritatibus Sanctorum, tum Exemplis. Idem dicendum, ſi tales perſonæ libenter converſentur cum ſociis, profana ſectantibus, deceptionique dœmonum ſimiliter obnoxiis. Exemplum ejusmodi perſonæ, directorem habere nolentis refert *Caſſianus Collat.* 2. *C.* 5. Hero, inquit, cum ſeniorum conſilio acquieſcere nollet circa indiſcretionem ſui jejunii, rationem volens ſuis definitionibus regi, quàm majorum præceptis obtemperare, ſua præſumptione deceptus Angelum Satanæ velut Angelum lucis cum ſumma veneratione ſuſcipiens, ejusque præceptis prono obediens famulatu ſemetipſum in puteum cujus profunditatem oculorum non attingit intuitus, præcipitem dedit, de Angeli videlicet ſui ſponſione non dubitans, qui eum pro merito virtutum ac laborum ſuorum nequaquam poſſe affirmaverat jam ulli diſcrimini ſubjacere. Cujus rei fidem ut experimento ſuæ ſoſpitatis evidentiſſimè comprobaret, ſe in ſupradictum puteum nocte intempeſta illuſus injecit, magnum videlicet virtutis ſuæ meritum probaturus, cum exinde exiſſet illæſus. De quo cum jam penè exanimis ingenti fratrum labore fuiſſet extractus, ut jam die tertia finiturus, quod deterius eſt, ita in deceptionis ſuæ obſtinatione permanſit, ut ei ne experimento quidem mortis ſuæ perſuaderi potuerit, quod fuiſſet dœmonum calliditate illuſus. Quamobrem pro meritis laborum tantorum & annorum numeroſitate, qua in eremo perduravit, vix potuerat obtineri, ut non etiam memoria & oblatione pauſantium (id eſt, in morte quieſcentium) judicaretur indignus. Aliud non minus formidabile exemplum refert *Nider L.* 3. *Formic.* C. 4. Tempore, inquit, quo trigeſimum circiter annum agebam in quodam loco, ubi concionibus & excipiendis confeſſionibus inſiſtebam, veniebat ad me virgo corpore & animo, quæ meis conſiliis in his, quæ ad ſalutem animæ pertinebant, frequenter utebatur. De labore ma-

nuum

Digitized by Google

nium vivebat, pauperculam propter Chriſtum vitam agens. Quia verò ingenio ſatis ſubtilis erat, & affecta divino verbo, inſtinctus quosdam & revelationes habebat ſpecietenus ſatis pulchras, & ſcripturæ ſacræ conſonas, ſed à quo ſpiritu proficiſcerentur neſcio. In dubium id revoco, quia ut poſtmodum didici, clam vinum & libertatem nimis diligebat. Credulus ſatis ſtatim aliquando pro tunc fui talibus, ut verum fatear, & meam iuvenilem ſtultitiam. Verùm quia prædicta virgo ſub nullius fuit obedientia, liberè inceſſit, quo lubebat, ſemper, tamen ſub virtutis ſpecie, ſine qua nemo religioſus decipitur, & exinde voluit peregrinari in ſuum malum ad quendam B. Virginis locum, & obtinuit. Vivebat eodem tempore in loco quodam religioſus, heu! ſolo nomine & ſacerdos & verbis amatoriis & incontinentia plenus, & animarum perdendarum aucupiis gnarus, qui in itinere conjunctus virgini de verbis venit ad obſequia, de obſequiis ad amicitiam, & in tali familiaritate virgo miſera jam erat in faucibus ſe devorantis dœmoniacæ Philomelæ. Exinde enim ipſa totaliter philocapta eſt anima in verbis & geſtibus viri primum; deinde ex frequentia aditus per eum ſtuprata eſt. De quo theſauro irrecuperabiliter ſubtracto tam indiſcretè doluit, ut gladio ſe occidiſſet, niſi vi ablatus eſſet manibus corruptoris. Ad me igitur conſilii gratia venit, dedi conſilium, ut viro non appropinquaret, etiam juſto. Quod nec ſecuta eſt. Creſcente amore amaſii divinæ ultionis iram experta eſt in phrænesin incurrendo. A qua poſtmodum liberata, nec ſic meis monitis acquieſcendo vitam emendare voluit, & ſatis diu luto inhærens, me aliisque ad meliorem frugem adhortantibus derelictis, in malitia perſeveravit. Deflorator verò gravi infirmitate percuſſus facinora agnoſcens verè ut credo pœnituit & non vulgaria ſigna ſuæ prædeſtinationis dedit, qualia nunquam in quocunque morituro deprehendi.

Digitized by Google

Regula 11. Perſonæ alioquin mendaciis aſſuetæ dum prodit viſiones & revelationes, non debet credi. Ratio eſt, quia mendaciis aſſueti gradatim facile eò aſcendunt, ut etiam fingant viſiones. A mendaciis enim jocoſis fit gradus ad officioſa; ab iſtis ad pernitioſa ſeminando doctrinam falſam, aut tuendo fidem veram mendaciis, prædicando videlicet falſa miracula; oſtendendo reliquias fictas pro veris, miſcendo vitis Sanctorum falſa privilegia, ac denique fingendo viſiones. De his omnibus ergo tenenda illa Regula Ariſtotelis, & *Hieronymi ad Julianum Diaconum*, ut *mendaci etiam dicenti vera non credatur*. Cæterùm quod humana malitia ad fingendas etiam viſiones facile progrediatur, patet ex variis ſimilium impoſtorum exemplis. Sic *Tertullianus de anima* C. 28. Pythagoram ſeptem annis delituiſſe ſub terra, ac poſtea, tanquam ſurrexerit à mortuis, narraſſe, quæ in inferis viderit. *Ad auram*, inquit, *popularem captandam virtutem ſimulat Pythagoras in victu, & veſtitu parciſſimus ſeptem annorum ſpatio ſub terra delitеſcens ſola matre conſcia earum rerum, quæ ad ſuſtentationem erant neceſſariæ, ſubſidium miniſtrante. Poſtmodum colore immutato, facie confecta macie, populis ſuaſit, ſe jam defunctum toto illo tempore ad inferos deſcendiſſe cum Manibus collocutum.* Numma Pompilius ſacra illa, quæ Romanis tradidit, ut refert *Auguſtinus L.* 8. *de Civ.* C. 35. aſſeruit ſe à Nimpha Ægeria didiciſſe.

Regula 12. Viſiones perſonarum pauperum, ægrè pauperiem ſuam ferentium, ſuſpectæ ſunto. Idem judicandum de religioſis, in ipſo paupertatis ſtatu ſuperbientium, ac vanam gloriam ſectantium. Ratio eſt, quia paupertas iniquè tolerata, & ſuperbia multa generant figmenta. Ob quod *Juvenalis*.

ære minuto
Qualiacunque volunt judæi ſomnia vendunt.

Regu-

Digitized by Google

Regula 13. Quando viduæ vanæ & garrulæ revelationes jactitant, non eſt illis applaudendum. Idem de virginibus & conjugatis ferendum judicium. Ratio petitur ex priori Regula, quia converſatio diſſoluta non convenit cum ſtatu Ecſtatico.

Regula 14. Perſonæ, cui deficit vera fides, jactanti revelationes, non credendum, niſi tendant ad confirmationem veræ religionis. Ratio eſt, quia conſtat, in hæreticis, & infidelibus operari dœmonem viſiones hujusmodi frequentiſſimas. *Irenæus L.* 1. *C.* 9. enarrans hæreſin Marcoſianorum ait: *Datur intelligi, eum & dœmonem quendam parædrum habere, per quem prophetare videtur, & quotquot putat fieri participes ſuæ gratiæ, prophetare facit. Maximè enim circa mulieres vacat, & hoc circa eas, quæ ſunt honeſtæ, & circumpurpuratæ & ditiſſimæ, quas ſæpe adducere tentant & blandiens ait: Participare te volo ex gratia mea - ſume primum à me, & per me gratiam; aperi os tuum & propheta. Cum autem mulier reſponderit, nunquam prophetavi & neſcio prophetare, invocationes quasdam faciens denuo dicit ei; aperi os tuum, & loquere quæcunque & prophetabis. Illa autem ſeducta & elata ab iis quæ prædicta ſunt, concalefaciens animam à ſuſpicione quod incipiat prophetare; cum cor ejus multò plusquàm oporteat palpitet, videt & loquitur delirioſa.* Ita Irenæus. Similiter ex Diaboli officina prodiere oracula Delphica, Pythica, Claria, Dodonea, & Apollonius, Minoës, Hermotinius Clazomenius, Socrates, & alii Gentiles, & Simoniani & Gnoſtici, qui ſe vates jactaverunt.

Regula 15. Si perſona prætendens viſiones deprehendatur præſumptuoſa, confidens in ſuis meritis ac viribus, ita ut è collo expectet revellatio-

nes, & angelicas inſtructiones, non eſt illi credendum. Ratio eſt, quia talia è cœlo petere tentatio potius Dei eſt, quàm fiducia. Tales autem per varias diabolicas illuſiones humiliari permittit Deus.

Regula 16. Senſibilis amor & affectio erga Deum viſionem concomitans vel ſubſequens non eſt ſignum certum viſionis veræ. Ratio eſt, quia amoris ſenſibilis ſtatus etiam provenit ex principiis affectuum naturalibus; immo aliquando etiam à dœmone. Adjungo in hac re verba *P. Gravinæ*, quia notatu digna. Charitas quoque, inquit, tam erga Deum quam proximum examinanda eſt, num ſit aurum obrizum, an auri fucatam habeat ſpeciem. Plerumque (ait *Gerſon de Diſtinct. vis. ver. à falſis.* v. Signo) dilectio quarundam perſonarum ad Deum, ad Sanctos, ad ſpirituales homines vitioſa eſt, & carnalis. & *L. de Simplic. cordis*, quem ſequitur *Bracharenſis* 2. P. Compendii pag. 176. Cavendum, ait, ne circa amorem decipiamur. Contingit namque in fœminis aut viris, qui fœmineæ ſunt complexionis, amorem erga Deum, qui purus & ſpiritualis eſſe debet in nobis falſum eſſe & *carnalem*. Unde laudat quandam fœminam dicere ſolitam. *Nihil eſt* mihi magis ſuſpectum, quàm amor etiam erga Deum; nam cum paſſionum omnium ſit vehementiſſima, multa diſcretione indiget & fræno. Fuit etiam fœmina, quæ ſpirituali amori tradi ſe exiſtimans neſcio quid carnale ac fœdum ſe pati fatebatur in corpore. Alia verò furioſo amore quodam etiam in viros ſanctitate conſpicuos ardentiſſimè ferebatur, nec ad illius rapidi amoris moderationem ullis monitis retrahi poterat, cum maximo ſalutis ſuæ *periculo*. Idem *Gerſon. L. de Diſt. ver. revel. ſigno* 5. exemplificat de Maria de Valentianas, quæ dogmatizabat: *Eos, qui* ad eminentiam illam divinæ dilectionis perveniſſent, liberos eſſe à præceptis. Alius non parvæ exiſtimationis vir eodem modo deceptus dicere

ſolitus

ſolitus erat; non omne peccatum mortale charitatem corrumpere; immo potius illam aliquando acrius intendere. Ut ſi quis ex conſiderata vel experta fornicationis delectatione in admirationem, laudem, & amorem divinæ bonitatis atque dulcedinis ardentius excitaretur, non diſcernens delirus ille, quod multum intereſſet inter amoris paſſionem & *ſinceram charitatem.* Ex hoc germine Beghinos & Beghardos in cænum hæreſeos cecidiſſe compertum eſt, quia indiſcretam dilectionem nomine devotionis palliabant. Alii turpiter lapſi, vel in proximò cadendi periculo fuerunt, qui ſpiritu incipientes carne conſummarunt, ſpiritualem amorem in carnalem transmutando; & frequens eſt lapſus in illis, qui in dilectione proximi vel divitias vel alia bona fortunæ attendunt potius quàm virtutem, & quod eſt turpis amoris incentivum, motivum dilectionis aucupantur a venuſtate, floris ætate, & hujusmodi. Quod ſi *gratior & pulchro veniens de corpore virtus adjuvat*, plus timendum eſt de illecebra, ne ſub virtutis amictu penetralia invadat cordis. Inſuper ex iisdem authoribus, quod maximè mirandum eſt, ſæpe accidit, ut arcano Dei judicio aut dœmonis aſtutia poſt amiſſam charitatem ſentiat in ſe homo omnia illa indicia ac ſigna prioris dilectionis ac devotionis, & putet ſe divino agi ſpiritu, cum tamen hæc omnia ex informi quodam habitu proveniant, & priorum exercitiorum uſu non penitus expulſo. Quis hæc audiens non obſtupeſcat? Quis hæc meditans non exhorreſcat? Hucusque *P. Gravina*, addens hoc ſalubre monitum, quo probari poſſit, vera an falſa ſit illa charitas. Ut ergo, inquit, hos laqueos evitet perſona Deo vacans, privatam devotionem ac ſpiritualem dulcedinem obedientiæ, aut ſaluti proximorum nunquam præferat, ſeipſum non quærat, & ubique pro Dei amore ſe abneget, ſinceram & intimam humilitatem expoſcat à Deo. Sic Gravina.

Regu-

Regula 17. Perſonæ viſionariæ, ſi non radicatam habeant ſolidam humilitatem, ſuſpectæ ſunto. Porro ſolida humilitas non conſiſtit in proteſtatione verborum, dum ſe indigniſſimos iis favoribus & maximos peccatores pronuntiant, ſed dum ſeriò abſcondi favores quærunt, & famam fugiunt. Ratio verò eſt, quia Deus ſuperbis viſiones non ſolet concedere, ſed ſubtrahit. De his *P. Gravina* rurſus ſic ſcribit: Si perſona humilis deprehendatur, ex ſignis, operibus, ſimplicis ſpiritus conjectura demonſtratur. Si verò ſpiritu ſuperbiæ ventoſo agitetur, verendum eſt, ſi miracula prætenderentur, à ſpiritualibus nequitiis habere originem, vel à propria phantaſia, ut docet *Gerſon. L. CC. ſigno* 4. Adeo autem Sapientia divina humilibus gratiam iſtam præſtare ſolet, ut ſi contingat animas humiles de his donis inflari, non ſolùm his charismatibus privet, ſed in peccata maxima cadere permittantur, & peſſima morte vitam concludere. Unde *Richardus* L. de Erudit. interioris hom. P. 1. C. 20. ſcribit: Scimus autem, quod nonnulli ſint, qui ex multitudine revelationum ſuarum ſe extollunt. Permittuntur autem, qui ejusmodi ſunt, ex digno Dei judicio cadere, ut deſinant ſuperbire. Dum igitur in culpam labuntur, confunduntur, & compuncti purgantur, & purgati rurſus illuminantur. Sed ſi illuminati iterum ſuperbiant, lumen, quod receperunt amittunt - hanc cadendi & reſurgendi viciſſitudinem ſæpe alternant. Multi autem hanc alternandi conſuetudinem peſſimo tandem fine concludunt, de quibus conſtat, quod ſpiritualium chariſmatum gratiam non tam ad ſuam, quàm ad aliorum utilitatem receperunt. Hæc Richardus. *Signum autem humilitatis* deprehendetur, quando cum ejusmodi dona dantur, humiliter reverentur, & reputant ſe his donis indignos, & Deum pro Deo relinquunt, obnixè eum rogando, ut ſi illi placeat, ejusmodi dulcedines in cruces transmutet pro gloria Dei & proximorum ſalute. Quod ſi non potuerint id obtinere; ſaltem rogent, ne publicè ſed ſecretè ea dona confe-

conferat, & ne illis abutantur. Et quia dicitur 1. *Cor.* 14. Spiritus prophetarum prophetis ſubjecti ſunt, quantum ad pronuntiationem, non quantum ad cognitionem, ut S. Thomas Lect. 6. explicat, in eorum poteſtate eſt pronuntiare quæ revelantur & non pronuntiare, nempe quando utilitas vel charitas exigit. Sic, ait idem ſanctus; nihil valet excuſatio dicentium, oportere loqui, quæ revelantur, quia non cogit te ſpiritus, quin tacere poſſis, & ſi cogeret ſpiritus domini ad loquendum, eſſet cauſa diſpenſationis. Similiter humilitatis ſignum eſt, cum magis anima de ejusmodi donis gemit, quàm exultat & jubilat, & ſe abſcondit. - Quotiescunque verò ejusmodi perſonæ famam vulgi aucupantur, & lucem deſiderant, ut videantur ab hominibus, ſuſpectæ ſunt. Et magis, ſi, quando Patres ſpirituales contradictores habent, qui eos reprehendunt tanquam pro illuſis reputantes, & contra illos tanquam rigidos cenſores & indiſcretos murmurant, vel obloquuntur, ac ſi non intelligant, quæ ipſæ experiuntur &c. cum ſimilia eructant, ex loquela manifeſti fiunt, ex ore ſe loqui illius, qui Rex eſt ſuper filios ſuperbiæ. At, inquiunt, quis poteſt divino motui reſiſtere? faciant, quod poſſunt, renuntiando his mirabilibus cum debita ſubordinatione ad divinam voluntatem. Nam ſi non illudentur, copioſiori lumine manifeſtabitur veritas. Hucusque P. Gravina.

Regula 18. Viſiones eorum, qui in via ſpirituali adhuc tyrones ſunt, pro ſuſpectis haberi debent. Quod ſi inſuper ad viſiones non prius pertranſita via mortificationis aſcenderint, pro illuſis habendi ſunt. Ratio eſt, quia tyrones ſunt aut inexperti, aut præſumptuoſi; tales autem facile patent illuſioni dœmonum. Nec Deus, cujus omnia opera ſunt ordinata, ſolet perducere ad finem non tranſitis mediis. Gravina ait: *S*i per ſaltum deprehendas aliquas perſonas ſaltitare velle, ſuſpicio eſt, ne velut Icari

volare velint. Et in hunc errorem frequenter incidere ſolent recenter vitæ ſpirituali addicti; novitate enim ſpiritus, & dulcedine quadam ſpirituali referti ſe jam ad viſiones & revelationes perveniſſe arbitrantur. *Gerſon. de probat. ſpirit.* ait: *Quia novitius fervor cito fallitur, ſi regente caruerit*, præſertim in adoleſcentibus & fœminis, quorum eſt ardor nimium avidus, varius, effrænis, ideoque *ſuſpectus*. Unde veteri proverbio dictum eſt. Animal, quod cito ruminat, monſtruoſitatem paſſurum in via ſpiritûs. Sic accidit cuidam ex Novitiis ſub Tyrocinio *B. Aloyſii Bertrandi* in ejus vita L. 1. C. 6. qui cum tyro eſſet in via ſpirituali dum diceret ſe viſus videre, pro illuſo habitus & ad ſæculum reverſurum illi prædictum eſt à Sancto. Non multi dies tranſierunt, & habitum reliquit; & licet tentaret eremiticam vitam aſſumere, nec fuit Eremita, nec alius Religioſus. Semper in quacunque exercitatione periculoſum eſt, juvenes & tyrones allegare, qui ut novi architecti plerumque veſtigia veteranorum dedignantur ſequi, & cupiunt cuncta reddere nova, obſtupeſcunt ad ea, quæ nunquam viderunt, non quia in ſe mira, ſed quia rara, non ſecus ac ruſtici ad viſum cometæ. Naſcitur quis rerum gerendarum capax; ſed quia experientia memoriæ filia affert diſcretionis judicium, eâ carentes facile in errorem labuntur. - Putant tales tyrones, ſe in montem contemplationis aſcendiſſe prætereundô montem myrrhæ mortificationis. Quando talis deprehenditur, qui putat ſe in montem Thabor aſcendiſſe, mendacium loquitur, & cum illuſis reponendus eſt. Ita Gravina.

Regula 19. Si nec antecedenter, nec concomitanter, nec ſubſequenter viſiones cum cruce, perſecutione, tolerantia & vita mortificata conjunctæ ſint, valde ſuſpectæ ſunto. Ratio eſt, quia Deus tales viſiones non ſolet concedere, niſi in ſolatium tolerantiæ. Gravina ait: Diligenter examinandum, an vita factis operaque doctri-

næ

næ congruant. Hoc ſigno Apollonius apud *Euſebium L.* 5. *C.* 17. pſeudoprophetas cognoſcebat. *Cùm enim*, ait, dixerit dominus, ne poſſideatis aurum & argentum nec tuas tunicas; iſti verò, quos ipſi prophetas & martyres vocant, non à divitibus modo, ſed & à pauperibus, & orphanis & viduis pecunias extorſiſſe monſtrantur. Si inficias eunt, eorum prophetas munera accepiſſe, hoc pro confecto ſtatuant, ſe, ſi munera accepiſſe manifeſtè convincuntur, non omnino eſſe prophetas. Dic mihi, prophetane comam coloribus tingit? prophetane ſtibio oculos illinit? prophetane ſumptuosè, & veſtitu ſplendido ornatus incedit? prohetane tabulis & teſſeris ludit? prophetane fœnus *exercet?* &c. Ubi ergo videris ejusmodi perſonas cincinnatulas, comatulas, vanitatibus innumeris ſcatentes, in pſeudoprophetarum cuneis ſunt reponendi. Inſuper diſcutiendum, an ejusmodi dona cum mortificatione & cruce ſint conjuncta. Nam ſi nec antecedenter, nec concomitanter, vel ſaltem ſubſequenter ſint ad invicem connexa, valde ſuſpectæ ſunt tales revelationes & prophetiæ. Fundamentum eſt, quia hæc dona dantur ad manifeſtationem fidei & utilitatem Eccleſiæ; fides autem maximè oſtenditur ſuper omnia alia ſigna ex mortificatione & patientia Chriſtiana. His enim crevit maximè Chriſtiana Religio, quibus mundus victus eſt & proculcatus. Oportet ergo multo magis his noviſſimis temporibus ad has notas reſpicere, quàm ad quævis alia mirabilia, ut ſciamus, num hæc dona à Patre luminum deſcendant. Chriſtus, Apoſtoli, & Doctores Eccleſiæ nihil aut parum de ejusmodi viſionibus prædicarunt; ſcripſerunt, aut inculcarunt; ſed totam Chriſtiani ædificii baſin in charitate, humilitate, mortificationibus, & perſecutionibus perferendis conſtituerunt. Rariores quoque ſancti fuerunt extraordinariis iſtis favoribus præditi, ut diſceremus potius hæc admiranda quàm imitanda. Nec ordinariè & regulariter per totam vitam, & quacunque oblata occaſione delitiis hujusmodi fruebantur, & ad eas non illico admittebantur, niſi

poſt multos exantlatos labores; Magiſtri quoque inſigniores Eccleſiarum regulariter Ectaſi & raptu non docebantur. Quis ergo tam levis corde erit, ut ſimplicibus & minus prudentibus præſertim mulieribus tam frequenter ejusmodi viſiones & apparitiones contingere velit contendere? Talis eſt viſionum character, quem deſcribit Apoſtolus. *Ne magnitudo revelationum extollat me, datus eſt mihi ſtimulus carnis, angelus Satanæ, qui me colaphizet,* docens notam & characterem revelationis divinæ eſſe perſecutiones & tentationes. Hanc notam eleganter expoſuit Jo. Franc. Picus C. 2. tunc ſcilicet revelationes fidem mereri, ſi aliis Prophetis conformes ſint, quorum alii odio habiti & vexati, alii quoque injuriis affecti, alii quoque immani Regum, & populorum ſuorum *rabie trucidati.* Maximè ergo elucent, cum poſt probationem ſubſequuntur conſolationes; hæc enim Dei praxis eſt, poſt tempeſtates tranquillum facere. Unde & David cecinit: *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo conſolationes tuæ lætificarunt animam meam.* Quis ergo prætendere poteſt viſiones & revelationes, quando pro Chriſto nullum laborem, nullam ſuſtinuit perſecutionem? Ita Gravina.

Regula 20 Si perſona revelationes optet, & affectet; aut habitas paſſim evulget & communicet, ſuſpectæ ſunto. Ratio eſt, quia Sancti agnoſcunt, petere revelationem eſſe tentationem Dei, & eo caſu frequenter dari diabolo poteſtatem ad illudendum *S. Vincentius Ferrerius Tr. de vita ſpirit. C.* 12. ait: *Qui cupiunt ſe tradere orationi & contemplationi, non deſiderent ſentimenta, viſiones, & revelationes, quæ ſunt ſupra naturam, & communem curſum eorum qui Deum diligunt, & eum amore vero & firmiſſimo timent & referentur.* Tale namque deſiderium non poteſt reperiri absque radice & fundamento ſuperbiæ & præſumptionis, immo tentationis, curioſitatis erga res divinas; nec ſine aliqua vacillatione, & fluctuatione fidei. Ob hujus peccati pœnam divina

vina juſtitia deſerit talem animam hæc affectantem & deſiderantem; & permittit, ut in illuſiones varias & tentationes diaboli incidat, & falſis viſis & revelationibus *decipiatur.* *S. Thereſia* idem advertit Moral. 6. C. 9. dicens: *Nunquam Deo ſupplices pro ejuſmodi donis obtinendis. Primò, quia id procedit ex humilitatis defectu ea dona poſtulare, quæ nunquam quis meruit. Nullus agricola regnum optat, cum videat, ſe nunquam id meruiſſe. Secundò, quia in maximo verſatur deceptionis periculo; & Diabolo ſat eſt una parvula rimula ad ingrediendum in cor hominis, ut decipiat. Tertiò, quia ex imaginato deſiderio putat ſe videre anima, quod non videt, & ex affectu eorum, quæ die cogitamus, noctis tempore ſomniantur.* *S. Auguſtinus* L. 10. *Confeſſ.* C. 35. *In ipſa Religione Deus tentatur, cum ſigna & prodigia flagitantur non ad aliquam ſalutem, ſed ad ſolam experientiam deſiderata. In hac immenſâ ſylva plena inſidiarum & periculorum quanta à corde meo diſpuli! quantis mecum ſuggeſtionibus, & machinationibus mecum agit inimicus, ut ſignum aliquod petam! ſed obſecro te, ut quemadmodum longe eſt à me iſta conſenſio, ita ſit ſemper longè & longius.* Si ergo tales Sancti, quibus divina inſtructio longè magis neceſſaria erat ad aliorum inſtructionem, quàm privatis, non petunt viſiones etiam ab aliis non eſt deſideranda viſio. *Nec obſtat,* quod Ephrem in vita Baſilii ex Amphilochio, Maurus ex Surio in ejus vita, Herebertus apud eundem Menſe Martio, & alii apud Cæſarium leguntur, enixè à Deo poſtulaſſe divinorum ſecretorum revelationem. Id enim in caſu extraordinario ſpeciali diſpenſatione, ex inſtinctu divino contigit. Secundum autem legem communem hæc petere prohibitum eſt; nec petitio à Deo acceptatur niſi ipſe ad eam moveat, cum aliàs ſit filia curioſitatis, levitatis ac temeritatis & magiſtra ſuperſtitionis. Quàm cautè verò revelationes ſilentiò contegendæ ſint, docet Apoſtolus, qui ſuum raptum in cœlum 14. annis preſſit ſilentio, ut obſervat *S. Ambroſius* his verbis:

Ante annos 14. *revelatum ſibi dicit, & tamen revelationem tamdiu apud ſe tenuit, & repreſſit, nec dixiſſet, niſi utile nobis judicaſſet, ut diceret ne revelationibus extolleremur.* Addit *P. Gravina.* Diſcant hoc, qui aſſerunt ſe audiſſe arcana verba & revelationes paſſim habuiſſe pronuntiant, advertant præſertim mulierculæ, quæ vix aliquo favore Dei ſe impleri dicunt, ſubito convocant amicas & vicinas & cognatos, indicantes ſe propemodum raptas in paradiſum, & non tantum, quæ ſileant myſteria audiviſſe, ſed & quæ publicent; quæ tamen multoties tantùm ſomniarunt. Quod utinam non quotidie experiremur his præſertim temporibus, quando tot ſunt, qui revelationes & viſiones ſomniant.

Regula 21. Si perſona deprehendatur jam aliàs fuiſſe illuſa à dœmone, omnes reliquæ viſiones ſuſpectæ ſunto. Ratio eſt, quia dœmon eam perſonam, quam aliàs decepit, ſolet frequentius tentare eo genere, quo victor extitit. Id demonſtrat caſus deplorandus cujusdam Eremitæ, de quo his verbis refert Antiochus hom. 84. Fuit, inquit, in Monte Sina quidam monachus, qui celebre adeo edidit ſuæ continentiæ ſpecimen, ut in Cellula multos vixerit annos incluſus, poſtremo multifariis revelationibus Diaboli, & inſomniis illuſus ad Judaiſmum delapſus eſt, & carnis circumciſionem. Cùm igitur Diabolus huic identidem vera quædam inſomnia demonſtraſſet, & velut objecta illecebra inescaſſet illius obſcuratam mentem, noviſſimè oculis illius objecit copioſam turbam Apoſtolorum Martyrum, aliorumque omnis generis Chriſtianorum denſiſſimis tenebris & omni dedecore oppletam. Parte oppoſita Moyſen, Prophetas, populum quoque Judæorum offert, ſplendida admodum luce conſpicuum, inque gaudio & hilaritate vitam traducentes. Hæc cum ſpectaſſet miſer, in veſtigio ſurrexit, derelictoque illo monte in Palæſtinam usque pervenit. Rectà contendit in Noura & Lybiadem Aſyla Judæorum. Cum iſtis denarraſſet, quæ ſibi

Digitized by Google

ſibi viſæ fuiſſent, diabolicas apparitiones, circumciſus eſt, ac profeſſus Judaiſmum, accepit uxorem, inque omnium proſpectu adverſus Chriſtianos edidit dogmata propugnator factus Judaicæ ſuperſtitionis. Hunc ego vidi ac plerique Monachorum. Neque enim quatuor anni ſunt à morte illius, qua miſerè perruptus eſt. Catharri enim profluvium aliquando paſſus, & vermium corroſione tabeſcens exſpiravit. Hunc cum vidiſſemus ego, & alii Monachi, correpti timore ingenti cum luctu lamentati ſumus. Erat id ſane quàm miſerabile ſpectaculum. Vir hic totus incanuerat in monaſtica exercitatione, conſenueratque laboribus attritus, & is tandem cum mulieribus jocatur, verba loquitur obſcæna & impura, & blaſphemat Chriſtum. Meritò igitur Dominus dicebat: Vigilate, quia neſcitis, qua hora *fur venturus ſit.*
Idem Sanctus initio ejusdem Homiliæ fideles exhortatur, ne aures accomodent ejusmodi inſomniis, nam ad nos implanandos hæc efficiunt dœmones, & miſerè ſeductos ineſcant & oblectant, ut deinceps nullo negotio hominem pertrahant ad captanda lenocinia illecebræ voluptatis. Non diſſimulem illuſionem paſſus eſt *Radbodus apud Surium* die 20. Martii. In infirmitate namque conſtituto apparuit dœmon ſe transfigurans in Angelum lucis, diademate aureo, & gemmis fulgentiſſimis redimitus, hæc illi ſuggerens: Dic quæſo fortiſſime virorum, quis te ita ſeduxit, ut à cultura Deorum & prædeceſſorum tuorum religione velis diſcedere? ſi perſiſtas in tali Religione, ad domos aureas æternaliter manſuras pervenies, quas in craſtino tibi ſum daturus. Acceſſi Wolframum Chriſtianorum Doctorem, & oſtendat tibi, ſi Chriſtianorum ſuſceperis dogma, manſionem æternæ claritatis, quam pollicetur. Sin minus, monſtrabo tibi manſionem eximiæ pulchritudinis, quam ego tibi ſum daturus. Rem totam cum Wolframo communicat, qui reſpondet, has omnes technas eſſe & illuſiones dœmonis. Perſtitit Princeps incredulus, & ſe Chriſtianorum religionem amplexurum profitebatur, ſi à Deo ſuo non demon-

Digitized by Google

demonſtraretur domus aurea, quam ſpoponderat. Verum dœmonis præſtigiæ detectæ ſunt. Cum enim Diaconus cum ſocio ad Principem ablegaretur, in itinere à quodam præferente ſpeciem hominis domus illa aurea oſtenſa eſt. Sed ſignante ſe Diacono ſigno crucis ſpecies illius hominis in figuram dœmonis, & domus in luctum converſa eſt.

Regula 22. Omne quod revelatur privatis revelationibus, ſi diſcordet à regula fidei & moribus, conſuetudinibus, ac præceptis Eccleſiæ, rejiciendum eſt. Ratio eſt, quia veritas non eſt ſibi contraria.

Regula 23. Si aliquis vivendi modus aſſumatur vel introducatur, etiam ſub ſpecie ſanctitatis, quem populus Dei ſervare non conſuevit, ut ſuſpectus vitari debet. Ratio eſt, quia ratio prudentiæ exigit, ut in directione humanorum actuum certum ſemper præferatur incerto. Cum ergo ſequi Eccleſiaſticas regulas via certa & tuta ſit; econtra ſequi privatas revelationes, via incerta ſit, iſta relinqui debet. Regulam probat Gravina exemplis. Sic, ut refert P. *Nider* L. 5. C. 8. fuit Coloniæ quædam virgo omni tempore habitu virili incedens, arma deferens, velut cæteri milites ſtipendiarii armis diſſolutis utens, choreas ducens, epulis inſiſtens; quæ & mira oſtentabat; vitrum enim à ſe confractum in parietem jactatum reparavit; mappam à ſe laceratam integravit. Cum duæ partes inter ſe litigarent de Sede Trevirenſi, unam partem ſe velle inthronizare gloriabatur, ut fecerat quædam Joanna Carolo Regi Galliæ, quam & reſuſcitatam aſſerebat. Sed capta ab Inquiſitore clam de Colonia educta Galliam intravit, militi in matrimonium copulatur à malo ſacerdote; ſed tandem Metenſem civitatem adiit, & publicam concubinam egit.

Qualis

Digitized by Google

Qualis autem fuerit illa Joanna, idem P. Nider proſequitur dicens; quod ea mulier in Gallia ſpiritu prophetico & miraculorum poteſtate pollere credita ſemper virili veſte uſa fuerit, & in multis prœliis Carolum Regem Galliæ contra Anglos adjuverit. Tandem per Anglos capta faſſa eſt ſe habere familiarem angelum, qui ex multis conjecturis & probationibus diabolus fuit exiſtimatus, unde per publicam juſtitiam incinerationis pœnam ſuſtinuit, prout Angliæ Rex ad Imperatorem Sigismundum ſcripſit. Eodem quoque tempore duæ fœminæ inſurrexerunt, dicentes ſe à Deo miſſas eſſe, ut præfatæ Virgini Joannæ opitularentur, & per plures Magiſtros Theologiæ examinatæ tandem repertæ ſunt dœmonis aſtu deceptæ. Una quæ agnovit ſe per aſtum Sathanæ deceptam, errores abjuravit; altera in ſua pertinacia permanens ignibus conſumpta eſt. Eadem doctrina, ut ſcribit P. Gravina, applicanda eſt ad improbationem Inſtituti illius, aſſumentis arroganter titulum Jeſuitiſſarum, quod quia continebat exercitia mulierum ſexui incompetentia, ab Urbano VIII. eliminatum eſt. Similiter merito ſublatus eſt mos, qui irrepſerat apud pauculos contra communem morem recipiendi plures particulas conſecratas, majorem gratiam obtinendi prætextu.

Regula 24. Revelationes, quæ incitant ad particularem opinionem ſequendam, quam nec Scriptura, nec traditio, nec Patres, nec ſcholaſtica doctrina commendat, ſed ſolius aſſerentis novitio placito venditatur, rejiciendæ ſunt. Hinc recte *Richardus de S. Victore L. de Contempl.* P. 1. C. 81. dicit: ſe non recipere Chriſtum, ſi comites non habeat Moyſen & Eliam. Id eſt, niſi doctrina, quæ à viſionariis cenſetur eſſe Chriſti, adſtipulantes habeat legem & prophetas & Eccleſiam. Ratio autem eſt, quia tales ſingulares opiniones, etiamſi non contrarientur fidei, eandem tamen infirmant & dehoneſtant, aperiendo viam innu-

Digitized by Google

meris talibus revelationibus, inter quas facile contingit eſſe aliquas falſas. Hoc ipſum autem parit confuſionem, ſi cum reverentia recipiantur vera cum falſis, nonnullis Doctoribus ſe in tali revelatione fundantibus, aliis eam recipientibus. Cùm ergo Deus non cenſeatur cooperari ejusmodi confuſioni, non cenſendus eſt eſſe author revelationum circa opiniones ſingulares.

Regula 25. Prætendenti, ſecum per revelationem diſpenſatum eſſe in aliqua lege naturali, vel Eccleſiaſtica, credendum non eſt. Ratio eſt, quia in nova Lege optimè conſtitutis legibus & finibus bonorum ac malorum non datur ullus caſus, quo ea diſpenſatio ſit conveniens; immo ipſa ejus poſſibilitas eſſet in majus ſcandalum & occaſionem peccatorum, quàm in bonum; maximè ſi tales diſpenſationes prætenduntur clanculariæ. Neque obſtat, quod Deus in antiqua Lege legatur ſic diſpenſaſſe, ut enim bene *Picus L.* 9. *C.* 2. obſervat. Alius in antiquis, alius in recentioribus Prophetis modus obſervandus eſt; eorum enim vita & virtutes inprimis ſpectandæ, & non tam quid traderetur, quàm quis traderet examinandum fuit. In iſtis verò poſt confirmatum Canonem quid tradatur magis quàm quis tradat, conſiderare opus eſt. Cum enim priſcis illis temporibus jam Prophetæ ut unius Dei cultores recepti eſſent, etiamſi quæ operabantur, extranea viderentur, ut qui ſe percuti juſſit in maxillam, ut Ezechiel muro perfracto, & Hieremias lumbari putrefacto incedens. Si hæc facerent, quæ viderentur extranea, æqui tamen, bonique conſulebant auditores pii. Junioribus autem & qui noſtra tempeſtate prædicant, non ſtatim acquieſcendum; ſiquidem operæ pretium eſt, attentè perſpicere, quàm prioribus conſonent, quàm declarent vetera, quàm neceſſaria, quàm utilia, quàm *bona ſuadeant*. Alia ratio, cur non credendum hujusmodi privatis revelationibus diſpenſatoriis, eſt, quia ſemper ſunt aliquo modo dubiæ; dubiæ autem diſpenſationi contra

Digitized by Google

contra legem certam inniti non licet, maxime in materiis, in quibus difficillimas facit diſpenſationes conſequentiarum abſurdarum & abuſuum periculum. Et ex hoc ipſo patet diſparitas ad objectionem deſumptam ab exemplo veterum Patriarcharum, aut Prophetarum, quia videlicet revelationes ipſis factæ conſiderandæ ſunt non tanquam privatæ, ſed tanquam ordinatæ ad Religionis conſtitutionem, ob quod non erant dubiæ, ſed certæ. Id bene obſervat cum *Thoma Angelico Picus L. 9. C. 5.* his verbis: Quia Patriarchæ erant etiam tanquam conditores fidei, habebant viſiones fundamentales, radicales totius cultus & Eccleſiæ Dei; & ideo nullo modo dubiæ erant illæ viſiones, ſicut ſunt, quæ fiunt ſingularibus perſonis, quas non eſt ſecurum ſequi, niſi per alias certitudines rationis, vel catholicæ fidei, vel ſcripturæ earum veritas primitùs *innoteſcat nobis.*

Regula 26. Quando revelationes etiam perſonarum ſanctarum invicem pugnant, utraque pro ſuſpecta & dubia habenda eſt. Ratio eſt, quia non datur fundamentum certum, certo & irrefragabili judicio præferendi unam alteri. Hanc regulam fusè proſequitur *Picus L. 9. C. 2. & 4.* Loquendo tamen de judicio probabili, juxta P. Gravinam; præferantur graviores & doctiores rudibus, quin & ſanctiores, ſi ſanctitas extra controverſiam ſit explorata 2. mares fœminis cæteris paribus 3. major numerus minori numero cæteris paribus. 4. Quæ ſacris Litteris, doctis ac probatis Doctoribus magis conveniunt, & humanæ rationi, prudentiæ, ac ſpiritui devotionis conformes ſunt. In his locum habet regula Gelaſii ex Apoſtolo; *omnia probate, quod bonum eſt, tenete.* Quæ omnia ſi conſideraſſet Henricus de Haſſia, non præcipitanter dixiſſet: S. Brigittæ & S. Catharinæ Senenſis revelationibus nihil eſſe deferendum.

Regula 27. Revelationes amphibologicæ de futuris eventibus ſuſpectæ ſunto. Ratio eſt, quia taliter æquivoca erant oracula dœmonum ex Dodonæa Quercu & Tripode, ut proin hic modus vaticinandi videatur proprius eſſe dœmoni. Nec obſtat, quod etiam in revelationibus S. Brigittæ L. 4. C. 20. legatur ſimilis revelatio. Cum enim pro ſalute infirmæ deprecaretur, reſpondit Dominus: Non morietur iſta infirma, quia placent mihi opera tua. Promulgavit ſententiam S. Brigitta, quod non moreretur infirma; id enim Chriſti veritas revelarat. Sed illa mortua eſt, & mœrenti Brigittæ apparuit Deus dicens: Ne turberis; verum eſt, quod dixi tibi. Non eſt mortua; nam ſeparatio animæ & corporis juſtorum non eſt niſi ſomnus. Non, inquam, hoc obſtat, quia in Regula ſolùm dictum, quod hujuſmodi revelationes æquivocæ debeant eſſe ſuſpectæ, quia in ejuſmodi facillime multæ poſſunt ſe inſinuare fraudes, ut non poſſit diſcerni, an quis loquatur ſpiritu ſuo, vel ſpiritu Dei. Quare ſuſpecta habenda eſt omnis prædictio, niſi ſuis vertita circumſtantiis. P. Gravina teſtatur narratum ſibi eſſe à fide digno, quendam hujuſmodi viſionarium dixiſſe viro eximio, quod non moreretur ex illa infirmitate; mortuus tamen eſt non ſine gravi animæ periculo, eò quod ita fiderit verbis illius ſanctuli; ut vix domui & conſcientiæ jam morti vicinus conſulere potuerit.

Regula 28. Revelationes non ſunt applicandæ ad reſolvendas quæſtiones philoſophicas, Theologicas, aut Hiſtoricas inter Doctores controverſas. Hanc regulam inſinuat P. Gravina P. 2. L. 2. C. 5. his verbis: obſervandum, ut non ſolùm non doceatur aliquid regulis fidei repugnans, ſed etiam ne aliquid dicatur præter regulam fidei, ut faciunt illi, qui plures quæſtiones, quas Doctores inter ſe nondum veritate eliquata in controverſiam adducunt ſalva fidei compage, conantur inter dogmata collocare, putantque res non definitas divinis

divinis revelationibus ſolvere, ut, an cœli decem ſint, vel plures, & alia ejusmodi de quibus ſit mentio apud SS. Auguſtinum & Thomam. Ratio autem eſt, quia Deus non ſolet revelationibus ſervire curioſitati hominum in rebus ad fidem aut ſalutem animarum ac Religionis cultum non pertinentibus.

Regula 29. Revelationes, quarum objecta non congruunt divinæ ſapientiæ, recipiendæ non ſunt. Patet, quia non eſt opus aliquod vacuum ſapientiâ divinâ. Hinc, ut P. Gravina L. CC. exemplificat, ſi quis diceret, ſibi revelatum, quod totus mundus movebitur motu recto; vel quod aliquis creabitur, qui mox ſit annihilandus, talia deliramenta eſſent prorſus abjicienda.

Regula 30. Revelationes, quarum objecta ſunt curioſa, aut inutilia, recipiendæ non ſunt. Ratio eſt, quia ſcriptum eſt: *Ego Deus docens te utilia.* Hanc regulam P. Gravina L. CC. deducit ſequentibus verbis: Quare, inquit, interdum peccatur à multis impoſtoribus tam maribus, quàm fœminis, quæ de ſtatibus animarum pronuntiant, num ſint in purgatorio, vel jam à pœnis abſolutæ, num ſint in cœlo, vel in tartareis abyſſis, & num ſint hæ de hac infirmitate convalituræ, num deducendæ ad pœnas mortis. Revelavit Deus multa ejusmodi cum expedire judicaverit; ſed modo hæc ſæpe finguntur ad lucra, & gloriolam captandam, foventque potius humanam curioſitatem, quàm aliquod reportetur emolumentum. Si enim animæ proferantur è purgatoriis pœnis ereptæ, illico præſentes vel amici inani fiducia pleni à ſuffragiis exhibendis ceſſant, & in executione teſtamentorum fiunt negligentes, ſi executionem tanquam non neceſſariam dijudicant. Quibus verò vitæ mortalis dilatio repromittitur, adeo ſocordes fiunt de diſpoſitione animæ pro futura vita, ut nihil cogitent de illa. Multæ aliæ perſonæ fingunt ſe habere revelationem de occultis, nempe hanc vel illam perſonam

Digitized by Google

eſſe in peccato, & multoties nihil aliud reportatur, quàm confuſio vel infamia proximi, & curioſitatis nutrimentum, cum hoc donum diſcretionis ſpirituum & cogitationum cordis detur à Deo paucis prudentibus taciturnis ad utilitatem. Temporibus noſtris vidimus detectam pro hæretica Juliam quandam, quæ tantæ erat exiſtimationis & famæ ſanctitatis, ut multi vererentur accedere ad illam conſulendam, niſi prius ſacra exomologeſi peccata expiarent. Qui effectus non illi fatidicæ diabolicæ tribuendus, ſed divinæ bonitati malis utentis ad bonum, & devotioni fidelium reverentium, quos putant ſervos Dei, qui etſi in individuo deciperentur, non decipiebantur in univerſali æſtimatione ſervorum Dei. Sic ille. Quare, niſi ex aliis indiciis demonſtretur veritas revelationis, qua demonſtrata ſupponenda utilitas, rejiciendæ ſunt tales revelationes.

Regula 31. Ex circumſtantia loci vel temporis non poteſt ſumi certa regula pro adſtruenda vel improbanda revelatione. Ratio eſt, quia & fiunt illuſiones dœmonum de die, & in Eccleſia. Jobi 1. legitur dœmonem adſtitiſſe in conſilio bonorum angelorum; Chriſtum ſuſtulit in pinnaculum templi, eidemque ſuggeſſit falſam revelationem. Et ſupra ex Rusbrochii vita C. 5. relata eſt hiſtoria de muliere, quæ duobus dœmoniis ſtipata accedebat ad percipiendam Euchariſtiam.

Regula 32. Ipſa multiplicitas revelationum alicui perſonæ facta ſuſpecta eſto. Ratio eſt, quia non videtur congruum divinæ ſapientiæ, multiplicare in immenſum revelationes, nulla apparente neceſſitate. Hanc regulam perſequitur *P. Gravina* P. 2. L. 3. C. 2. his verbis: Congeminatæ in diverſis temporibus eædem vel aliæ revelationes diligenter expendendo, ne multiplicitas earundem ſine neceſſitate magnam ſuſpicionem

cionem generet, præſertim ſi revelationes iſtæ reſpiciant ea, quæ alioqui ingenio & induſtriæ humanæ ſtudiis comparari poſſunt. Accedit, ut doctè Gerſon de probatione ſpirituum obſervat, cum ſemel loquatur Deus & idipſum non repetat, onerosum ac vanum eſſe, reiteratas diverſis temporibus maxime circa idem objectum in immenſum viſiones ſuper viſiones multiplicare. Non ſic procedit fides noſtra, ait idem, quam Deus ſub pauciſſimis Sacramentis, & præceptis concludi voluit in comparatione veteris legis, ne, ut illa, appareret lex gratiæ magis oneroſa. Certè, addit idem, non eſt veroſimile, has reiteratas & multiplices revelationes à Deo proficiſci, quia omiſſa ſacrarum ſcripturarum lectione, doctrinaque Sanctorum magis ſe converterent homines ad has viſiones audiendas, eò placentiores, quo recentiores, & curioſos oculos, aureſque prurientibus magiſtris exhiberent; ita quæ magis neceſſaria ſunt, neſcirent, quia, ut ſcripſit Seneca, ſupervacua didiciſſent. Unde concludit tandem ſapienter. Inde perſpicuum eſt, quàm neceſſarii ſint Theologi in Canonizationibus, & examinatione doctrinarum; addo & Revelationum. Hucusque P. Gravina.

CAP.

CAP. IV.

Regulæ Practicæ ex Joan. Gerſone Cancellario Pariſienſi.

R*Egula* 1. Nullius perſonæ revelationes ſine indiciis aliunde certis ſunt recipiendæ tanquam indubitatæ ante ejus mortem. Ratio eſt, quia dœmon poteſt longo tempore immittendo mille ſanctiſſimas doctrinas hominem fallere, ut tandem inter mille veritates immiſceat unam falſitatem, eamque in authoritate conſtituat; aut certè ut ea falſitate deprehenſa obtineat lucrum ex ſcandalo. *Gerſon. Tr. de Diſtinctione verarum & falſarum Viſionum* ſic diſcurrit; Debemus præcipuè in examinatione ejusmodi viſionum non præcipitare ſententiam, ſed uſque ad pleniſſimam examinationem ſuſpenſum tenere judicium, maximè niſi falſitas, aut fatuitas cognata falſitatis aperta ſit. Ubi verò nihil falſum aut delirum primo aſpectu conſpicitur, non ſolùm explorare convenit, quæ facta ſunt, ſed exitum exſpectare. Nam promittit aliquando dœmon veritates plurimas, & poſt temporis tractum quando perſuaſit hominibus, tunc id quod fallit ſubminiſtrat; & hoc vel ad deceptionem perſonæ ſingularis; vel ad impugnationem miraculoſarum operationum noſtræ Religionis, quibus fides innixa ſubſiſtit; vel ad vituperium totius devotionis; aut ad ſcandalum verbi divini. Etenim dum cadit unus, quem antea magni eſſe nominis talium revelationum fama vulgavit, irrident ipſi deinceps ſæculares ſæculariter viventes unumquemlibet, qui religioſa ſimplicitate vitam agere decreverit; appellatur confeſtim illuſor & illuſus, clamatur phantaſticus, exſibilatur papelardus, begardus, & ſic occaſione accepta irridetur juſti ſimplicitas. Sed & ſimplices per

per talia palam decepti aut vix aut nunquam poſſunt ad viam veritatis reduci, quoniam nec audiunt Clericos, quos hypocriſi, invidia, & malignitate laborare credunt; neque emendantur per Laicos, quos ignorantes ut ſeipſos eſſe cognoſcunt.

Regula 2. Nullius perſonæ revelationes ſine indiciis aliunde certis tanquam indubitatæ recipiendæ ſunt, niſi prius examinatis ejus omnibus actis, dictis, & ſcriptis usque ad mortem. Patet ex Regula præcedente; quia dœmon quandoque longo tempore inculcat vera, ut aliquando perſuadeat falſa.

Regula 3. Revelationes veræ à falſis non niſi per notitiam quandam experimentalem propriam certò dignoſci poſſunt.

Regula 4. Itaque ſi ipſa perſona, quæ habet revelationes, de illis dubitat, aut timet ne fallatur à dœmone, veritas earum revelationum ab aliis ſine indiciis aliunde certis ut certa comprobari non poteſt. Hæc regula oſtenditur â Gerſone ex eo, quia ut ſomnia imitantur in omnibus actiones vigilantium, nec niſi per notitiam experimentalem vigiliæ à vigilantibus diſcerni poſſunt, ita etiam viſiones falſæ imitantur veras, nec niſi ſpeciali illo lumine dignoſci poſſunt. *L. CC. ſigno* 4. ſic habet: In caſu, quo revelatio bonis moribus obviaret, niſi divina diſpenſatio interveniret, revelatio angelica ſive prophetica taliter circumſtantionata esse debet, quod revelationem accipienti vel eis, pro quibus fit revelatio, de ea dubitare non liceat. Oportet enim, ut tam clare cognoſcatur revelatio eſſe à Deo, quàm clarè ſcitur, aliquid ſcripturæ ſacræ aut rationi conforme. Et in hoc caſu maxime neceſſarium eſt donum, quod diſcretionem ſpirituum vocamus.

Digitized by Google

mus. Quæres, quid agit hoc donum, quod diſcretionem ſpirituum juxta Apoſtolum appellamus? Agit equidem, ut ſapore quodam intimo, & illuminatione quadam experimentali ſentiat homo differentias inter veras revelationes & deceptorias illuſiones. Hoc tradit B. Gregorius in Dialogo. Hoc idem de ſeipſo B. Bernardus in ſuis miraculis fatetur. Sentiebat enim, & ut ſic dixerim, guſtabat interno quodam afflatu & odore, quando ad faciendum miracula ſibi virtus aderat, utpote, ad ſanitates operandum: quemadmodum de Chriſto dicit Evangeliſta, quod ſenſit virtutem de ſe exiſſe, dum ſanata eſt mulier ex contactu fimbriæ veſtimenti. Auguſtinus quoque refert in ſuis Confeſſionibus, matrem ſuam iſto modo inter veras & falſas nocturnæ quietis imagines & viſiones diſcreviſſe. Cum igitur regula univerſalis aut doctrina certa & infallibilis nequeat tradi ſuper hac materia de diſcretione ſpirituum, aut de revelationum veritate, cum iſta res plus in experientia, & conditionum particularium, quæ infinitæ ſunt, concurſu quàm in arte verſetur, videamus ſimilem in re pari, immo longe faciliori difficultatem. Petamus ab aliquo dari nobis ſub arte & doctrina univerſali, per quam ſciri poterit evidenter de ſeipſo vel alio ſemper, quando ſomniis illuditur, aut veris vigiliis exercetur. Attende inprimis, quod viſiones ſomniorum plerumque diſcurſivæ ſunt, rationales, & ſuper ſe reflexæ. Nam quærit homo ſi ſomniat; utrinque inſuper arguit; & tandem deliberatè concludit, quod vigilat. Adde, quod tanta eſt ſomnii ad vigiliam propinquitatis ſimilitudo, ut hæſitet homo etiam vigilans ac viſa ſecum retractans, ſi tunc vere dormiebat. Interroga jam aliquem de vigilantibus, quomodo ſcit, an vigilat? reſpondebit; bene ſcio. Perſiſte, & dic: quomodo bene ſcis? nullus reſponſioni alius erit exitus niſi ut dicat: certè ſcio, quia ſic experior. Nil allegare valebit præter ſolam experimentalem notitiam ipſius vigiliæ, quæ valde diſpar eſt à ſomniis, fortior ſcilicet atque lucidior, per quam non opinatur, ſed ſcit ſe vigilare. Trans-

Digitized by Google

Transferatur hæc ſimilitudo ad rem, quæ tractatur. &c. Vide Infra Regulam 14. & 21.

Regula 5. Revelationes, quæ recedunt à principiis, & conſuetis modis divinæ ſapientiæ, non ſunt adſcribendæ Deo. Ratio eſt, quia revelationes non ſunt tantum effectus divinæ omnipotentiæ, ſed etiam ſapientiæ, quæ in ſuis effectibus reſplendere debet.

Regula 6. Hinc ſi modus revelationum recedit à legibus prudentiæ humanæ, quando magis repugnabit legibus ſapientiæ divinæ! Utramque hanc egulam declarat *Gerſon L. CC.* his verbis: Aliqua in revelatioibus ſic ſe habere poſſunt, ut quamvis non ſint palam & directè ontraria divinæ omnipotentiæ, quin abſolutè poſſint fieri; ſunt ihilominus refellenda tanquam inania & fatua, & divinæ ſapieniæ incongrua, quemadmodum ſi quis diceret, ſibi eſſe revelatum, uod totus mundus movebitur cras motu recto; quod unus anelus annihilabitur, poſtmodum recreabitur, non adducendo aliam tilitatem. Item, quod quilibet Prælatus debet nudus incedere, bajulare crucem ſuper ſuos humeros; aliàs tota peribit Eccleſia. alia, inquam, velut delira, & divina revelatione indigna ſtatim bjicienda ſunt. Neque enim relucet tantum in divinis operibus otentia, ſed bonitas & ſapientia, quam effudit ſuper omnia oera ejus. Ad hoc refertur, quod antea dictum eſt de narraonibus ſupervacuis phantaſticarum apparitionum & de inutili per is temporis conſumptione. Pro hoc valet quod habemus ex eterminatione Doctorum ſuper illud *Matth.* 4. Si filius Dei es, itte te deorſum. Miraculum ſi pia utilitate aut neceſſitate careat, facto ſuſpectum eſt, aut rejiciendum; ſicut fuiſſet, Chriſtum lare per aëra; & ut communiter ſunt omnia magorum ſacrilega æſtigia. Fuit noſtris temporibus mulier in talibus famata re-

Digitized by Google

velationibus, quam hoc ſignum, niſi fallor, deliraſſe convincit.

Regula 7. Revelationes perſonæ, quæ aut per ſuperbam curioſitatem, aut ob vanam laudem, aut ob præſumptionem ſanctitatis cupida eſt habendi revelationes inſolitas, cujus ſignum eſt, ſi ſe ejusmodi revelationibus dignam reputet, aut in talibus enarrandis gloriabunda delectetur, aut ſine neceſſitate feſtina illas proferat, contemnendæ ſunt. Ratio eſt, quia ejusmodi diſpoſitio animi eſt valde idonea ad illuſiones dœmonis.

Regula 8. Revelationes perſonæ, quæ non habet ſigna poſitiva conſtantis humilitatis, v. g. repugnantiam ad laudes & reticentiam perpetuam extra caſum neceſſitatis, & actiones proteſtationibus humilitatis conformes, admittendæ non ſunt. Utramque hanc regulam deducit *Gerſon* L. CC. hoc modo, *Signo* 1. Si aliquem cognoveris, inquit, qui per ſuperbam curioſitatem, & vanam laudem, atque præſumptionem ſanctitatis cupidus ſit habere revelationes inſolitas, qui ſe dignum iſtis reputet, qui in talibus de ſe enarrandis gloriabundus delectetur, ſcito, quoniam illudi meretur; neque magnipendas, ſi aliquam habuiſſe revelationem jactanter affirmet. Deeſt enim humilitas. De ſanctis Patribus habemus narrationes plurimas ſuper tanta humilitatis obſervatione. Cuidam ex Patribus dœmon apparuit transfiguratus non ſolùm in angelum lucis, ſed in Chriſtum; dixit ſe ad hoc veniſſe in mundum, ut ab hoc Patre videretur & adoraretur. Cogitabundus aliquamdiu manſit iſte ſanctus Pater inſtar Mariæ virginis, & cogitans, qualis eſſet iſta ſalutatio dicebat

>at intra ſe; Nunquid non adoro quotidie Chriſtum? quid ſibi /ult talis apparitio? Et ad humilitatem illico confugiens, ait ad dœmonem: Vide, ad quem mitteris; non enim dignus ſum, hìc /idere Chriſtum. Quo dicto tam humili dœmon confuſus & >udibundus abſceſſit. Alius Pater clauſit oculos in re ſimili; Noo, inquit, videre Chriſtum in terris; illum in cœlis videre conentabor. Et B. Martinus ex ſuperbo dœmonis ornatu falſitatem oquelæ diaboli, qui ſe Chriſtum dicebat, agnovit. Eſt igitur iominibus ſaluberrimum conſilium contra tales dœmonum illuiones pondus humilitatis obſervare, ſe reputare intellectu pariter & affectu indigniſſimum, qui ſuper alios homines revelationem .ccipiat, qui præ aliis à Deo mirabiliter viſitetur; & ſi quæ talia ıræter ſolitum evenire circa eum contigerit, rejiciat à ſe cum ſanto, humili, verecundoque pudore. Deputet talia vel læſioni ıropriæ phantaſiæ, & ſe habere aliquid ſimile phreneticis, & maiacis, aut melancholicis reformidet; vel caveat, ne propter enornitatem præcedentium peccatorum datus ſit in reprobum ſenſum, ıt talibus illuſionibus ſeducatur. Si talia ſint diaboli machinaıenta, ex humilitate hujuſmodi evaneſcent; aut ſi velit Deus, ıuod in his tolerandis exerceatur, non nocebunt. Si verò ſit diina revelatio, non ficta humilitas piè renitens, magis præparabit ɔcum ad ejus ſuſceptionem, & audire merebitur, aſcende ſupeius, quanto in loco plus infimo recumbere conabitur. Habes ı Exodo, quoties Moyſes à ſe repulit divinam juſſionem, dum d Pharonem mitteretur, obſecro, inquit, Domine, mitte, quem ıiſſurus es. Et Jeremias clamat: A, a, a, Domine Deus, neſcio ɔqui; quia puer ego ſum. Si quis objecerit, quod Apoſtolus ıas revelationes jactanter aperuit & promulgavit; reſpondent ſanti Doctores, inter quos Chryſoſtomus; aliud eſt, inquiunt, ex quaam neceſſitate vel habendi conſilii, vel ad utilitatem audientium :cretas gratias ſuas aut virtutes ſuas prodere; aliud ſine quavis ıa aut aliorum utilitate talia per inanem gloriam ventilare. Unde

de Maria Virgo, quæ conſervabat omnia verba conferens in corde ſuo, poſtmodum Apoſtolis præſertim Lucæ ſacra myſteria ſibi ſoli credita diſſeruit, non ad jactantiam, quia non tamdiu tardaſſet, cum omne vitium præceps ſit, ſed ad Eccleſiæ Religionisque ædificationem. Quin etiam devotus Bernardus, qui toties juſſit, ut homo virtutes ſuas plus abſcondat etiam familiariſſimis & devotiſſimis, quàm alii vitia ſua occultare ſatagunt, pluries de ſuis donis & gratiis per contemplationem adeptis palam nedum loqui ſed ſcribere, non eſſe ſuperbiam arbitratus eſt. Quo pacto? quoniam hoc agere non compellebat vanitas ſed charitas; & jam in humilitatis terra radicem virtutis, ne jactantiæ aura velleretur, altè demiſerat. Hæc charitas & ædificationis neceſſitas à præſumptionis ſuſpicione B. Paulum abſolvunt, quia propter ſubintroductos falſos apoſtolos, qui glorioſos ſe monſtrabant, authoritatis ſuæ pondus coactus eſt propalare. Eſt igitur non quælibet manifeſtatio revelationis ſibi factæ arrogans vel ſuperba, ſed ea tantummodo, quæ fit inaniter, vanè, & absque fructu ædificationis vel conſilii, ſed fit ad exonerandum tumorem animi, & ad ſcalpendum prurientes aures adſtantium curioſa hujusmodi narratione vanitatum. In ſæcularibus actibus laudare ſe poteſt homo ſine culpa, dum ſuæ defenſionis urget neceſſitas; Sic Tullius perorando, ne pelleretur in exilium, conſervationem civitatis romanæ à ſe factam, aliaque egregia opera ſui Conſulatûs commemoravit. Sic Scipio Africanus triumphum, quem de Carthagine ſubjugata reportarat, in defenſionis ſuæ patrocinium contra accuſatores ſuos allegavit; & uterlibet absque imputatione ad jactantiam. Sic & reperies, quod parentes Joannis Baptiſtæ non garrula & vana curioſitate ſuper nomine pueri revelationem ſibi factam vulgaverunt; illam dicere extorſit ſola neceſſitas, dum in circumciſione puer nomen eſſet accepturus. Addendum tamen eſt, quod vult Gregorius in Dial:, humilitatem veram non eſſe pertinacem, ſed obtemperantem cum tremore; & planè non humilitas, ſed ſuperbum

ıum eſt indicium de ſua æſtimatione, ſiquis prætendendo humiliatem contemnat Prælatum aliquid operis ardui præcipientem; ıecque enim hoc ageret, ſi non eſſet ſapiens in oculis ſuis.

Regula 9. Si revelationes non ſint ad utilitatem, & perſona ſit adhuc in ſpiritu novitia, habendæ ſunt pro falſis. *Gerſon* L. CC. ſic habet: Ea nanifeſtatio revelationis eſt arrogans, ſi fit vane absque fructu edificationis. Si non aliud afferret hæc loquacitas incommodum, ıbunde illud eſt, quod rei inappretiabilis videlicet temporis fit conſumptio. Quapropter non parum ad rem attinet, ſi res, de qua fertur eſſe revelatio, ſit utilis ad mores, ad Rempublicam, ad divini cultus honorem & augmentum, aut ſi ſit ſupervacuis rebus ſeu narrationibus immixta. Refert denique plurimum, ſiquis novitius ſit in exercitio virtutum, aut veteranus, quoniam virtus, dum incipit, leviſſimo flatu confellitur; inveterata autem ſua ſtabilitate nixa conſiſtit.

Regula 10. Revelationes perſonarum, in quibus concurrit tenacitas proprii judicii cum indiſcretione jejuniorum & vigiliarum, non ſunt recipiendæ. Ratio eſt, quia in iis, qui ſequi ſolent ductum proprii judicii, & ſimul dediti ſunt extraordinariis jejuniis, ac vigiliis, dœmon reperit aptas diſpoſitiones ad illuſionem. *Gerſon* L. CC. *Signo* 2. ſic habet: Si videris aliquem incedentem via regia, qui non vult ambulare in magnis & mirabilibus ſuper ſe; ſed medio quodam tenore regulas vivendi ſequitur à patribus inſtitutas, nec transgreditur fines, quos patres ſui poſuerunt, de tali noli credere leviter, quod fallatur per dœmonum illuſiones, quem & credere conſilio, & in omnibus obſervare moderamen diſcretionis perſpexeris. At verò ſunt alii, quibus placet, propria ſententia duci, & ambulant in adinventionibus ſuis, impellit eos propria

propria opinio; jejuniis ſupra modum ſe macerant; protendunt vigilias; lachrimis plusquàm oportet cerebrum turbant & extenuant; & inter hæc nullius credunt monitis; conſilio neminis acquieſcunt, ut temperatius ſe habeant; Doctores præterea & in lege peritos audire aut conſulere non curant, & conſultos ſpernunt; nimirum quia magnum jam aliquid eſſe perſuaſerunt ſibiipſis, & quid eos agere conveniat, plus omnibus ſapere arbitrantur. De talibus pronuntio, quia cito prolabuntur in omnem dœmonum illuſionem; cito impingunt ad lapidem offenſionis, quia cœca præcipitatione & nimia velocitate rapiuntur; propterea quidquid de inſolitis revelationibus pronuntiaverint, habeto ſuſpectum. Pauci ſunt menſes, dum eram Atrebati, audivi de quadam muliere conjugata & habente liberos, quod aliquamdiu per duos dies, nonnunquam per quatuor & amplius manebat ſine cibo; erat proinde multis admirationi. Feci, ut loquerer cum ea, examinavi eam multis ſermonibus; reperi hanc abſtinentiam non ſobrietatem, ſed vanam ſuperbamque pertinaciam: nam & poſt tale jejunium dira fame excruciata inexplebili voracitate comedebat. Nullam inſuper afferebat ſolidam cauſam, quare ſic ageret, niſi quod ſe indignam dicebat, quæ pane veſceretur. Fatebatur præterea; neque à Confeſſore ſuo, neque ab alio ſe habere hanc vivendi regulam. Nam à dimidio anno & amplius nullius habebat Confeſſorum vel abſolutionem vel conſilium. Expavi fateor, & exhorrui; diſſimulans tamen cœpi oſtendere, dœmonis hos eſſe laqueos, & eam periculo inſaniæ vicinam eſſe; nam & erat vultu attonito, & color ſimilis jamjam morituræ videbatur. Petebam, ſi ſciret aliquos, quorum authoritas, & fides, majoris eſſent ponderis & reputationis apud eam, quam propriæ æſtimationis judicium? Reſpondit illico ſuſpirabunda & gemens, demiſſis humi oculis, ſe miſeram, ſe peccatricem, ſe indoctam plus omnibus & inſciam. Subintuli, ſi verè ita de ſe ſentiret, quo pacto ſine cujusquam alterius conſilio tam inſolitam, & ab aliis ſanctioribus

ibus & fortioribus non obſervatam abſtinentiam ſequeretur? Cœpit neſcio quas reſponſionum ambages volvere; & poſſidebat mentem ejus quædam arrogantia, qua ſe victam erubeſcat confiteri. Tandem eam monui, ut fatuam hanc deſereret jejunandi obſtinationem, & absque peritorum conſilio nihil ſingulare, & ab aliis inobſervatum ſequeretur. Non reſpondit ad hæc. Diſceſſi; & quid poſtmodum egerit, ignoro. - Itaque ad par exitium vergunt abſtinentia nimia, & crapuloſa voracitas, niſi quod irremediabilior eſt exceſſus in abſtinentia. Morbos enim affert incurabiles, ex læſione cerebri & rationis perturbatione, quo fit, ut per maniam aut furiam, aut cæteras paſſiones melancholicas ſic profundantur & intimè radicantur phantaſmata, interius reſervata in cerebro, quod eſſe reputantur veræ res extrinſecus apparentes, & audire ſe putat homo, videre, vel tangere, quod nullo ſenſu exteriori percipitur. Pleni ſunt medicorum libri portentoſis ejusmodi apparitionibus, & judiciorum corruptionibus, ex læſione virium interiorum naſcentibus. Advertendum tamen diligenter, quod hominum diverſæ ſunt gratiæ, tum ex naturali bonitate complexionis, tum ex dono illius, qui dividit ſingulis, prout vult. Quocirca fieri poteſt, quod absque culpa & nota indiſcretionis arripiat unus modum vivendi auſteriorem, qui non omnibus conveniret.

Regula 11. Revelationes, in quibus à perſpicacioribus Theologis reteguntur aliqua, latenter obviantia Scripturæ ſaltem probabilius, rejiciendæ ſunt. Ratio eſt, quia Dœmon ſat lucratur, ſi inter mille & mille pulcherrimas veritates immiſceat latenter vel unicum errorem, ſic ut non apertè incurrat in oculos quorumvis Theologorum. *Gerſon* L. CC. *Signo* 4. ſic diſcurrit: Quartum ſignum genuinæ revelationis eſt veritas. Sicut enim moneta falſa eſt, ſi in aliquo vel minimo puncto denarius in ſua configuratione diſcrepet, ita & reve-

revelatio, ſi diſcrepet à Scriptura. Attamen tanta eſt nonnunquam ſimilitudo denarii falſi ad verum, ut vix niſi à doctiſſimis poſſit falſitas deprehendi; quia inter tot veritatis lineas ad fraudem poſitas non ſtatim unus falſitatis punctus ſe aperit. Viſi ſunt hæretici, qui magnos Catholicæ Doctrinæ compingebant libros, ut ſolam hæreſin inter tot veritates latenter insererent, & cautiori efficaciorique fraude publicarent. Hæc res indicat, ex quanta neceſſitate talis moneta revelationum inſolitarum debeat à Theologis, priusquam admittatur, examinari, quorum præcipuè intereſt, inter veram falſamque religionem, moresque concernens, diſcernere.

Regula 12. Etiam intentiſſima affectio amoris erga Deum non eſt infallibile ſignum, revelationem, ex qua illa cauſatur, eſſe à Deo. Ratio eſt, quia hujusmodi affectio etiam nonnunquam oritur ex principiis naturalibus, & reperitur ſubin in perſonis manifeſtè ſeductis. *Gerſon.* L. CC. ſic diſcurrit: Quintum ſignum eſt charitas, ſeu divinus amor. Hoc ſignum non ſtatim ſufficiens eſt propter fucatum colorem vanæ & carnalis dilectionis. Siquidem expertum eſt, mulierculas quasdam fuiſſe, quæ circa Deum vel alios viros ſanctos magis afficiebantur dilectione vitioſa ignoranter, quàm vera, ſancta, & ſincera charitate moverentur. Et de Idololatris conſtat, quia Deum diligere ſe licet errantes exiſtimant. Quocirca ſcripſit quædam devota mulier, nihil ita ſe habere ſuſpectum, ſicut dilectionem, & plus quàm diabolum, etiam dum circa divina & perſonas probatæ ſanctitatis verſatur. Hoc non muliebriter traditum eſt, quoniam paſſio ſeu motio quanto vehementior, tanto præcipitatio facilior invenitur & regi difficilior. Amplius hanc ob cauſam videntur inter cæteras erraſſe Begardi & Begardæ ob indiſcretam dilectionem, nomine devotionis palliatam. Argumentum hujus rei eſt in quodam libello, incredibili pene ſubtilitate ab una fœmina compoſito, quæ Maria de Valentianas dicebatur.

Digitized by Google

›atur. Hæc agit de prærogativa & eminentia dilectionis divinæ, ıd quam ſi quis devenerit, ſit ſecundum eam ab omni lege præ-:eptorum ſolutus. - Et certe amor inter omnes animæ paſſiones nagis penetrativus eſt, & alienativus. Si verus eſt & caſtus, & ànctus, juvat incogitabiliter ad cogitandum cœleſtia. Si verò ıut vanus ſit, erroneus, aut libidinoſus, varias ſibi format illuſio-ıes, ita ut credat videre ſeu cogitare quæ prorſus ignorat. Si ›rædicta Maria non de viatoribus, utique ligatis ad præceptorum livinorum impletionem, ſed de ſtatu beatorum dilectionem, quam ċribebat, applicaſſet, vix altius quidquam de divina fruitione ıuoad aliqua dici potuerat, ſed fallebat eam tumiditas animi ›aſſioni dilectionis immixta. Putabat igitur ſe frui Deo, dum 'igebat ea paſſio fortis circa Deum in ejus animo, quantumcunque . divinis præceptis longè eſſet.

Regula 13. Eadem perſona, quæ habet ali-ıuando veras revelationes, poteſt alia vice illudi. *Gerſon* L. CC. ſic habet: Non eſt prætereundum, quod eadem ›erſona, ſicut nunc poteſt eſſe bona, & ornata charitate, nunc leclinare in vitium, & rurſus à malitia in juſtitiam converti, ſic ›oſſibile eſt, eandem perſonam nunc veris revelationibus viſitari, ıunc fatigari vel tentari falſis illuſionibus. Nam & Prophetæ no-tri, ut David, Eliſæus, & Nathan, non ſemper ad nutum præſto ıabebant ſecundum Gregorium & Hiſtoriam propheticum ſpiri-um. Unde Nathan ex frequenti uſu propheticæ viſionis credidit ›ropriam æſtimationem eſſe revelationem, dum ipſi David quæ-enti de ædificatione templi reſpondit; *Fac, quæcunque habes in orde tuo, Dominus tecum eſt.* Valet hoc exemplum ad ea, ıuæ de uſu dilectionis divinæ prætacta ſunt. Quamobrem qui ı talibus exiſtimant ſe proprio ſenſu, arte vel induſtria diſcernere, ideant ne errent, quoniam ſi præſumptionis ſpiritus obrepſerit, ıbintrabit facile vanitas illuſionis.

Digitized by Google

Regula 14. **Certitudo de veritate revelationis ſolùm poteſt haberi per aliquod ſupernaturale lumen.** *Gerſon* L. CC. dicit: Cave, ne inferas, tanquam nulla ſit aut fuerit in ſanctis revelationibus certitudo. Sicut Apoſtolus de revelatione ait: *Scio hominem* &c. Habetur ſanè certitudo, ſed à divino lumine, non humana ſolùm inveſtigatione aut æſtimatione. Sicut non ſequitur; datur deceptio & illuſio in judicando de ſomno & vigilia; igitur nulla eſt de vigilatione certitudo, nullaque adhibenda vigilantibus fides indubia. Vigilabant ſancti in divino lumine; nos peccatis obruti plerumque portenta vitiorum aut illuſionum ſomniamus. Novi hominem, qui poſt multum tentationis involucrum ſuper uno ex fidei articulis in tantam ſubito lucem veritatis & certitudinis introductus eſt, ut nullæ prorſus reſiderent dubietatis reliquiæ, nulla facillatio, ſed ſerenitas multa jubente eo, qui fluctibus imperat. Addebat, quod non ex ratione aliqua ſicut tunc ſe interrogabat & optimè meminit, ſed ex ſola humiliatione & captivatione intellectus in obſequium fidei & omnipotentiæ Dei iſtud meruerat, ut non amplius dubitaret de illa fide, quam de exiſtentia. Quærebat rationem tantæ ſolididatis & pacis in credendo; nihil aliud reperiebat, niſi quod ſic experiebatur. Non credent fortaſſis mundani ſapientes, tales fieri illuminationes; quoniam veriſſimè pronuntiatum eſt per prophetam: *Illuminas tu mirabiliter à montibus æternis; turbati ſunt omnes inſipientes corde.* Hucusque Gerſon. Addo meipſum intimè noſſe virum quendam à juventute eruditionis ſtudioſum, cui fermè ſimillimum contigit, & in quo ille infuſus habitus æquali ſemper effectu jam per Dei gratiam perſeverat ultra viginti quinque annos.

Regula 15. **Revelationes etiam ab Eccleſia approbatæ non eoipsò carent omni illuſione aut falſitate.** Ratio eſt, quia intentio approbantium non eſt, ut decla-

leclarentur ejusmodi revelationes carere omni falſitate, ſed quod ca-'eant falſitate noxia, ſaltem aperta; aut quod contineant doctri-ıas utiles, utut permixtas propoſitionibus dubiis, aut etiam falſis. *Gerſon Tract. de examinatione doctrinarum Part. 1. Conſid. 1.* ic habet: Proteſtamur inprimis, nihil nos fore dicturos favore 'el odio, ſed tanquam in articulo mortis poſiti coram judice Deo 'olumus cautelas inſinuare contra falſas prophetias ſuſpectasque loctrinas maximè diebus iſtis malis. -- Attendendum multipli-:em eſſe doctrinarum per Eccleſiam ſeu concilium approbationem. Quædam approbantur ut certitudinaliter, vere, neceſſariòque cre-lendæ. Quædam, ut utiles ad moralem, religioſamque doctri-ıam ſine mixtione falſitatis noxiæ, non tamen ſunt ſic, ut cre-lantur obligatoriè, ſed dicuntur de pietate fidei. Quædam verò 'olùm permittuntur ut legantur, non quin ſint mixtæ falſitates, 'ed habent aliunde plurimas utiles doctrinas, ſicut ſunt ſcripta mul-:orum Doctorum. Ita Gerſon.

Regula 16. Revelationes doctrinales, quæ pro-bari non poſſunt ex Scriptura & traditione inde-pendenter à revelatione, rejiciendæ ſunt ad minimum ut ſuſpectæ, aut ut impertinentes ad Religionem. Ratio eſt, quia in materia dogmatis nihil ponitur novi quoad ubſtantiam. *Gerſon* L. CC. Part. 2. *Conſid.* 1. ſic habet: In e-xaminatione doctrinarum attendendum eſt principaliter, ſi do-ctrina ſit conformis Sacræ Scripturæ tam in ſe, quàm in modo :raditionis. Declaratur ex authoritate Dionyſii dicentis: *Nihil udendum dicere de divinis, niſi quæ nobis à Scriptura Sacra tradita ſunt.* Cujus ratio eſt, quoniam Scriptura nobis tradita eſt tanquam regula ſufficiens pro regimine totius Eccleſiaſtici corporis & membrorum usque in finem ſæculi. Eſt igitur talis regula & exemplar, cui ſe non conformans alia doctrina vel ab-jicienda eſt ut hæreticalis aut ſuſpecta, aut impertinens ad Reli-

gionem prorſus eſt habenda. Hic *Gloſſa* quædam ſuper illud: *Apparuerunt Moyſes & Elias loquentes cum Jeſu*, ait: Suſpecta eſt omnis revelatio, quam non confirmat Lex & Prophetæ cum Evangelio; alioquin deluſiones dœmonum, aut potius proprii capitis phantaſiationes, quàm revelationes habeantur. At verò dicet aliquis; quod à principio Eccleſiæ dentur usque nunc ſalubres doctrinæ tam verbis quàm ſcriptis inſertæ, quas Scriptura Sacra non continet. Immo continet, reſpondemus, ſecundum aliquem gradum veritatum catholicarum, quos gradus alibi explicavimus.

Regula 17. Revelationes doctrinales, quæ introducunt novum modum loquendi & terminos non uſitatos à Doctoribus Eccleſiæ, admittendæ non ſunt. Ratio eſt, quia in myſteriis fidei non ſolum fugienda eſt novitas doctrinæ, ſed etiam vocum, inquantum non cogit neceſſitas, qualis tamen nunquam datur ad revelationes privatas. *Gerſon* L. CÇ. ſic habet: Prima cautela ſit, nullam recipere doctrinam abſoluto judicio, niſi modis præfatis probatam; & eo magis, ſi ſermo vel modus ſit extraneus à communi ſermone Doctorum, quamvis ſermones graves apparerent morales vel philoſophicæ. Theologizat aliquando dœmon, ait Climacus; & patet in Evangeliis etiam coram JEſu, quem tentare præſumpſit, & dicere: *Scriptum eſt: angelis ſuis Deus mandavit de te.* Nihilominus prohibuit Chriſtus. Cui Paulus & alii ſe conformant, ne teſtimonium quantumlibet in ſuperficie verum acciperetur à dœmoniacis, vel prophetis inſanientibus. Ratio eſt, quia nullum verum bono fine dicunt; & quia continuò aut tandem falſitatem ingerunt, etſi mille præmiſerint veritates. Non eſt enim doctrina fallens, quæ non vera miſceat, ſecundum Bedam. Altera cautela eſt, conferre protinus doctrinam, quæ terminos habet peregrinos, vel ſententias novas & peregrinas ad terminos Doctorum

orum communium & ſententias eorum. Hoc Paulus intellexit ım diceret ad Diſcipulum: *Profanas vocum novitates devita.* oc Auguſtinus; *Nobis*, inquit, *ad certam regulam loqui fas eſt.* oc Hieronymus; *Ex verbis*, inquit, *inordinatè prolatis oritur ereſis.* Hoc cuſtodivit Sacra Facultas Pariſienſis; cujus unum è ultis ſit hoc exemplum: Unus Licentiatus poſuit in Veſperiis; uod Pater ſit *cauſa* Filii, id eſt, Pater generat Filium. Confeım oppreſſum eſt os ejus, neque illi permiſſum eſt ejusmodi terinis uti, licet oſtenderet exponendo ſe verum ſenſum tenere. c Auguſtinus loquens de fato juxta Philoſophorum aliquorum ram ſententiam, quod Deus ſit fatum; *Tene*, inquit, *ſententiam, d corrige linguam.*

Regula 18. Revelationes mulierum præſumenum dirigere ſuâ doctrinâ Clericos, ac Principes, osque docere magiſtraliter velut ex officio haeantur pro valde ſuſpectis; adeoque in dubio ejiciantur. Ratio eſt, quia Deus noluit inſtrui Eccleſiam er Magiſterium mulierum; ſed ſi aliquando per mulieres aliquid velavit, erant actus ſingulares; non magiſterium & officium ſtale. *Gerſon* L. CC. *Conſid.* 2. ait: Sexus muliebris ab Apoſtoa prohibetur authoritate, ne palam doceat; doctrinam intelli- leu verbo ſeu ſcripto nomine ſuo publicatam, maximè ſi erit ad viros, nec qualescunque ſed ſapientes, ſed eruditos, ſed atûs in devotione vel religione præcellentis. Sententia eſt Greorii; præſumptionem eſſe, velle docere ſanctiorem, doctioremque. ulpat *Hieronymus* eos, qui *diſcunt, prob pudor! à fœminis.* uid ſi talis ſexus appoſuerit ambulare in magnis & mirabilibus per ſe; viſiones quotidie ſuper viſiones addere; læſiones quoue cerebri per epilepſiam vel congelationem aut aliam melancoæ ſpeciem ad miraculum referre; nihil denique dicere niſi vice ei ſine medio revelantis; appellare ſacerdotes Dei filios ſuos; docere

Google

docere eos profeſſionem ſuam, in qua nutriuntur aſſiduè, qualiter obedire ſuperiori debeant, etiamſi ille foret diabolus incarnatus. Tales docent, quod illi ſint imperfecti, qui in adverſis dolent; cum tamen nec Maria, nec Paulus, immo nec Chriſtus haud dubiè perfectiſſimi fuerint doloris expertes; immo ſi deſunt pœnæ ſenſus, qualis erat patientiæ virtus? dicit altera, ſe annihilatam fuiſſe pro morula temporis. Altera dicit, quod mirabiliori unione Deus ſibi uniebatur, quàm humanitati ſuſceptæ in Chriſto. Neque tamen per hoc derogamus gratiæ Dei, neque mulierum, quas elegit, privilegiatæ ſanctitati; ſed nobis vigilandum eſt adverſus aſtutias diaboli; & cautela duplex ſumenda eſt. Primò omnis doctrina mulierum, maximè ſolennis verbo vel ſcripto, reputanda eſt ſuſpecta, niſi modis præfatis fuerit diligenter examinata, & multo amplius, quàm doctrina virorum. Patet ratio; quia lex communis, nec qualiſcunque ſed divina eas arcet. Quare? Quia facilius ſeductibiles, quia pertinacius ſeductrices, & quia non conſtat, eas divinæ gratiæ eſſe cognitrices. Ubi ſunt ſcripta tot devotiſſimarum eruditiſſimarumque fœminarum, ſicut Paulæ, ſicut Euſtochium? Certè nulla ſuperſunt, quia nulla præſumpſerunt. Secunda cautela eſt; Conferatur ſtatim doctrina per ſingulas ſententias & verba, ſi ſit conformis ad Doctores approbatos, & ſi ſic; quid addat ad illos in pondere ſententiarum, vel religionis ædificatione, penſetur. Sunt enim doctrinæ quædam habentes folia verborum quaſi ſpecioſiſſima, quæ ſi diſcutiantur, inveniuntur ſimiles ficulneæ, cui maledixit Dominus, quia ſunt ſine fructu; aut pro fructu ut poma Sodomæ reddunt ſolum cinerem, quo turbatur ſenſus, non reficitur affectus, nec tandem illuminatur intellectus.

Regula 19. Revelationes mulierum, etiamſi ſint conformes communi doctrinæ Theologorum, ſi tamen nihil contineant majoris utilitatis, rejiciendæ

Digitized by Google

æ ſunt. Ratio eſt, quia Deus non cenſetur fruſtra multilicare revelationes circa dogmata jam aliunde nota. Ita Gerſon ı Regula præcedente.

Regula 20. Revelationes continentes ſenſum mbiguum, qui trahi poſſit ac vergat in malam artem, non benignè exponendæ, ſed rejiciendæ ınt. Ratio eſt, quia, ſi non dentur alia certa revelationis enuinæ indicia, non datur neceſſitas recedendi ab obvio verboım ſenſu. *Gerſon* L. CC. ſic ait: Notetur, quod ſancti Proıetæ, & Doctores jam univerſaliter approbati recipiunt in ſuis rbis obſcuris & ambiguis interpretationem, qualis non debetur vellis prophetantibus de corde ſuo, aut priusquam conſtiterit, ıaſi de ſuo, quamvis divine.

Regula 21. In illis perſonis, qui aliquando hauerunt viſiones verè divinas, etiam experimenılis notitia ac guſtus non eſt infallibile ſignum, iſionem eſſe verè divinam. Ratio eſt, quia per vicem rememorationem eorum, quæ aliquando ſentiebant, posnt imaginari, ſe actû verſari in eo ſtatu. *Gerſon Tract. de iſcretione Spirituum* ſic habet: Probare ſpiritus utrum ex Deo ıt, contingit multipliciter. Primò per modum artis, ſicut per uditionem Scripturarum. Alius modus eſt per inſpirationem imam ſeu internum ſaporem, ſive per experimentalem dulceıem quandam, ſive per illuſtrationem à montibus æternis, efgantem tenebras omnis dubietatis. Probare ſpiritus, an ex o ſint, per modum artis & per regulam infallibilem pro rticulari caſu aut non poteſt aut vix fieri humanitus; ſed requiur donum Spiritus Sancti quod Apoſtolus nominat diſcretionem rituum; quo dono fit, quod mens non ſolùm in ſe, ſed etiam aliis noſcit, an ſpiritus ex Deo ſint. Nemo autem cognoſcit

certitudine infallibili ea, quæ per ſolam experimentalem notitiam vel ſentimentum interius & ſenſum geruntur in alterius animo. Quemadmodum ergo tradere regulam generalem, quæ diſtingueret inter viſionem ſomnialem & illam quæ fit in vigilia, nullus facile poſſet propter varias ſimilitudines inter utraſque viſiones, multo magis in propoſito. Scit nihilominus homo vigilans ſe certitudinaliter & experimentaliter videre, quamvis non ignoret, ſe in ſomnis habuiſſe viſiones valde vicinas & ſimiles ſuæ vigiliæ, adeo quod ſomnium ſuum narrare ſomniando quandoque videatur. Scit ſimiliter homo ſpiritualis in vigilia verè lucis divinæ poſitus, videre ſe divina, quæ videt, verè ſentire, odorare, & ſapere. Quare? quia vigilat. Poteſt nihilominus recogitare ex ſe vel aliis, quod nonnunquam ponitur in quodam ſomnio naturalis cognitionis aut diabolicæ illuſionis, qui dum ſic ſe habet & quodammodo dormit ad divina, putare poteſt, quod vigilet ad ea, ſicque falli. Vidit hæc *B. Gregorius* aſſerens, ſpiritus prophetarum non ſemper eſſe in poteſtate, vel diſtincta cognitione prophetarum, probans hoc per Nathan, qui ad David cogitandem ædificare Domum Dei reſpondit: *Omne quod eſt in corde tuo, fac; quoniam Dominus tecum eſt.* Cujus contrarium ipſa nocte revelavit Deus.

Regula 22. In probandis vel improbandis revelationibus non convincit unum tantum ſignum, ſed complexum plurium. Ratio eſt, quia complexum plurium ſignorum rariſſime conjungitur cum falſitate. *Gerſon* L. CC. dicit: Probare ſpiritus in alienis perſonis oportet, ut ab operibus ſigna ſumamus. Fallit tamen unum ſignum vel pauca, ſi non in unum plura conglobaverimus. Ita enim tradit Tullius; ita Boethius, ita Ariſtoteles in conjecturali cauſa faciendum.

Regula 23. Perpetuæ viſiones, in quibus nil ſingulare diſcitur, niſi quod continetur in Scriptura,

aut

aut aliis libris, non ſunt à Deo, ſed à phantaſia, aut à dœmone. Ratio eſt, quia Deus non multiplicat revelationes otiosè. Dœmon autem habet ſuum finem, quia occupat homines his objectis, ut avocet à Scripturis, & ut Confeſſarii aliique inſumant tempus in audiendis, legendis, ac diſcutiendis ejusmodi revelationibus. *Gerſon* L. CC. ſic habet: Examinandum, an revelationes excedant communem modum loquendi in Scripturis, vel communem modum intelligendi. Si enim non excedant, fruſtra ponitur revelatio. Quod in Scriptura ſemel locutus eſt Deus, ſicut Job loquitur, idipſum non repetit. Oneroſum quippe eſſet, ne dicam, vanum, viſiones ſuper viſiones in immenſum multiplicatas debere recipere tanquam ab ore Dei prolatas, ac deinde certiſſima fide credendas. Sicque demum noſtra fides noſtraque religio, quam Deus, teſte Auguſtino, voluit contineri ſub pauciſſimis articulis, redderetur plus oneroſa, quàm Lex vetus. Hinc alia ratio ſumitur, quia omiſſo divinarum Scripturarum ſtudio magna pars Chriſtianorum ad has viſiones, ideo placentiores quia recentiores converteret oculos & aures prurientes, ſicque neceſſaria neſcirent, quia juxta Senecæ verbum Supervacua didiciſſent. - Hoc etiam præcipuè conſiderare oportet, ſi ſit mulier, cui fiunt revelationes; qualiter cum ſuis Confeſſoribus converſatur, & Inſtructoribus; ſi collocutionibus intendit continus, ſub obtentu nunc crebræ confeſſionis, nunc prolixæ narrationis viſionum ſuarum, nunc alterius cujuslibet confabulationis. Expertis crede, nominatim Auguſtino, ac Bonaventuræ. Vix eſt altera peſtis vel efficacior ad nocendum, vel inſanabilior. Quod ſi nihil aliud haberet detrimenti, niſi temporis pretioſi latiſſimam hanc conſumptionem, abundè Diabolo ſatis eſſet.

Google

CAP. V.

Regulæ Laurentii Brancati Cardinalis de Lauræa Ord. Min.

R*Egula* 1. Contemplationes ac viſiones eorum, qui docent, aut ſectantur ſequentia erronea principia, ad illuſiones dœmonis referendæ ſunt. *De Orat. opuſc.* 2. *C.* 4. ubi ſic ſcribit. Referam nunc errores circa orationem mentalem.

Primi, qui circa orationem mentalem errarunt, ſunt Evchitæ, qui docebant orationem mentalem faciendam capite verſus umbilicum deflexo; eo enim modo ſe divinam quandam lucem videre, adoremque ſancti ſpiritus concipere, quem per nares efflare deberent.

Alii, ut *Begardi* & *Beguini*, in Concilio Viennenſi damnati inter alios errores docuerunt. Primo: hominem contemplativum ita finalem beatitudinem cum omni perfectionis gradu poſſe in hac vita acquirere, ſicut obtinebit in patria. Secundo: poſſe per contemplationem ad talem gradum perfectionis aſcendere, ut reddatur impeccabilis; & qui ad talem gradum pervenerat, non tenebatur ulla bona opera facere.

Alii, ut refertur in Chronicis Minorum Part. 2. L. 7. C. 26. docebant, orationem mentalem hoc modo faciendam. Homo quoad intellectum alienus eſſe debet ab omni cogitatione rerum corporalium & ſpiritualium; & ſperare ac expectare debet cogitationes illas, quas Deus illi imprimet ac infundet. Quo verò ad corpus, debet rectus ſtare, ſtrictis labiis, quantum poteſt, retinens reſpirationem; & ſtatim ſentire incipiet mutationem aliquam in

in corpore; & interdum non ſentiet anguſtiam; interdum verò prorumpet in magnas voces. At non ſemper eodem modo. Interdum cadet in terram retrorſum; interdum in faciem. Interdum tandem in actus irrationales prorumpet. Et quod, quando corpus tale aliquod patiebatur, ſignum erat, quod homo ille incipiebat contemplari. Interrogatus vir ſanctus, Frater *Ugo Panſiera*, an hic modus orandi bonus eſſet; reſpondit, doctrinam hanc irrationalem ac beſtialem eſſe, & aſſignavit has rationes. 1. Quia homo vacans perfectioni non debet ſe alienare ab omni cogitatione corporali, & ſpirituali. 2. Quia in via perfectionis ſunt neceſſaria opera virtutum etiam corporalia. 3. Quia ſi homo detinet intellectum ſuſpenſum ab omni operatione, ſe exponit illuſioni dœmonis, qui ſine ulla reſiſtentia ei immittere poterit perverſas cogitationes. Aliæ verò operationes corporeæ ut ſtrictioris retentionis halitus eſſe vanas, & diabolicis inſidiis adinventas.

Alii detecti ſunt 1623. Hiſpali in Hiſpania, dicti *Illuminati*, qui docuerunt. 1. Quod homines orationi mentali dediti non ſint adſtringendi ad laborem manuum, aut alia exercitia corporalia. 2. Quod perfecti non egeant operari opera virtutum. 3. Quod orans ita ſe colligere in Dei præſentia teneatur, ut nec diſcurrat, nec meditetur, nec in JEſu Chriſti paſſione, multò minus in ejus ſanctæ humanitatis cognitione immoretur. 4. Quod nullo modo unquam utendum ſit imaginibus, ut quis ſe ad orandum colligat. 5. Quod à quovis ex eorum Illuminatorum numero ſemper ac ſingulis horis videri poſſit id, quod ab ipſo jam ſemel in oratione viſum fuit. &c.

Noviſſimè anno 1656. nefarii quidam prodierunt, qui docuerunt. 1. Orationem mentalem ita eſſe homini neceſſariam, ut homo ſine ea non poſſit ſalvari. 2. Si ab Epiſcopo vel alio Superiore prohibeatur alicui oratio mentalis, non eſt eis obediendum; neque ſi ſub excommunicatione jubeat. 3. Quo tempore

Digitized by Google

facienda eſt oratio mentalis, uxor non tenetur obedire viro aliquid præcipienti, quod orationem impediat. 4. Quod orationi mentali vacantes vel peccare non poſſunt, vel difficillimum eſt, quod peccent. &c.

Regula 2. Contemplatio eſt ſimplex & fixus intuitus intellectus ſine diſcurſu circa rem aliquam ſeu veritatem. *Opuſc.* 3. *C.* 1. Explicatur exemplo pictoris, qui ab initio conſiderat ſeorſim omnes partes picturæ à ſe faciendæ, dein, poſtquam perfecta fuerit, omnium partium proportionem, ordinem, colores, lineamenta &c. uno obtutu admirabundus contemplatur. Sic & ille, qui diſcurrendo circa aliquod myſterium omnes illius partes conſiderat, poſtmodum totum cum omnium partium harmonia fixo intuitu contemplatur. C. 2. Concomitatur autem hunc actum intellectus, quando eſt fructuoſus, affectio pia voluntatis. C. 3. & aliquando eſt infuſus, aliquando verò acquiſitus C. 10.

Regula 3. Status contemplativus non eſt ſemper ſupernaturalis, ſed datur etiam naturalis. Ib. C. 10. Hæc regula, cum ſtatus contemplativus vicinus ſit cum extaſi, & viſionibus, immo ſæpe cum illis coincidat, eſt magni momenti. Probatur autem unanimi conſenſu Doctorum. *S. Bernardus in Flor. C.* 55. debemus aſſueſcere in contemplatione. Et in Tr. de octo punctis. Punct. 1. Verum eſt, quod huic contemplationi nullus mortalium poteſt firmiter inhærere; ſcias tamen, ubi mentis intentionem debeas habere fixam, & ad quam deſtinationem ſemper animæ tuæ revoces initium - noſcere debes, quod frequentia actus ſimilem ſibi habitum generare conſuevit. *Richardus* à S. Victore L. 5. C. 1. Aliud eſt contemplationis gratiam divinitus percipere; atque aliud eſt de hujuſmodi dono, Dei quidem cooperatione, proprio exercitio comparare. Et C. 2. Primus contemplationis modus ſurgit ex induſtria humana; tertius

ex

ex ſola gratia divina; medius autem ex utriusque permixtione, humanæ videlicet induſtriæ, & gratiæ divinæ. *S. Bonaventura* Art. 3. de ordine aſcendendi ad Deum. Ex ſenſibilibus ad ſpiritualium cognitionem aſcenditur. Primò per ſenſus externos concipiuntur ſenſibilia. Secundò per imaginationem per quam rerum ſimilitudines concipiuntur. 3. Per rationem, per quam concipiuntur rerum naturæ. 4. Per intellectum, per quem concipiuntur ſpiritus creati. 5. Per intelligentiam, per quam percipitur ſpiritus increatus. 6. Per ſapientiam, per quam aperitur ſpiritualis guſtus. Senſus percipit, imaginatio repræſentat, ratio intelligit, intellectus judicat, memoria ſervat, intelligentia comprehendit, & ad contemplationem adducit; ſed ſapientia guſtat; & ſic fit ab inferioribus ad ſuperiora aſcenſus. Et Art. 4. de 7. itin. ætern. Per Origenem gradus aſcendendi ad contemplationem plures ſunt. Primus vita activa. 2. Senſuum exteriorum retractatio ad interiora, & collectio eorum in unum. 3. Elongatio à phantasmatibus imaginativis ad ſpiritualia. 4. Tollere impedimenta retardantia animam ad objecta ſuperiora tendentem, & ad divinæ naturæ cognitionem; quod licet ſit præter rationem, non eſt tamen ſuper eam. 5. Verus contemplator eſt, ſi ſit ſuper omnia intelligibilia in caligine ignorantiæ. Addit Lauræa. Hic ultimus gradus eſt contemplatio infuſa, cæteri verò ſpectant ad acquiſitam.

Regula 4. Itaque etiamſi Deus in viſione intelligatur abſque omni phantaſmate & ſpecie rerum ſenſibilium, non eoipſo habetur certum ſignum, quod illa viſio ſit ſupernaturalis. Patet ex dictis. Et ex C. 11. ubi *Lauræa* ſic habet: Contemplatio acquiſita & infuſa conveniunt in hoc, quod utraque eſt ſimplex intuitus intellectus ſine diſcurſu, adeo ut utraque cum ſuſpenſione actuum aliarum potentiarum ſit fixa cum ſtupore & admiratione cogni-

cognitio; licet cum majore diſtractione & alienatione à ſenſibus infuſa. Conveniunt etiam in eisdem objectis; utraque enim tendit in Deum, ac divina principaliter; & in omnia alia à Deo revelata minus principaliter, cum ordine tamen ad Deum. Conveniunt tertiò in mediis, quia utraque per ſpecies intelligibiles, & ſæpe etiam per imaginabiles cognoſcit ſeu intuetur ea, quæ in illa repræſentantur. Conveniunt quartò in aliquibus principiis, ut in intellectu intuente, & voluntate affecta ſeu amante; & in auxiliis ſupernaturalibus, ſine quibus nullum bonum opus fieri poteſt, quod ſit fructuoſum.

Regula 5. Etiam alienatio à ſenſibus & ectaſis non eſt certum ſignum, quod viſio ſeu contemplatio ſit potius infuſa, quam acquiſita. Patet ex dictis in Regula præcedente.

Regula 6. Signa probabilia, quibus contemplatio infuſa poſſit diſcerni ab acquiſita, ſunt ſequentia. Ib. C. 11.

Prima differentia eſt ex parte ſubjecti ſeu diſpoſitionum ejus. Quia pro acquiſita contemplatione & fructuoſa ſufficiunt illæ diſpoſitiones, quæ requiruntur pro meditatione fructuoſa, ſcilicet ut ſit homo capax, inſtructus de natura & qualitatibus contemplationis, & examinata conſcientia cognoſcat ſe non habere peccatum mortale. At pro infuſa hæc diſpoſitio non ſufficit; ſed requiritur regulariter, ut per viam purgativam per multum tempus tranſierit, per virtutes morales refrænaverit paſſiones, ſæcularia negotia deſeruerit, concupiſcentias omnes carnalium ſeu corporalium nec non etiam ſpiritualium ambitionis, honoris, famæ, & gloriæ omnino abjecerit; & ſilentio ac ſolitudini ſe dederit.

Secun-

Secunda differentia eſt, quod contemplatio communis & acquiſita regulariter poſt meditationem fit, & rarò ſine illa, exceptis exercitatis in ea. At non ſic infuſa; quamvis enim aliquando habeatur cum meditatione prævia, regulariter tamen ſine illa accidit. Apprehenſo nempe objecto intellectus ſtatim figit in eo aciem mentis, illud cum admiratione & aliorum actuum ſuſpenſione intuendo.

Tertiò, in acquiſita contemplaturus proprio labore diſtrahit ſe ab externorum cogitatione & à ſpeciebus ſeu phantasmatibus, & figit mentem in objecto; non ſic in infuſa; quia ſtatim ac vult contemplaturus ad contemplationem applicare apprehenſo aliquo objecto revelato, Deus eam abſtrahit ab omnium exteriorum, & interiorum conſideratione, ſubtrahens concurſum inferioribus potentiis, ne eam perturbent.

Quartò, in acquiſita lumen ſupernaturale fidei ſufficit; at in ſupernaturali & infuſa lumen majus Deus infundit, & ita magnum, ut excedat vim intellectus, & quaſi obfuſcet illum; & ideo à Myſticis vocatur caligo & tenebræ.

Quintò, in acquiſita nullum donum Spiritus Sancti regulariter infunditur, quia tales contemplativi non perfectè purgati non ſunt effecti ſpirituales, id eſt, à terrenis totaliter alieni. At cum infuſa Deus concedit contemplativo duo dona Spiritus Sancti, ſcilicet donum intellectus, per quod clarè ac diſtinctè cognoſcit objecta, quæ contemplatur; & donum ſapientiæ, id eſt, ſaporis ac dulcedinis voluntati, quo illa objecta & Deum in illis ſaporosè & dulciter amat.

Sextò, per acquiſitam lentè & cum aliquo labore per meditationem pervenitur ad intuitum veritatis. Per infuſam verò fortiter & ſtatim eam intuetur.

Septimò, per acquiſitam incipientes non alienantur à ſenſibus patientes extaſin ſeu raptum; & proficientes aliquando; at per infuſam ſæpe.

Octavò, per acquiſitam non videntur niſi illæ veritates, quæ aſſumuntur ad meditandum & contemplandum. At per infuſam videntur aliæ vel connexæ, vel diverſæ.

Nono. Acquiſita valde remota eſt ab unione ſeu oſculo Dei, in quo conſiſtit perfecta felicitas quæ poteſt in hac vita mortali communicari hominibus à Deo. At infuſa eſt valde proxima ad eam.

Decimò. Per acquiſitam, ut experiuntur incipientes immo & proficientes, non ſtatim ſentitur dulcedo, ſapor, ac ſuavitas, ſed potius moleſtia & amaritudo, ac repugnantia ſenſus, eò quia in eis nondum ſunt frænatæ paſſiones. At in infuſa ſentitur ſapor de Deo, dulcedo, & ſuavitas ſtatim.

Undecimò. Acquiſitam multi poſſunt adipiſci, ſi de ea inſtruantur, licet pauci proficiant. At infuſa pauciſſimis, ac raris, ac perfectiſſimis hominibus à Deo conceditur.

Duodecimò. In acquiſita contemplans non ita ſupra ſe & extra ſe fit, ut non cognoſcat ſe, & reflectat in id, quod facit. At in infuſa, ut contemplativi teſtantur, contemplans ita eſt extra ſe, & ſupra ſe actus, ut nec ſe nec aliud cognoſcat; ſed in ſolum objectum, quod contemplatur, firmiter, & fixè intendat.

Decimòtertiò, quia poſt contemplationem acquiſitam contemplans poteſt diſtinctè & abſque difficultate narrare, & quod intuitus eſt, & modum, omneſque circumſtantias rei cognitæ. At in infuſa non ſic; quia, ut teſtantur B. Angela de Fulgineo, S. Thereſia, S. Petrus de Alcantara, & B. Joannes de Cruce, poſtquam quis ab actu contemplandi redit ad ſe, non poteſt clarè ac diſtinctè referre nec quæ intuitus eſt, nec modum intuendi, in quo, & per quid; ſed dicit, ſe neſcire explicare, quid actum ſit.

Regula

Digitized by Google

Regula 7. In contemplatione etiam acquiſita videtur Deus tam ſub conceptu poſitivo, quàm negativo. Ib. C. 15. adeoque neuter modus eſt certum ſignum viſionis ſupernaturalis ac infuſæ. Regulam verò Lauræa probat ex conſenſu Doctorum.

Regula 8. Omnes homines cujuscunque ſtatus, conditionis, & ſexûs, ſi inſtruantur, ſunt capaces exercendi actus contemplationis acquiſitæ; quamvis non omnes ſint proximè capaces. Ib. C. 17. adeoque ex conditione perſonæ non poteſt haberi certum argumentum, quod contemplatio ſeu viſio ſit ſupernaturalis & infuſa. Dicitur, *proximè* non quemvis eſſe capacem; quia ille ſolùm proximè ad eam non eſt capax, qui ſe ad eam non vult diſponere. Regulam Lauræa probat ex conſenſu Doctorum; præcipuè ex D. Gregorio in Ezech. hom. 17. ubi dicit: Non enim contemplationis gratia ſummis datur, & minimis non datur, ſed ſæpius hanc ſummi, ſæpe minimi, ſæpius remoti, aliquando etiam conjugati percipiunt.

Regula 9. Datur etiam oratio quietis ac ſilentii in contemplatione acquiſita; adeoque ille ſtatus quietis non eſt argumentum contemplationis ac viſionis infuſæ. *Idem Opuſc.* 4. *C.* 6. ubi ſic ſcribit: Oratio quietis acquiſita, quæ gradus ſeu ſpecies contemplationis eſt, conſiſtit in hoc, ut juſtus aliquo tempore vel magno vel parvo juxta devotionis ſpiritum ab omni temporalium cura ſe abſtrahens, & ab omni alia cogitatione ſemet in ſe recolligens ſibi præfigat in ſe, ſicut revera eſt, Dei præſentiam, & omne phantaſma ſeu imaginationem fugans, quia nequit Deus per imagines phantaſticas repræſentari, Deo inhæreat per fidem intuendo, eoque per-

fruatur amando. Ita hanc orationem declaravit Balthaſar Alvarez pius & devotus Jeſuita, ut refert *Ludovicus de Ponte* in ejus vita C. 13. Hic autem modus contemplationis acquiſitæ, dictus *orátio quietis*, à ſanctis ac myſticis Doctoribus admittitur. Probatur. *S. Bonaventura* de ſtimulo amoris Par. 2. C. 7. dicit: Qui vult cum activa contemplativam vitam habere, ut ſuum Dominum in omnibus contempletur, videtur mihi, quod via ſit brevis & bona, videlicet, ut ſe totum recolligens intret ad cor ſuum, & intima cordis ingrediens ſe reſolvat in Deum, ut nihil nec videat, nec ſentiat, niſi Deum.

Regula 10. In illa contemplatione, quæ dicitur, oratio quietis, tunc, quando eſt acquiſita, intellectus & memoria operantur liberè, ſola verò voluntas quieſcit. Adeoque ex ſuavi quiete in Deo non habetur argumentum, viſionem intellectui & memoriæ operanti adſcribi non poſſe. Idem L. CC. C. 6. ſic ſcribit. Videamus jam, quid faciat anima in oratione illa quietis ex *S. Thereſia:* C. 15. ſuæ vitæ ſic ſcribit: Nihil autem animam tempore hujus quietis facere oportet, quam ut ſuaviter & ſine ſtrepitu ullo ſe teneat. Strepitum autem intelligo per intellectum verba, & conſiderationes multas - voluntas hoc tempore de intellectu non magnopere laboret, eo quod is vexator ſit & importunus. Si autem ipſa eum participem facere voluerit ejus, quo fruitur, aut eum quietum reddere, inconſulta faciet, nec proficiet. Sæpe enim homo voluntatem recollectam & quietam eſſe videbit; intellectum verò inquietum & turbatum. Satius ergo eſt, ut eum ſic dimittat, quàm eum inſectetur. - - Intellectus quoque hìc excitatur ad concinnas & compoſitas gratias agendas; ſed voluntas eſt in ſua quiete - denique mentalis oratio penitus hìc omittenda non eſt, vel nec verba etiam aliqua vocalia. Si interdum uſurpare ea velint, aut poſſint. Ita S. Thereſia, ex cujus verbis patet, quod

Digitized by Google

quod loquatur de acquiſita. Nam in actu contemplationis infuſæ anima ſic remanet à Deo abſorpta, & ſuſpenſa, ut nec ſe, nec ſuas potentias videat, nec diſcurrat.

Regula 11. Contemplatio acquiſita eſt ſignum, proprietas, & effectus ſanctitatis in perſona contemplativa, ſaltem probabile; ergo eoipſo Sanctitas perſonæ non eſt argumentum, quod ejus contemplatio aut Ectaſis & viſio ſit ſupernaturalis & infuſa, ſed potius ex ſanctitate perſonæ & diſpoſitionibus ſanctis inferendum, quod ſit acquiſita. Ratio eſt, quia & diſpoſitiones præviæ ad contemplationem acquiſitam, & actus concomitantes, & ſubſequentes conſiſtunt in ſanctis affectionibus cordis. Idem Opuſc. 3. C. 13. & Opuſc. 4. C. 4. eas diſpoſitiones prævias, concomitantes, & ſubſequentes ad contemplationem acquiſitam ex D. Doctoribus ac piis ſic refert:

Bern. Serm. 53. *de modo bene vivendi.* Quicunque prius in vita activa proficit, ad contemplationem bene aſcendit. Qui hanc temporalem gloriam aut carnalem affectat, à contemplativa prohibetur. Idem in Tract. de octo punctis. Puritas cordis continua, vel quaſi continua; paſſionum frænatio per exercitium moralium virtutum acquiſita; fuga ſæculi; abſtinentia à negotiis curiſque mundi; ſolitudo, taciturnitas; in humanis ſucceſſibus nec lætandum, nec triſtandum pro amicis, & cognatis; ſed pro eis orandum; ſine multiloquio paucis verbis, & placido vultu & voce remiſſa loquendum & reſpondendum; diligendum plus audire quàm loqui; non innitendum prudentiæ propriæ, non eſſe ſapientem in oculis propriis, nec ſenſibus confidendum; altiora non quærenda, & fortiora non ſcrutanda; nunquam otioſum manendum, ſed ſemper legendum, orandum, vel meditandum; ſingulis

horis ſingula exercitia tribuenda; conſiderandum, quod grandis reſtat via, donec videatur Deus in Sion. Hæc in contemplativo homine requiruntur *ex S. Bernardo. S. Bonav. de 7. Itin. æatern. Diſt.* 2. Contemplativus debet eſſe ſine peccato; alioquin impeditur, ne ſurſum feratur. Debet eſſe liber à cura temporalium, quia liber ſpiritus dimittitur, quando calcatis terrenis deſideriis ab appetitione temporalium in ſecuritate mentis exoneratur. Debet eſſe perſpicax & ſanatus, oculum mentis à cupiditatibus avertens, & in Deo figens. Plura videri poſſunt L. CC. C. 4.

Regula 12. Etiam contemplationis acquiſitæ effectus ſunt affectiones ſanctæ; adeoque ex his effectibus non habetur argumentum, quod contemplatio aut viſio ſit ſupernaturalis & infuſa. Idem Opuſc. 5. C. 4. eos effectus enumerans dicit: Primus effectus contemplationis acquiſitæ eſt animæ tranquillitas. 2. Contemptus rerum temporalium, & deſiderium æternorum. 3. Tolerantia laborum & afflictionum hujus vitæ. 4. Libertas ſpiritus, & ſuperioritas ejus ad omnia mundana. 5. Colligatio cum Deo. 6. Virtutum variarum cumulus. 7. Dilectio Dei dulcis & delectabilis. 8. Clarior cognitio myſteriorum, quàm per ordinarium lumen fidei. Quæ omnia Lauræa L. CC. C. 4. & 5. probat authoritate Doctorum.

Regula 13. Poteſt contemplatio acquiſita aliquando eſſe tam vehemens, ut quis naturalem Ectaſin, ſeu alienationem à ſenſibus patiatur in Contemplatione. Idem *Opuſc.* 5. *C.* 6. ſic habet: Ectaſis ſignificat alienationem mentis à ſenſibus. Raptus pro eodem accipitur. Sed Myſtici dicunt, eſſe quidem alienationem à ſenſibus ſed cum violento aliquo corporis motu, quod in contemplatione infuſa aliquando accidit. Videmus enim ſic alienatos in altum

tum elevari, & ſic interdum à terra elevatos per aliquod tempus manere; aliquando retrorſum agi velut volando, & iterum anteorſum ferri; iſtæ alienationes à ſenſibus cum his motibus peculiari nomine dicuntur *raptus*, ſed communi nomine omnes *Ectaſes* dicuntur *raptus*. Ectaſis autem ſeu raptus duplex eſt; quidam naturalis, quidam præternaturalis vel ſupernaturalis. Et utraque adhuc duplex. Naturalis enim vel eſt morboſa, vel ſana. Præternaturalis vel eſt divina, vel dœmoniaca. Ectaſis naturalis morboſa eſt alienatio à ſenſibus, quæ provenit ab aliquo morbo, ut quæ procedit à ſpaſmo, ab ebrietate, vel ab aliquo medicamento ſomnifero, vel à phreneſi, vel ab obſtinatione melancholici delirii. De hac extaſi non loquimur. Ectaſis naturalis ſana eſt, quæ oritur ex vehementi apprehenſione alicujus objecti prædilecti, acquiſiti vel perditi, vel alicujus inſoliti ac noliti eventus, quorum exempla mox referam. Cauſa verò immediata, cur extatici naturales ſic detineantur, ex *Paulo Zacchia* in Quæſt. Medicolegal. L. 4. Q. 6. eſt, quia in cerebrum confluunt omnes ſpiritus animales deſtinati internis & externis ſenſibus, ac motivæ potentiæ. Et ideo ſic alienati non operantur, & videntur ſibi multa conſpicere, & loqui cum aliis. Additque Zacchias, quod inter ſomniantes & extaticos hæc eſt differentia, quod illi in ſomno, iſti in vigilia ſunt à ſenſibus alienati. Auguſtinus refert exemplum de quodam presbitero, qui quoties volebat, extaſin in ſe cauſabat, & efficiebatur inſenſatus velut mortuus. At quidquid ſit de hoc, quod forte dœmoniacum erat, hoc pro re noſtra certum eſt, quod naturaliter ex vehementi apprehenſione alicujus rei maximè volitæ vel nolitæ vel graviſſimæ & inſolitæ oriri poteſt alienatio à ſenſibus. De Regina Saba vidente magnificentiam Salomonis dicitur: Non erat præ ſtupore ultra in ea ſpiritus. Et de Nabal 1. Reg. 23. ut audierat Davidem contra ſe eſſe iratum; Emortuum eſt cor ejus intrinſecus, & factum eſt quaſi lapis. Aliud exemplum Ectaſis naturalis adducit *Plutarchus in Bruto* de Portia uxore Bruti exſpe-

exſpectante exitum conjurationis in Julium Cæſarem, & per nuntios audiente quæ fiebant, *præ dolore non ſuſtinuerunt ultra corporis vires, ſed animo fluctuatione æſtuante & fatiſcens repente animi ſtupor eam corripuit, animi defectus adfuit, color mutatus, vox ſuppreſſa.* His prænotatis

Probatur Regula. Quia applicatio in aliqua contemplatione poteſt ita eſſe vehemens, quod omnes ſpiritus vitales in cerebrum confugiant, & ſenſus externi eis deſtituti immoti maneant. Etſi enim, ut ſuo loco dictum eſt, ad actum fructuosè contemplandi requiratur ſpecialis gratia; quando tamen per eam jam habitam quis in actu contemplationis eſt, poteſt etiam ſuo conatu intenſius, immo intenſiſſimè in eo actu applicari; & tunc accidere poteſt naturalis alienatio ſeu ectaſis, quamvis rarò. Et hinc eſt, quod jam per annos fere triginta expertus ſum, cum agitur de Canonizatione alicujus ſervi Dei, & fit ſcrutinium de miraculis, inter ea non numerantur Ectaſes, niſi evidenti aliquo ſigno ſint adminiculatæ. Et ratio eſt, quia, ut dixi, eſſe poſſunt naturales. Iſtæ autem, etſi mirabiles dici poſſint, non tamen miraculoſæ. Confirmat hæc ſua dicta Lauræa ex S. Bernardo, Richardo, & S. Bonaventura.

Regula 14. Etiam in ea Ectaſi, quæ provenit ex movente Deo, & ex ſpeciali gratia divina, poteſt intervenire viſio propriæ phantaſiæ, adeoque erronea. Patet ex probatione Regulæ præcedentis.

Regula 15. Interdum contemplativi decipi poſſunt per Ectaſes dœmoniacas. *Opus.* 5. *C.* 6. Ratio eſt, quia Deus permittit, ut ſervi ſui tentationibus dœmonum ſubjaceant, ut humiliari diſcant. Et de facto ſæpe illudit Dei ſervos, inſerendo in phantaſia ſpecies aliquas rerum, quæ in re non ſunt. Sic putavit ipſum Chriſtum ſe poſſe illudere, cum oſtendit

ei

Digitized by Google

ei omnia regna mundi, quod *Cyprianus de Jejunio* & tentatione Chriſti explicat per ſpecies in phantaſia Chriſti productas. Quamvis cum D. Gregorio teneam, id diabolum feciſſe per ſpecies viſibiles.

Regula 16. Quando in Ectaſi homo contemplans nil aliud boni vel mali experitur, niſi quod in aliis contemplationibus non extaticis experiebatur, nec cum majori aut minori devotione ex ea Ectaſi ad ſe revertitur, ſignum eſt, quod fuit naturalis; non divina, nec dœmoniaca. *Opuſc.* 5. C. 7. Probatur à paritate apparitionum, de quibus S. Auguſtinus L. 12. de Gen. ad Litt. C. 12. loquens ait: Cum ſpiritualis viſio penitus alienato à corporis ſenſibus animo imaginibus corporalium detinetur ſive in ſomnis, ſive in Ectaſi; ſi nihil ſignificant, quæ videntur, ipſius animæ ſunt imaginationes. &c. Si enim nihil novi adducit, quòd contemplatio ſine Ectaſi non adducebat, nec boni, puta majorem illuſtrationem intellectus, aut dilectionem, delectationem, ſaporem, vel ſuavitatem ex parte voluntatis, vel revelationem aliquam privatam bonam, vel aliud ſimile, quæ à Deo ſemper ſunt, dici non poteſt Ectaſis divina. Sic etiam econtra ſi nihil mali, aut ad malum ſuadens adducit, vel bonum, tamen cum malis circumſtantiis, non eſt dœmoniaca. Reſtat ergo, ut ſit naturalis.

Regula 17. Ectaſis dœmoniaca dicenda eſt, quando in ea vel conſulitur aliquod malum, vel apparet fieri aliquid ad nullum bonum ordinatum, vel etiam ſi conſulatur bonum, non tamen ob finem bonum, vel multum turbat, & turbatum relinquit. Ib. C. 7. probatur exemplis. Sic Abraham Eremita,

ut refert Ephrem Syrus, dum in media nocte divinas laudes caneret, vidit lucem magnam in Cella, & vocem ſibi dicentem; Beatus es, nullusque tui ſimilis, qui omnes voluntates meas expleſti. At vir Dei agnoſcens fallaciam ait: O plene dolo atque omni fallacia; ego homo peccator ſum; ſed nomen Domini mei JEſu Chriſti mihi murus eſt, in quo te increpo immunde canis & ſtatim evanuit. Et Simeoni Stylitæ apparuit dicens: Dominus miſit me angelum ſuum, ut rapiam te, ſicut rapui Eliam. Optant te videre ſancti Angeli, Apoſtoli. &c. At cum Simeon elevans dextrum pedem, ut aſcenderet in currum, ſignaret ſe ſigno crucis, ſtatim evanuit. Ita narrat Antonius diſcipulus in ejus vita. In vita Pachomii habetur, quod quadam vice eo orante apparuit illi dœmon dicens: Pachomi, ego ſum Chriſtus, & venio ad te fidelem amicum meum. At Pachomius dixit intra ſe. Adventus Chriſti tranquillus eſt; ego autem nunc turbatus variis cogitationibus æſtuo. Et ſignans ſe ſigno crucis ac exufflans in illum dixit: diſcede à me Diabole &c. & relicto fœtore diſceſſit. Id autem, quod dœmon ſolet facere in ſomno vel vigilia, majori cum fiducia facit in Ectaſi, quam ipſe efficit in ſervis Dei, qui niſi cauti ſint, facilius in oratione illa decipi poſſunt. Hic autem effectus turbationis in Pachomio ad loquelam diaboli cum cogitationum æſtuatione debet ſumi pro uno ſigno viſionis ſeu revelationis dœmoniacæ. Licet enim etiam in divinis apparitionibus & revelationibus oriatur aliqua turbatio, ut Abrahæ & B. Virgini accidit, ea tamen nec vehemens eſt, nec diu durat; & poſt eam ſequitur conſolatio.

Regula 18. Extaſis divinæ, ſaltem partialiter à Deo productæ, id eſt, à Deo concurrente, ſigna ſunt tranquillitas, ſuavitas, atque jucunditas, humilitas, devotio, ac ſancte vivendi deſiderium ſuadens bona. Ib.

Regu-

Digitized by Google

Regula 19. Eadem ſunt ſigna viſionis ac revelationis divinæ aut dæmoniacæ, quæ Ectaſis. Ib. C. 8.

Regula 20. Viſiones & revelationes, etiam quæ apparent bonæ ſæpe ſunt à dæmone, nec facile diſcerni poſſunt absque ſpeciali illuſtratione divina, & ſine dono diſcretionis ſpirituum. Idem in 3. Tom. 4. de Gratia Diſp. 19. Art. 10.

Probatur ex Scriptura & Patribus. 2. Cor. 11. Paulus dicit: Ejusmodi pſeudoapoſtoli ſunt operarii ſubdoli, transfigurantes ſe in apoſtolos Chriſti. Et non mirum; ipſe enim Sathanas ſe transfigurat in Angelum lucis. *Interlin.* ſubdoli. addit: *ſub ſpecie religionis decipientes.* Et Gloſſa ordin. ibi multa addit de fallaciis diaboli ſub ſpecie boni ſuadentis mala. Hieronymus in eundem locum. Non tam facile ſomniis aut aliquibus tanquam angelis lucis fides habenda, ne forte Sathanas transfiguret ſe in angelum lucis & decipiat incautos. Et *Tertullianus in L. Adv. hær. C. 6.* de ejusmodi præſtigiis loquens ait: Præviderat jam tunc Spiritus Sanctus futurum in virgine quadam Philumene Angelum ſeductionis, transfigurantem ſe in angelum lucis, cujus ſignis & præſtigiis Apelles inductus novam hæreſin induxit. Theodoretus in Caput præfatum, ait. Mos eſt diabolo divina imitari, & adverſus prophetas pſeudoprophetas producere, angelorum figuram imitari & homines decipere.

Prob. 2. ex 1. Tim. 4. Spiritus autem manifeſtè dicit quod in noviſſimis temporibus diſcedent quidam à fide, attendentes ſpiritibus erroris & doctrinis dœmoniorum in hypocriſi loquentium mendacium. *Interlin.* dicit, quia maligni ſpiritus in illis loquentur, ſimulata religione, ut magis decipiant.

Prob. 3. Ex *Rich. in Cant. C.* 17. dœmones interdum mala ſub ſpecie boni occultant, & ad quædam bona incitant ut ad malum perducant. Falſa enim devotione decipiunt; quia per quasdam orationes & meditationes dulcem affectum & lachrimas in anima producunt, ut vel mentem in errorem, aut electionem, vel corpus perducant ad debilitatem. Malè quosdam de aliorum ſalute ſollicitant, quos incitant & accendunt ad converſionem vel ædificationem aliorum longe poſitorum, quatenus à quiete mentis, & utilitate propria dejiciant. Cum itaque aliquid nobis ſuggerit agendum, perpendere debemus, utrum aliqua ſui parte indiſcretio ſe miſceat, vel dolus inimici ſe ingerat, ſi cum debito timore & cautela fiat, ſi humana laus vel oſtentatio ſubrepat, ſi vanitas vel *levitas aliqua impellat.*

Prob. 4. ex Comment. Ambroſii ſive alterius in Ep. 1. ad Theſſal. C. 5. Solent ſpiritus immundi fallaciter quaſi per imitationem dicere bona, & inter hæc ſubinducere prava ut per hæc bona, quæ ſunt accepta, ferantur & mala; ut quia unius ſpiritus dicta putantur, non diſcernantur ab invicem; ſed per id, quod licitum eſt, commendetur illicitum, authoritate nominis, non virtutis.

Prob. 5. ex *Gregorio* M. L. 33. Mor. C. 22. Sæpe dœmon ſpecie ſanctitatis induitur, & niſi per divinam gratiam ſimulationis ejus detegi indumenta non poſſunt. Bene dicitur, Jobi 41, *quis revelabit faciem indumenti ejus?* ſubaudis, niſi ego, qui ſervorum meorum mentibus gratiam ſubtiliſſimæ diſcretionis inſpiro, ut revelata malitia faciem ejus nudam videant, quam coopertam ille ſub habitu ſanctitatis occultat. Et quia fidelium mentes corrumpere conatur aliquando oſtenſione ſua, aliquando ſuggeſtione, bene ſubjungitur: *Et in medium oris ejus, quis intrabit?*

Prob. 6. ex *Bernardo* Serm. 32. in Cant. Quis ita vigilet diligens obſervator motionum internarum ſuarum ſive in ſe, ſive ex ſe factarum, ut liquidò ad quæque illicita ſenſu cordis ſui di-

ſcernat

ſcernat inter morbum mentis, & morſum ſerpentis? quantumlibet enim quis omni cuſtodia ſervet cor ſuum, & omnia quæ intra ſe moventur, vigilantiſſima intentione obſervet, etiam ſi diuturnum forte in his habuerit exercitium, & frequens experimentum; non poterit tamen ad purum in ſe dignoſcere, diſcernereve malum innatum & malum ſeminatum; nam delicta quis intelligit? Et ego non poſſum tradere vobis quod non accepi. Non autem accepi, fateor, unde aſſignem certam notionem inter partum cordis, & ſeminarium hoſtis.

Regula 21. Itaque etiam de Sanctis certò ſciri non poteſt, utrum in eorum Ectaſibus, vel revelationibus determinatis non interveniat fraudulenta ſuggeſtio dœmonis, niſi in individua Ectaſi vel revelatione habeantur poſitiva ſigna moraliter certa, excluſiva omnis formidinis. Sequitur hæc regula ex præcedente.

Regula 22. Revelationes ex DEO non ſunt, quando repugnant fidei circa agenda vel credenda. Ib. n. 374. Patet.

Regula 23. Certum quidem eſt, illuſtrationem eſſe à Deo, quando ad bonum profectum incitat, ſed hoc ipſum certum non eſt, quod in ſe videtur bonum, à dœmone hic & nunc non ordinari ad malum. Ibid. n. 377. *Probatur* ex *S. Auguſtino* de Gen. ad Litt. L. 12. C. 13. Diſcretio ſane difficillima eſt, cum ſpiritus malignus quaſi tranquillus agit, ac ſine vexatione aliqua corporis aſſumpto humano ſpiritu dicit, quod poteſt; quando etiam vera dicit, & utilia prædicat. Transfigurat ſe, ſicut

 ſcriptum

ſcriptum eſt in angelum lucis; ad hoc, ut cum illi in manifeſtis creditum fuerit, educat ad ſua. Hunc diſcerni non arbitror, niſi dono illo, de quo Apoſtolus: *alii diſcretio ſpirituum.*

Regula 24. Adeoque nec tranquillitas à revelatione relicta in animo eſt certum ſignum, quod ſit divina. Patet ex præcedenti.

Regula 25. Viſio vel revelatio, quæ in animo excitat motus ſuperbiæ, non eſt à Deo. Ib. n. 379. *Probatur* ex *Gregorio* L. 34. C. ult. ubi ait: Evidens ſignum mali ſpiritus eſt, quando incitat ad ſuperbiam. Chriſtus ſemetipſum exinanivit formam ſervi accipiens. Diabolus dixit, *aſcendam ſuper altitudinem nubium, ſimilis ero altiſſimo.* Chriſtus ad ſputa, ad palmas, ad colaphos, ad ſpineam coronam, ad crucem, ad lanceam atque ad mortem veniens membra ſua admonet dicens: *Si quis mihi miniſtrat, me ſequatur.* Diabolus verò nihil aliud mentes ſibi ſubditas docet, quàm celſitudinis culmen appetere, cuncta æqualia mentis tumore tranſcendere, ſocietatem omnium hominum alta elatione tranſire &c.

Regula 26. Apparitiones, quæ inducunt delectationem ſenſibilem in carne, non ſunt à Deo. Ib. n. 380. *S. Bonaventura* in Opuſc. de profectu Religioſ. 7. C. 18. ſic ait: Quidam decepti à ſeductoriis ſpiritibus, vel propriis falſis opinionibus putant ſibi apparere Chriſtum, vel ejus glorioſam genitricem, & non ſolùm amplexibus, & oſculis, ſed etiam aliis indecentioribus geſtibus & actibus ab eis demulceri; ut ſicut prius ipſorum interius delectatur ſpiritualiter, ita & caro exterius congruo oblectationis ſenſu conſoletur, quod non ſolùm eſt falſum, ſed etiam blaſphemia gravis eſſe comprobatur. De his verò, qui aliquando dulcedinem ſpiritualem ſentiunt, continuo etiam delectationis carnalis pruritu illecti fœdantur, neſcio quid judicem, niſi

niſi quod potius eligo illis carere floribus, quos de luti ſordibus legere deberem. Et ſicut illos damnare non audeo, qui inviti quandoque in hujusmodi ſpiritualibus affectionibus carnalis fluxus liquore maculantur; ita eos excuſare neſcio, qui tali fluxu ex conſenſu delectantur.

Regula 27. Apparitiones, in quibus non intercedit honeſta gravitas, non ſunt à Deo. Ib. n. 381. *Tertullianus* in L. de præſcript. C. 43. hoc ſignum innuit dicens: Ubi Deus eſt, ibi metus in Deum; qui eſt initium ſapientiæ. Ubi metus in Deum, ibi gravitas honeſta, diligentia attonita, cura ſollicita, adlectio explorata, communicatio deliberata, promotio emerita, ſubjectio religioſa, apparitio devota, proceſſio modeſta, Eccleſia unita, & Dei omnia.

Regula 28. Quando internus inſtinctus, viſio, vel apparitio impellit ad aliquid cum præcipitantia, inquietudine, ac quadam impatientia de eventu, non ſunt à Deo. Ib. n. 384. Hanc optimam & certam regulam tradit Richardus in Cant. C. 7. ubi ait: Cum aliquis ad aliquod bonum movetur facile, & cum aliqua cordis levitate, timendum eſt, quod hujusmodi levitas ſit à carnalitate, maximè ſi aliquid ibi annexum ſit, quod delectare humanitatem poſſit. Item ſuſpecta eſt cordis alacritas, quando impellitur ad aliquid homo cum quadam vehementia, & impatientia dilationis. Quia Spiritus Sanctus modeſtus eſt, & tranquillus, & temperati ſunt motus ejus.

Regula 29. Quando inſtinctus internus, vel viſio operatur pœnitentiam, aut alios fructus Spiritus Sancti, à Deo ſunt. Ib. n. 382. & 383. *S. Bernardus* Serm. 57. in Cant. dicit: Si ſenſero, aperiri mihi ſenſum, ut intelligam ſcripturas, aut ſermonem ſapientiæ quaſi ebullire ex intimis

Digitized by Google

intimis aut infuſo lumine deſuper revelari myſteria aut certè expandi mihi, quaſi quoddam largiſſimum cœli gremium, & uberiores deſurſum influere animo meditationum imbres, non ambigo ſponſum adeſſe. Quod ſi ſe pariter infuderit humilis quædam, ſed pinguis intimæ aſperſionis devotio, ut amor cognitæ veritatis neceſſarium quoddam odium vanitatis in me generet, & contemptum, ne forte ſcientia inflet, aut frequentia viſitationum extollat me, tunc prorſus paternè agi mecum ſentio, & Patrem adeſſe non dubito. Et Serm. 1. de Pent. Initium revertendi ad Deum pœnitentia eſt, quam ſine dubio ſpiritus operatur non noſter ſed Dei.

Regula 30. Etiamſi is, qui apparet ad ſpiritualia incitet immo etiam cum eo, cui apparet, ea efficiat, ut ſi Litanias, Officium &c. recitet, non eſt certum, viſionem non eſſe à dœmone. Idem L. CC. Diſp. 20. Art. 19. Num. 854. In hoc, inquit, caſu, orandus eſt Deus, ut illuminet ad cognoſcendam veritatem, ſi bonus vel malus ſpiritus ſit.

Regula 31. Effectus, etiamſi appareant miraculoſi, in confirmationem falſitatis, aut viſionum dœmoniacarum editi, cenſendi ſunt facti opera dœmonis, aut motu proprio, aut ex pacto implicito fundato in aliqua actione ſuperſtitioſa, aut præſumptuoſa tentatione Dei. Idem L. CC. Diſp. 20. Art. 18. N. 792. dicit: Miracula Deus facit in confirmationem doctrinæ, quæ prædicatur, vel comprobationem ſanctitatis alicujus ſervi Dei.

Regula 32. Poteſt dœmon operari ſequentia permittente Deo. 1. Poteſt diſpoſitiones neceſſarias ponere ad

Digitized by Google

ad hoc, ut naſcantur animalia. 2. Poteſt morbos inferre corporibus applicando activa paſſivis. 3. Poteſt inferre damna arboribus & frugibus, aërem inficere, pluvias, grandinem, tonitrua, fulmina, & ſimilia meteorologica excitare. 4. Ex notitia diſpoſitionum, complexionum, & aliarum circumſtantiarum probabiliter prædicere futura. 5. Ex commotione phantasiæ inducere ad amorem vel odium alicujus, quamvis non cogere. 6. Movere corpora ab uno loco in alium, & homines tranſportare in regionem longinquam. 7. Scire citò, quæ in remotiſſimis locis aguntur. 8. Brevi tempore eas ſanationes operari, quæ natura & ars medica longiſſimo tempore operarentur. 9. Oculos aliosque ſenſus variis modis deludere, ut appareant quæ non ſunt; & quæ ſunt absque advertentia auferantur, & alia aliunde accepta ſubſtituantur. 10. Adeoque per illuſionem ſenſuum poteſt patrare ea, quæ videntur eſſe vera miracula. Ibid. Art. 16. & 17.

Regula 33. Superſtitio aut pactum ſaltem implicitum cum dœmone intervenire cenſetur in ſequentibus caſibus. 1. Si quis utitur mediò ad effectum nec à natura nec ab arte ad eundem ordinatò. 2. Si ad eum obtinendum applicentur verba incognita, vel characteres ignoti, vel inſtrumenta aliqua characterizata, vel herbæ, pulveres, aliave ſimplicia cum vanis obſervationibus collecta, aut præparata, vel in tali die, aut hora, ſive cum prolatione talium verborum, ſive coram tali perſona virgine, vel prægnante, & ſimilibus; tunc ſi effectus obtinetur, dœmoniacus eſt. Quia in talibus ſemper adeſt pactum implicitum cum dœmone. Immo quamvis quis proteſtaretur, ſe nolle effectum illum à dœmone habere, neque in earum rerum uſu pactum ullum cum dœmone includere, ſi effectus obtinetur, adhuc dœmoniacus eſt, & proteſtatio illa eſt contraria facto. 3. Si pro obtinendo aliquo effectu ſacra aliqua fiant modo indebito contra praxin Eccleſiæ. Vel ſi ſacris aliqua profana ſeu vana miſceantur, quæ nec ab Eccleſia nec à natura ad eos

Digitized by Google

fines ſunt inſtituta. Tunc ſi effectus contingat, dœmoniacus eſt. Ut ſi ritu judaico Deus coletur, ſi miſſa vel alia divina ordine inverſo aut confuſo celebrentur. Has enim deordinationes in contemptum religionis procurat dœmon, vel ſi in ejusmodi ſacris voces profanæ, aut res non ſacræ ſed vanæ miſceantur; aut ſi quæratur ſacerdos tali die aut menſe natus, aut ordinatus, vel tali aut tali nomine nuncupatus &c. Si aliquod iſtorum intercedat, & effectus obtinetur, dœmoniacus eſt cenſendus. 4. Si ſacramentalia applicentur cum modis ſeu circumſtantiis indebitis. v. g. Si applicentur verba S. Scripturæ ſpeciali aliquo charactere ſcripta, vel in pagina, tabula, aliove ſubjecto, cum aliqua vana obſervatione parato. Si applicentur Sanctorum reliquiæ cum aliis impertinentibus rebus, ſeu verbis, aut figuris ignotis. Si crux vel inverſa, vel in aliquo ſubjecto ſpeciali formata, vel erecta, ſed cum aliquo ignoto vocabulo, aut figura aſſociata, vel in tempore aliquo determinato, vel in loco ſpeciali, aliave ſimili circumſtantia inani. Si determinatus numerus crucium applicetur &c. ſi effectus eveniat cum aliquo iſtorum procuratus, dœmoniacus eſt cenſendus. 5. Si alii abuſus Sacramentorum aut Sacramentalium præcedant pro mediis præparandis ad effectum conſequendum; ut ſi baptizetur res aliqua, imagines, herba, brutum &c. & iis aliquis utatur ad effectum conſequendum. Si ſuper re aliqua dicatur Miſſa, vel ſi oleo Chriſmatis inungatur, ut poſſit poſtea applicari ad effectum conſequendum. Si ſequitur effectus cum aliquo iſtorum procuratus dœmoniacus eſt cenſendus. 6. Si pro effectu obtinendo invocentur angeli, quorum nomina ignota ſunt Eccleſiæ, vel miſceantur cum illis. Si effectus obtinetur, eſt dœmoniacus. Tria nomina angelorum ſunt Canonica in Scriptura, ſcilicet, Michael, Gabriel, Raphael. Uriel autem in Eſdra relatum non habetur pro Canonico. Cætera autem, quæ à quibusdam circumferuntur, nomina dœmoniorum ſunt. Ita Zacharias in Concilio Romano ſecundo. 7. Si philacteria ſeu amuleta geſtentur cum aliqua Reliquia,

aliove

Digitized by Google

aliove Sacramentali, ſed determinata quadam veſte, vel filo ligata, vel cum admixtione alterius rei impropriæ, vel formata in tempore, vel loco, vel aliis determinatis circumſtantiis. Si effectus accidant, dœmoniaci putandi ſunt. 8. Si ad effectum obtinendum exigatur à patiente ſeu poſtulante fides aliquarum rerum, quæ revelata non ſunt, ſed apocrypha. v. g. quod Chriſtus febri laboraverit; quod Adam pluribus diebus in Paradiſo terreſtri manſerit &c. & ſimilia. Vel exigatur ab eodem fides, quod patraturus illum effectum habet poteſtatem patrandi. &c. Si effectus eveniant, dœmoniaci cenſendi ſunt. 9. Si Miſſæ aliquæ celebrentur ad effectum obtinendum, ſed cum quibusdam inſolitis cæremoniis miniſtrorum, loci, temporis, candelarum, & ſimilium vanorum: Tunc ſi effectus ſequatur, dœmoniacus erit &c. 10. Quando quis præviis quibusdam orationibus, jejuniis, aliisque determinatis devotionibus & vanis obſervationibus derepente videtur ſcientiam aliquam, aut plures acquirere, & de iis facile ac promptè diſcurrere cum antecedenter eas vel totaliter ignoraret, vel perfecta earum notitia careret. Certè à dœmone aſſiſtente id fit. Etſi enim Deus poſſit ſcientias infundere, tamen non inſtituit determinata media, & præſertim vana, vel cum vanorum admixtione ad earum infuſionem obtinendam. 11. Si in diſtans producuntur effectus mediante aliqua re, vel facto diſtante à paſſo, ſeu ſubjecto. Etſi enim aliqui neſcio quas Sympathias admittentes dicant, naturaliter accidere, quod ſi abſentis vulnerati fruſtulum panni ſanguine vulneris intinctum unguento aliquo liniatur, vulnus naturaliter curetur, ego tamen ejusmodi ſanationes tanquam dœmoniacas deteſtor. 12. Quando ſanitates ab aliquibus efficiuntur, de quibus non conſtat habere gratiam gratis datam ſanitatum ſeu virtutum.

Regula 34. Apparitiones etiam Sanctorum ſive externis oculis viſibiles, ſivè internè tantùm in

in phantaſia exiſtentes, pro dœmoniacis habendæ ſunt. 1. Si ad eas obtinendas adhibeatur aliquod factum vel dictum ex duodecim. 2. Quando apparens conſulit aliquid contra fidem vel bonos mores. 3. Quando non excitant ad ſpiritualem profectum ſed ad temporalia, & inania. 4. Quando invitant ad ſuperbiam. Ita Art. 19. L. CC. N. 850.

CAP. VI.

Regulæ Cardinalis Bona Ord. Ciſterc.

De Diſcretione Spirituum.

R*Egula* 1. Non poteſt homo diſcernere ſine lumine ſupernaturali à Deo infuſo, an quis ambulet in Spiritu veritatis. C. 1. Ratio eſt primo, quia juxta Apoſtolum nemo novit, quæ Dei ſunt, niſi ſpiritus ejus 1. Cor. 2. Secundo quia vocationes Dei diverſæ ſunt, ut eadem, quæ in uno via à Deo eſt, in alio ſit contraria impulſui divino. Tertio, quia fraudes diaboli ſunt multiplices & innumeræ nocendi artes, & laquei pene inextricabiles; idemque ſe quandoque transfiguret in angelum lucis. Quarto, quia affectionum noſtrarum tumultuantium impetus ſimul moventur, ac ſimul currunt cum inſtinctibus internis, ut proin inſtinctus boni à pravis inter tot affectionum agitatarum procellas ac tenebras difficulter diſcerni poſſint.

Regula 2. Ad unam eandemque rem modo dœmon, modo natura, modo Deus impellit. Ib. N. 3.

Regu-

Regula 3. Sanctitas perſonæ non tollit periculum aut ſuſpicionem de illuſione dœmonum; immo majus eſt de illuſione periculum in ſanctis, quàm non ſanctis. Ib. N. 1. Ratio eſt, quia, cum juxta Scripturam Habacuc 1. v. 16. Satanæ *cibus electi ſint*, illos præcipuè decipere ac devorare conatur, qui ſanctiores ſunt. Et ob hoc ſanctiores cautius cavere debent, ne ab illo decipiantur. Exemplum habetur in Tertulliano, qui dum ſpecie deceptus caſtitatis & abſtinentiæ inſanarum mulierum deliramenta tanquam veras prophetias præcipiti judicio ſuſcipit, ex Eccleſiæ Magiſtro fidei hoſtis acerrimus factus eſt.

Regula 4. Diſcretio ſpirituum conſiſtit in peculiari motione Spiritûs Sancti ad diſcernendum inter varios motus à quo ſpiritu proveniant, bono an malo, ſive ad mores ſpectent, ſive ad doctrinam; ſive quis interius & inviſibiliter moveatur, & excitetur, ſive exterius per homines docentes & conſulentes, aut per angelos ſenſibiliter loquentes vel âpparentes. C. 2. N. 2.

Regula 5. Diſcretio ſpirituum eſt gratia gratis data; adeoque ſanctitas perſonæ non eſt argumentum, quod polleat diſcretione ſpirituum in ſe vel in aliis. Ib. C. 2. N. 3. Ratio eſt, quia Apoſtolus hanc diſcretionem ſpirituum ponit inter gratias gratis datas 1. Cor. 12. dicens: diviſiones autem gratiarum ſunt. Alii datur prophetia, alii diſcretio ſpirituum; alii genera linguarum. Hinc diſcretio ſpirituum non omnibus datur, ſed quibus & quando

 vult,

vult, ad diſcernendos ſpiritus non ſolùm in ſeipſis, ſed etiam in aliis ad communem Eccleſiæ utilitatem.

Regula 6. Donum diſcretionis ſpirituum non infunditur per modum habitus permanentis, ſed per modum motionis tranſeuntis; adeoque ex eo, quod aliqui ſancti probentur habuiſſe donum hujus diſcretionis, non ſequitur, quod illud ſemper habuerint. Ib. N. 3. Ratio eſt, quia concors eſt Theologorum ſententia, hanc & cæteras gratias gratis datas in ſolo Chriſto extitiſſe per modum habitus. Idem docet *S. Gregorius* L. 2. Mor. C. 27. dicens: In cunctis fidelibus ſpiritus venit, ſed in ſolo mediatore ſemper ſingulariter permanet, quia ejus humanitatem nunquam deſeruit, ex cujus divinitate procedit. In illo igitur manet, qui omnia & ſolus poteſt. Nam fideles qui hunc accipiunt, cum ſignorum dona ſemper habere, ut volunt, non poſſunt, hunc ſe accepiſſe quaſi in tranſitus oſtenſione teſtantur. *Idem.* 2. *Dial. C.* 21. Prophetiæ ſpiritus Prophetarum mentes non ſemper irradiat. Quia ſicut de Spiritu Sancto ſcriptum eſt; ubi vult ſpirat; ita ſciendum eſt, quia & quando vult aſpirat. Quod omnipotens Deus ex magnæ pietatis diſpenſatione diſponit; quia dum ſpiritum prophetiæ aliquando dat & aliquando ſubtrahit, & mentes elevat in celſitudine, & cuſtodit in humilitate, ut & accipientes ſpiritum inveniant, quid de Deo ſint; & rurſum non habentes cognoſcant, quid de ſemetipſis.

Regula 7. Diſcretio Spirituum ut plurimùm ſolis juſtis & mundis corde, ac à perturbatione paſſionum liberis infunditur. Ib. N. 4. Ratio eſt, quia licet gratiæ gratis datæ etiam in malis juxta communem Theologorum reperiri poſſint, perturbationes tamen paſſionum ſunt ſpecia-

Digitized by Google

ſpecialis diſpoſitio animi, valde oppoſita luci internæ, & tranquillo de ſtatu interno judicio, ut obſervat D. Th. 2. 2. Q. 172. A. 4. Idem docent Joannes Climacus, S. Diadochus, & S. Laurentius Juſtinianus. L. CC. relati.

Regula 8. Eadem regulariter non reperitur, niſi in iis, qui humiles corde ſunt, & variis tentationibus diutiſſimè probati. Ib. N. 4. Ratio eſt, quia, ut Sapiens Eccleſ. 34. ait: Qui non eſt tentatus, quid ſcit? vir in multis expertus cogitabit multa, quod potiſſimum locum habet circa myſticas Sancti Spiritus operationes, ejusque occultas ſemitas, & diverſas vocationes, diaboli verſutias, & intima cordis penetralia; ubi concurrit complexum tot circumſtantiarum, ut per experientiam uno quaſi obtutu videri, minimè verò doctrina explicari poſſit. Idem docet S. Laurentius Juſtinianus L. de Obed. C. 16.

Regula 9. Hinc authoritas eorum, qui eam tranquillitatem animi, humilitatem, aut certè per varias tentationes experientiam non habent, in hac materia non præbet ſolidum argumentum ad ſtabiliendam aut refellandam veritatem revelationum. Sequitur ex Regula antecedenti.

CAP.

CAP. VII.

Regulæ de Revelationibus ex Joan. Franc. Pico Mirandulano.

R*Egula* 1. Is, qui certus eſt revelationem ſibi factam divinam eſſe, tenetur ei credere, non ſecus ac Evangelio. *De Fide. Theor.* 9. Ratio eſt, quia alioquin repugnaret Deo.

Regula 2. Certitudo, revelationem divinam eſſe, habetur per ſpeciale lumen ſupernaturale, excluſivum in intellectu omnis ambiguitatis aut dubii. Ibid. Ratio eſt, quia lumen ſupernaturale infuſum non eſt minorum virium, quàm lumen naturale circa ſcientiarum principia per ſe nota; ſicut ergo lumen naturale omnem ambiguitatem in intellectu excludit, & per hoc reddit eundem certum, ita ea claritas luminis, quam Deo conferendo revelationes infundit, expellit omnem ambiguitatem, & per hoc ipſum reddit intellectum certum, revelationem divinam eſſe; & tranquilliſſimum conſtituit animum, ita ut nulla ſuboriatur cogitatio aut formido oppoſiti. Paulus Apoſtolus tantum aberat, ut dubitaret de revelatione ſibi facta, ut etiam ſcriberet: etiamſi Angelus aliud vobis evangelizaverit, anathema ſit. Sed & vidi & audivi, qui publicè conteſtaretur, dubitare ſe magis poſſe, an duo binarii quaternarium efficerent; itemque an totum majus eſſet ſua parte, quàm id, quod de futuris ſibi revelatum fuerat, falſum eſſe, aut à Deo non provenisse. Idem mihi & alii de revelationibus ad ſe factis aſſeruerunt; quanquam nonnulli mentiti ſint. Expertus enim ſum prædictores veros, expertus ſum & falſos.

Regu-

Regula 3. Si quando ambiguitas in anima prophetæ reſederit, aut divina revelatio non eſt, aut ſaltem non pura & impermixta, ſed vel phantasmatibus, vel tempori, vel conditioni alicui, vel rationi naturali permixta & conglutinata. Hæ ipſæ tamen revelationes à perſonis, quæ aliquando veras revelationes habuerunt, ſpirituque prophetico pollent, à falſis revelationibus facile diſcernuntur. Ibid. Probatur ab experientia S. Monicæ, quæ, ut S. Auguſtinus in L. Confeſſ. teſtatur, dicere ſolebat, diſcernere ſe, quid intereſſet inter animam ſuam ſomniantem, & DEum revelantem.

Regula 4. Illi, quibus ejusmodi revelationes non fiunt, eisdem credere non obligantur. Ibid. & Theor. 14. Ratio eſt, quia fidelium univerſitatis ad alia credenda non adſtringitur, niſi quæ ab omnibus credenda proponit Eccleſia, videlicet Concilium Generale, aut ſummus Pontifex, Eccleſia non reclamante. Theor. 8. & 14. & quia alioquin teneremur quandoque credere inter ſe oppoſita, cum revelationes nonnunquam pugnent inter ſe.

Regula 5. Similiter ad credendas eas veritates quæ ex ejusmodi revelationibus certa conſequentia deducuntur, ſoli illi, quibus eæ revelationes fiunt, non autem alii adſtringuntur. Ibid. Theor. 9. & 7. Ratio eſt, quia ea, quæ certa illatione ex præmiſſis lumine fidei vel naturæ deducuntur, virtualiter, in iisdem continentur; adeoque etiam ſubſtant eidem lumini ſuaſivo fidei, & iisdem credendorum, vel non neceſſariò credendorum obligationi & regulis.

Digitized by Google

Regula 6. Revelationes, etiam Sanctorum, quando ab Eccleſia proponuntur, quamvis neceſſario credendæ non ſint, non tamen ſunt temerè, ſine convincenti teſtimonio vel argumento in oppoſitum rejiciendæ. Theor. 14. & 15. Ratio 2. partis eſt, quia ſi leve ac temerarium cenſeretur, prudentis hominis, nulla etiam dignitate inſigniti, judicium falſum arbitrari, niſi evidenti id teſtimonio conſtaret; quanto magis injurioſum & mûlcta dignum, eorum judiciis inconſulto fidem abrogare, qui aut majeſtate verenda, aut vitæ puritate in terris præfulgent. Ratio verò 1. partis eſt, quia tales revelationes ab Eccleſia non proponuntur, ut neceſſariò credendæ. Ita enim Gerſon, Chriſtianiſſimus cognomento Theologus in Declaratione compendiaria earum veritatum, quæ aut de neceſſitate ſalutis credendæ ſunt, aut de ſola probabilitate, aut de pietate fidei tenendæ, ſcribit: non omnia, quæ tradidit, vel tolerat Eccleſia publicè legenda, eſſe de neceſſitate ſalutis credenda, ſed illa duntaxat, quæ univerſali totius Eccleſiæ conſenſu implicitè, vel explicitè, vel interpretativè concurrente ſub definitione judiciali tradit eſſe credenda. Et demum ſubdit; Legendas, & miracula Sanctorum, vitas Patrum, viſiones devotarum perſonarum, recitationes & opiniones Sacrorum Doctorum. &c. ſuſcipi ab Eccleſia & legi permitti, non ideo, quia determinet talia de neceſſitate ſalutis credenda, ſed quia proficiunt ad commovendos affectus pios fidelium. Et de hujusmodi materia idem Doctor paſſim per ſua opuſcula, præſertim prima parte voluminum, eruditè, & doctè, & evangelicæ veritati & rationi conſentaneè.

Regula 7. Quando dubium eſt, revelationem perſonæ eximiæ veram an falſam eſſe, ſuſpendendum eſt judicium. Hanc Regulam Picus non tradit expreſsè

Digitized by Google

preſsè de Revelationibus, ſed de Controverſiis fidei; ob paritatem tamen rationis etiam ad illas extendenda eſt. L. CC. Theor. 22. ait: ſi dubietas exoriretur, quænam partium in Controverſiis fidei Evangelicæ veritati niteretur magis, nullo modo præcipitanda foret ſententia. Periculoſum enim, & impium, in cauſa fidei tam ſeria & tanti diſcriminis quidquam temerè definire. Quamobrem librato judicio veritas, quæ ſe fidelium mentibus ingerat, exſpectanda eſt; & in eo quod intercedit tempore exorandus eſt Deus pro impetranda diſcretione ſpirituum. - Suſpendendum proin aliquando judicium in cauſis fidei controverſis & ambiguis, ne laqueis diaboli irretiamur.

Regula 8. Dantur prophetiæ ac revelationes tacitè conditionatæ, quæ non ſemper implentur. De Prænot. L. 2. C. 6. ubi ait: Quæ conditionata eſt prophetia, non impletur ſemper. In ea enim tantum prævidetur & prænuntiatur Ordo cauſæ ad effectum, qui impediri ac transmutari aliis intervenientibus poteſt; veluti cum Jonas prænuntiavit everſionem civitatis Ninive, ita exigentibus incolarum flagitiis, quibus veluti cauſis per pœnitentiam Ninivitarum ſuccisis conſentaneum erat, ut etiam effectus ſeu deſolatio aboleretur. Sic & Iſaias Ezechiæ mortem prædixit, affectâ morbo naturâ id volente, qui fuſis prece & lachrimis vivendi ſpatium impetravit.

Regula 9. Prophetiæ dantur duo genera; una habetur *per lumen*, quo reteguntur antea incognita; altera *per inſtinctum*, quo mens movetur ad credenda aut promulganda, quæ jam antea fuerant cogitata & cognita. Ib. C. 9. Ut hæc regula bene intelligatur, Picus explicat naturam hujus *luminis*, de Prænot. L. 2. C. 1. In prophetia tria concurrunt. 1. Earum rerum, quæ revelantur, ſpecies ſeu notæ, impreſſæ vel ſenſibus per apparitionem,

nem, vel phantaſiæ, & imaginationi infuſæ; aut intellectui inditæ. 2. Intelligentia eorum, quæ per eas notas ac ſpecies ſignificantur, quod pertinet ad revelationem. 3. Notitia certa utrum ea ſignificatio ſit derivata à Deo; an verò proveniat à ſuggeſtione dœmonis? hoc, quamvis etiam pertineat ad revelationem, propriè tamen pertinet ad diſcretionem ſpirituum. Sæpe ambæ conjunguntur & eodem lumine manifeſtantur. Et C. 2. Ille propriè Propheta intelligitur, qui viſionum, apparitionumque, aut notarum menti inſpiratarum ſignificantiam per revelationem percepit, quæ ſine infuſo divino lumine non eſt. Ex defectu hujus revelationis propriè prophetæ non erant Balthaſar, Pharao, Nabuchodonoſor, quibus manus in pariete ſcribens, vaccæ & ſpicæ, & ſtatua &c. oſtenſa ſunt. Si autem aliquando adfuerit lumen, abditas veritates intellectuales pandens, prophetia non deeſt, quamvis deſint rerum ſimilitudines ſenſibiles; infunditur enim aliquando intelligentia ex lumine abſque ſpecie ſenſibili, ſicut Davidi, & Salomoni, & Apoſtolis creditur adfuiſſe. Et C. 3. Prophetia ſupernaturali lumine habetur, quo illuſtratur prophetæ mens ad ea noſcenda, quæ poſtmodum aliis invulgant. Hoc autem lumen intellectui per ſe non immanet per modum habitus, ut prophetæ ſemper pro libitu futura prævideant, ſed ineſt eorum menti, ut paſſio quædam tranſiens. Deeſt enim Spiritus prophetiæ aliquando prophetis. Ita Eliſæus de Sunamitide dicit: Anima ejus in amaritudine eſt, & Dominus non indicavit mihi; & Nathan quoque ad Davidem pertinere credebat, ut templum ſtrueret Domino quod & ipſi Regi affirmarat; donec revelatione edoctus Salomoni id munus incumbere palinodiam cecinit. D. Thomas comparat prophetæ mentem diſcipulo necdum, principia artis perfectè adepto, quem de ſingulis oporteat erudiri; aut aëri, qui nova ſemper illuminatione indiget. Imaginor ego ita evenire, ſicut cum in obſcuro jacet, ſubito accedente lampade illuminatur; ea recedente cæcudit in tenebris; redeunte iterum illuſtratur. Intellectus

lectus noſter, cum fallatur plurimùm per ratiocinationem ipſam atque diſcurſum, crepuſculi vicem gerere videtur ad præſentia, noctis verò comparativè ad futura. Huic illud Petri conſonat: *Habemus propheticum ſermonem, cui bene facitis attendentes, quaſi lucernæ lucenti in caliginoſo loco.* Et illud Michex, *dum ſedero in tenebris Dominus lux mea eſt.* Et C. 8. Porro huic divino lumini ſubjiciuntur univerſa, quæcunque cognoſci poſſunt. *Confirmari* poteſt exemplo corporei luminis, cui omnia colorum genera ſubſtant, & ab eo colluſtrantur. Nec ſecus ſpirituale illud lumen ſuos quaſi radios quocunque dirigere poteſt, cum omnia divino lumini præſentia, præſtoque ſint.

Regula 10. Propheta errare poteſt, quando lumen præfatum eſt tenue, aut inſtinctus ambiguus. Ib. C. 9. ait: Prophetæ mens duplici modo moveri à Deo ad prædicendum poteſt; aut enim expreſſa & certa revelatione illuſtratur, de qua locuti ſumus. Aut inſtinctu quodam occulto ducitur, & in utroque habentur gradus. Lumen enim illud propheticum aliquando intenſius, aliquando verò remiſſius eſſe poteſt, ſicut in lumine, quod manat de corporibus, liquet. Et ſane rebus majoribus, credituque difficilioribus intenſius lumen requiri, conſentaneum eſt, quàm minoribus. Quis enim ambigat Abrahamum ad immolandum filium non inductum, præterquam affluentiſſimo & exuberantiſſimo lumine, quo extra omnem dubitationem cernere poſſet, ita à ſe fieri debere, quanquam aliud ſibi eſſe alioquin agendum naturali lumine monſtraretur? Sed & ipſe allocutus ego viros prævidentes ſum, qui aliqua oſtenſa ſibi clariſſimo lumine dicebant; alia non adeo intenſo, ut citra dubietatem certiores eſſent. Pro diſpoſitione item prophetæ varia variè interdum in eis lumen recipitur. Pro rebus item, quæ aut prope aut longè, id eſt, cito aut tardò futuræ ſunt. Inde fit, ut non uno ſemper modo, ſed multis modis loqui & prænuntiare poſſint. Nec ſecus falli quis poſſet imprudens propheta, ac imprudens civis.

Si enim ille de eis, quæ in ſua civitate aut villa aut domo ſunt, ſenſibilibus judicium ferre vellet alio ſenſu, quàm proprio uniuscujusque ſenſibilis, deciperetur. Pari modo, ſi de eis, quæ particulari lumine minimè monſtrantur, pronuntiaret propheta, falli poſſet. Inſtinctu autem quandoque certo ducitur propheta, quandoque ambiguo, minimè videlicet diſcernens, proprio id an divino ſpiritu cogitaverit. Inſtinctus autem ille imperfectum quiddam eſt, ut ait Thomas, in genere prophetiæ, & augeri, uti de lumine diximus, & minui poteſt, cum ipſum inſtinctum interdum etiam humanæ patiantur mentes, quemadmodum XIImo in Geneſin volumine ſcribit Auguſtinus; quem ſi bonus alioquin & verus propheta ambiguè quandoque ſequeretur, atque ob id deciperetur, ſtatim corrigeretur à Domino. Exemplum legitur de Nathan propheta, qui cum proprio ſpiritu Davidi conſuluiſſet, ab illo prius ipſe conſultus; an conſtrueret templum? conſtruendam omnino, quam excogitaverat domum Dei, correctus mox ab illo recantavit. Quamobrem de Prophetis loquens magnus ille Gregorius ſcribit: Ne tamen error ex hoc poſſit accidere, per Spiritum Sanctum citius correcti ab eo, quæ vera ſunt, audiunt, & ſemetipſos, quia falſa dixerint, reprehendunt. Ob duplicem igitur hunc motum dupliciter prophetæ pronuntiant, expreſſa revelatione ſcilicet, & inſtinctu, ac pro intenſione remiſſioneve vel luminis vel inſtinctus; quanquam hi qui ad prænuntiandum populis futura deliguntur prophetæ, clariſſimis revelationibus illuſtrentur, quo fit, ut audacter atque intrepidè pronuntient. Scandalum enim & præjudicium majus eſſet, ſi falſitas publicè doceretur, nec ſi poſtea palinodiam canerent, omnes eam intelligerent, qui aſſeverationi interfuêre.

Regula 11. Revelationes de objectis curioſis tanquam ſuſpectæ & dubiæ habeantur. Ratio eſt, quia ea, quæ videntur curioſa, aliquando ob utilitatem publicam aut privatam, quamvis non propatulam, revera revelata ſunt

ſanctis;

ſanctis; plerumque autem, objecta veræ revelationis non fuerunt. *Picus de Prænot. L.* 8. *C.* 5. ſic habet. Non frivola & inania, nec paſſim & frequentiſſimè, aut ab omnibus, nec quacunque ex cauſa, ut præſciantur, à Deo, vel angelis poſtulanda ſunt. Quando aliqui, ex eo, quod legant prophetis, & aliis Sanctis particularia multa v. g. de ſtatu regum & populi revelata eſſe, Dei afflatu prænoſſe affectant, ſibi imputent, ſi decipiantur. Singularia quippe vel temporis alicujus, vel hominum privilegia ad omne tempus, vel ad quoſcunque homines transferri æquum non eſt. Frœnanda proin curioſitas eſt, & ea, quæ vel in ſacris Litteris, vel ſtatutis Eccleſiæ, vel Theologorum doctrinis, vel ſanis philoſophorum dogmatis, vel civilibus legibus, aut medicinæ præceptis reperiuntur, non importuna curioſitate ſupernè quærenda ſunt. Pudeat homines in religione Chriſti quæcunque minutula per revelationem rimari, cum etiam apud Ægyptios gentiles id nefas eſſe putatum ſit. Reſcribit Jamblichus ad Porphyrii Epiſtolam pro Anebone Magiſtro: Sacerdotes Ægyptios de rebus exiguis divinam intelligentiam non interpellaſſe, ſed de iis, quæ ad purgationem & ſalutem animæ pertinerent. Et ſane, quæ nec conducunt ad bene beatèque agendum, aut quæ multo poſt tempore futura ſunt, poſtulanda non ſunt, ut præſciamus; ſed ea tantùm, quæ ad ſalutem pertinent, de quibus alioquin ex ſacris litteris, vel aliorum conſilio, & litterariis monumentis exactè erudiri non poſſumus, tametſi ea, quæ poſteritati futura ſunt, non excludamus. Subeat Chriſtianorum mentes pudor eximius, dum nimia anhelant futurorum cupidine, & prænoſcendi magis, quàm propriæ ſalutis æſtuant ſiti, quando Jamblichus gentilis cenſuerit, Deos ſuos occulere futura tum, cum virtus exercenda eſſet. Si hoc ille vidit in tenebris, nos in luce non videbimus? Quanquam minimè ſacrilegium putaremus, ſi id quis humiliter peteret ſub præfatis conditionibus, ac dum urgens eſſet neceſſitas, nec adeſſet, qui divinis revelationibus illuſtraretur.

Regula

Digitized by Google

Regula 12. Revelationes, quæ ex uno capite dubiæ ac ſuſpectæ ſunt, ex aliis indiciis dijudicandæ ſunt, veræne an falſæ ſint. Picus L. CC. ſic habet: Quoniam verò de particularibus non eſt ſcientia, nec commodè ſciri poteſt, quinam ſint divinis hauriendis afflatibus idonei, quibus nos videlicet concredamus, idcirco ad dubiarum revelationum regulas deſcendamus.

Regula 13. Revelationes veræ à falſis ex ſeipſis non facile diſcernuntur ſine indiciis extrinſecis, ex conditione perſonæ & diſpoſitionum, aut ſine diſcretione ſpirituum. L. 9. de Prænot. C. 1. ſic habet: difficillimum eſt in hac re judicium; communicant enim ſæpe cum divinis prænotionibus naturales, cum ſuperſtitioſis curioſæ, ex quibus non jam mixtio reſultet atque confuſio, verùm noſtri potius oculi mentalis hallucinatio; & anima exiſtimare poteſt, percepiſſe ab angelis, quod ipſamet ex ſeipſa finxit, vel ſomno præpedita, vel nimio amore obcœcata, vel ardentioribus odiis affecta, vel corporalibus morbis hallucinata. Hinc regulas conſtituere oportet, quibus divina ab humanis ſecernantur. Perpendenda igitur revelantis conditio, ipſa natura revelationis & ejus proprietates; utrum in aliis genuinis revelationibus reperiantur, & vita & mores perſonæ, dein quæ patiatur extrinſecus, affectiones videlicet &c. ſed exactius diſcretione ſpirituum ſecernuntur.

Regula 14. Revelationes perſonarum, in quibus deprehenduntur cauſæ propinquæ fraudum aut illuſionum, & ipſæ pro ſuſpectis habeantur. L. 9. Prænot. C. 2. Tales autem perſonæ ſunt 1. qui nimia macie confecti cholera nigra laborant, aut ſenio macerati ad extremam decrepitam pervenerunt, niſi in iis multa ſanctitatis indicia

præ-

Digitized by Google

præceſſerint. Ratio eſt, quia tales quandoque videre ſibi videntur, quæ non ſunt. 2. Qui veræ Religionis exortes ſunt, ut gentiles. Quia tales patent illuſionibus dœmonum. 3. Quorum mores fidei non reſpondent, præſertim ſi ſoleant efferri ſuperbia, ſi dilabantur voluptate, ſi ducantur avaritia. Quamvis enim & mali homines aliquando vera & magna prædicere poſſint, rarò tamen id evenit. Quapropter in iſtis ſemper fraus metuenda eſt. 4. Qui aliàs ſe monſtrarunt eſſe judicii præcipitis non recti ac imprudentis. Nam qui nimis avidus, minuſque conſideratus & præceps in aliqua re eſt, ſive ea ad iraſcibilem ſive ad concupiſcibilem pertineat, verendum ne ita in iis, quæ ad intellectum & ad divina ſpectant, pariter ruat, & ex imprudentia prolapſus offendat. 5. Qui temperatione corporis, morbo, aut ſtudio vicini aut proni ſunt in phreneſin, aut paſſiones phantaſticas. Nam & ægroti multi, & phrenetici, & ob intenſionem animi exorbitantes vidiſſe ſe quandoque putant & audiviſſe, quæ nunquam oculis vel auribus hauſerunt; ſicque ex multis ac vehementioribus phantaſiis hallucinantur. 6. Qui vehementi animi impetu præditi vel ardenti amore vel odio macerantur, aut novitio fervore ſubito abripiuntur. Nam & iis, qui novitio quodam fervore Deo famulantur, ob fixas rerum imagines, quibus meditandis ad pietatem excitari cupiunt, vana pro veris oſtendi poſſunt, & à dœmone, & à ſeipſis illudi; maximè ſi præter Magiſtrorum Dogmata habenas laxent; ita permittente Deo, ut in poſterum cautiores fiant, vel ut piaculum eluant. 7. Qui in ſomnis vident, quæ fervidè amant. In ſomno enim potiſſimum periculum ineſt, ne ea, quæ interdiu cogitavimus, *tempore nocturno reddat amica quies.* Et in amatoriis rebus præſertim id accidit, ut qui amant, ſibi ſomnia fingant. Quod & conſonat rationi; cum nulla in noſtro animo regnet affectio animi impetuoſior amore. Quamobrem eis, qui ferventiori amoris impetu feruntur etiam ad res non malas, periculum imminet, ne affectu nimio hallucinentur. Dum enim vo-

luntas nimium propenſa eſt, aberrare judicium poteſt. 8. Qui aliorum conſilia reſpuunt. 9. Qui de omnibus ſe à Deo per revelationem erudiri præſumptuosè cupiunt. 10. Qui tribulationes indignanter ferunt. 11. Qui ſingularitatem vitæ, & in veſtitu ſequuntur, nulla ſpeciali utilitate ſpirituali inducti. Quia hæc omnia ſunt ſigna ſuperbiæ. 12. Qui delectantur mendaciis. Talium, etiamſi prædictiones aliquæ veræ ſint, omnia, quæ effantur, aut pro falſis, aut de falſitate ſuſpectis haberi debent. 13. Si ſit novitius in viſionibus percipiendis, nec antea unquam de illuſionibus tentatus fuerit; cùm enim nullus ſit, quem dœmon non aggrediatur, verendum, ne decipiatur in principio; maximè cum per experientiam & collationem plurium viſionum non potuerit ſibi comparare regulam, dignoſcendi viſiones veras à falſis. 14. Si ſit Spiritus inſtabilis, vagi, turbulenti, ac inquieti. Quia Spiritus Domini non ſolet quieſcere, niſi ſuper quietum & humilem. Et ea eſt proprietas recepti in animo Spiritus, ut animum avocet à terrenis ad cœleſtia, eaque pace quiete & tranquillitate animum perfundat, quam mundus dare non poteſt. Hucusque Picus.

Regula 15. Revelationibus virorum majori confidentia aſſentiendum, quàm mulierum. Has enim, ne publicè in Eccleſia docerent, vetuit Apoſtolus; & rationis judicium, quo reſiſtant illuſionibus, in viris firmius eſt.

Regula 16. In antiquioribus prophetis magis attendendum erat ad mores eorum, quàm ad dicta & dogmata; in iſtis verò poſt confirmatum Canonem ad dogmata magis, quam vitam loquentis inſpiciendum eſt. Quia antiquis temporibus non dabatur hominibus alia regula diſcernendi veras revelationes à falſis, niſi authoritas loquentis. Nunc autem poſt conſtitu-

tam

tam veritatis regulam licet prius inſpicere, an ea, quæ proferuntur, prioribus conſonent? quàm declarent vetera, quàm neceſſaria, quàm utilia, quàm bona ſuadeant?

Regula 17. In revelationibus inſpiciendum, ſi conſtans ipſa revelatio fuerit, ſi ſacris conſona libris, ſi ad honorem Dei & hominum ſalutem pertinet, ſi non abhorreat ab eis viſionibus, & ab eo ſcribendi loquendique modo, quæ probatis viris ab Eccleſia attribuuntur, ſi ſimilitudinem gerat cum eis de quibus non dubitamus. Quod ſi à conſueta revelationum formula recedat, aut nova ſit, aut & quidpiam inſolitum referat, judicium ſuſpendendum eſt, & examini maturiori temporique ſubjiciendum. Prænot. L. 9. C. 3. Sic & Jacob, cum de ſomno Joſephi ſermo haberetur, non præcipitabat ſententiam, ſed, ut Scriptura loquitur, Pater rem tacitus conſiderabat. Et B. Virgo, dum ab Angelò ſalutaretur, non continuò aſſenſum præbuit, *ſed cogitabat*, qualis eſſet iſta ſalutatio. S. Ambroſius quoque non tulit præceps judicium in revelatione ſibi facta de Corporibus Martyrum Gervaſii & Protaſii. Ita & S. Antonius Eremita monebat ſuos, ut, ſi illis offeretur viſio, audacter requirerent, quisnam eſſet, & unde veniſſet, qui apparet; ſi enim eſſet apparitio Sanctorum, ſubitò timorem ex angelica conſolatione convertendum in gaudium; ſecus, ſi diabolica foret tentatio, ex percontatione evanituram.

Regula 18. Quando revelationes diverſarum perſonarum inter ſe contrariantur, eæ præferendæ, quæ ſcripturis, ſenſui Doctorum, & rationi magis conſentiunt, maximè ſi ſint perſonarum ſanctitate & diſcretione ſpirituum illuſtrium. Quod

Digitized by Google

ſi verò ambæ perſonæ ſanctæ ſint, & expertæ; ſuſpendendum judicium, vel quod cuivis libet, ſentiendum. Prænot. L. 9. C. 4. Ratio prioris partis eſt, quia cum dæmon ſemper ſuis mendaciis nitatur invertere opera Dei, non propterea revelationes probatæ rejiciendæ, quod dæmon ſuis illuſionibus contradicat. Ratio verò poſterioris eſt, quia v. g. circa Revelationes S. Catharinæ Senenſis, & S. Brigittæ de Conceptione B. V. quæ diſſentiunt inter ſe, difficile eſt ſcire, quæ ex his duabus vera aut falſa ſit.

Regula 19. Revelationes, quæ non manifeſtè propriam vel communem utilitatem præferunt, vel rejiciendæ, vel ſeveriori examini ſubjiciendæ ſunt. Ib. C. 5.

Regula 20. Nulla in particulari Regula excogitari poteſt ad ſtabiliendam revelationem veram, à Scripturis vel Eccleſia pro vera non receptam, quæ aliquando in particulari caſu non fallat, aut non fallere poſſit, præter eam, quæ habetur ex diſcretione ſpirituum. Ib. C. 6. Ratio eſt, quia dantur innumeræ deceptiones hominum vel dæmonum, etiam ubi non eſt locus ſuſpicioni de fraude; ſecundò quia ipſæ Regulæ Sanctorum ſine diſcretione ſpirituum non ſufficiunt. S. Antonius viſiones veras à diabolicis diſtinguebat, quod iſtæ fierent in formis truculentis & relinquerent terrorem. S. Monica eas diſcernebat ſapore quodam interno. S. Catharina Senenſis retulit, ſe hoc à Deo ſignum accepiſſe diſcernendarum mentis viſionum. Si dæmon in forma lucis ſeu angeli, aut ipſius Chriſti, aut Sanctorum in mente quorundam transformaret ſe, primò exoriturum in mente

Digitized by Google

te gaudium & alacritatem; id verò mox evaniturum, & ſucceſſurum tœdium obortis etiam tenebris & ſtimulis. Econtrà ſi à Deo viſitaretur anima, primo aſpectu oriturum ſanctum timorem, & cum eo pariter gaudium & ſecuritatem; permanſurumque illud in mente gaudium cum fame virtutum. Sed procedente opere ipſamet manifeſtavit, alacritatem illam non eſſe ſufficiens ſignum, niſi ardenti virtutum deſiderio & humilitate perfunderetur anima, & in divinæ charitatis fornace exureretur. Itaque, ſi alacritatis ferventiorisque virtutum amoris fieret acceſſio, divinas à dœmoniacis diſcernebat. D. Bernardus intimo quodam afflatu eas ſentiebat, quando ſimul ſibi aderat divina virtus ad patranda miracula & operandas ſanitates. Apud Severum legimus, cum S. Martinus ſenſiſſet, adeſſe Domini virtutem, Catechumenum ejus orationibus à mortuis ſuſcitatum. Alii illam internam diſcretionis ſpirituum vim vocant *illuminationem experientiæ*, alii *lumen propheticum*, alii *ſenſum divinum* minus ſenſibilem, ut Origenes contra Celſum; alii *inſpirationem intimam*, alii *conſilium*; alii aliter, ut apud Gregorium, Caſſianum, Auguſtinum, Athanaſium, Hugonem, Gerſonem, & alios legere eſt.

CAP. VIII.

Regulæ R. P. Joannis Thomæ Caſtaldo de Alaſſio, Ord. Præd. & Inquiſitionis Romanæ Qualificator ac Conſultor.

Hic Author edidit Romæ 1650. tres Tomos in Fol. de Poteſtate Angelica, ubi tradit ſequentes Regulas.

R*Egula* 1. Non eſt certum ſignum, nullam intervenire operationem dœmonis, quando invocatur nomen Divinum, vel JESU. T. 1. Diſt. 1. Q. 1. Art. 5. Dub. 1. ubi ſic de Diſcretione miraculorum ſcribit: Etiam magi nomen DEI & JESU immiſcent in ſuis ſuperſtitionibus, ut facilius credantur. Narrat Baronius ad annum 56, Judæorum Exorciſtas & Magos uſos fuiſſe adverſus dœmones nomine JESU inſtar Apoſtolorum. Et ad annum 60. narrat, Lucianum Epicureum annulum accepiſſe ex quadam Cruce contextum, quo erat ſecurus adverſus pravos dœmones &c.

Regula 2. Miracula dœmoniaca à divinis diſcerni poſſunt, 1. ex *efficacia* virtutis, quia ſigna aliquando fiunt circa ea, ad quæ virtus naturalis ſe non extendit, ut eſt ſuſcitare mortuos. 2. Ex *utilitate* ſignorum; quia ſigna per bonos facta ſunt de rebus utilibus, ut in curatione infirmitatum & hujusmodi: ſigna autem per malos facta ſunt in rebus nocivis vel vanis, ſicut quod volant in aëre, vel reddunt membra hominum ſtupida. 3. Ex *fine*, quia ſigna bonorum ordinantur ad ædificationem fidei & bonorum morum. Sed ſigna malorum ſunt in manifeſtum nocumentum fidei & honeſtatis.

Regu-

Regula 3. DEus concurrit nonnunquam cum pravis hominibus ad miracula non ſolùm, quando ea dirigunt in confirmationem veræ fidei, ſed etiam quando iis abutuntur ad vanitatem & uſum malum, dummodo non ea ordinent in confirmationem doctrinæ falſæ. L. CC. Art. 5. Quæſtiuncula 1. ſic habet: Quod DEus concurrat cum Prophetis pravis ſupernaturaliter, ordinantibus id ad pravum finem vel proprium commodum, conceditur. Non enim mirum eſt, aliquid fieri à Deo media creatura, & ab hac ordinari ad pravum finem - per hoc tamen Deus non concurrit ad malum illud, ut cauſa particularis, ſed ad miraculum ipſum, ad quod Deus concurrit ut inſtrumentum; at ordinaret ad pravum finem per actum, cujus ipſe eſt cauſa principalis; at Deus tantùm concurrit ut cauſa univerſalis. Moura pluribus probat, peculiariter D. Thomam 2. 2. Q. 178. a. 1. ad 3. & 1. Cor. 12. Lect. ſupponere, à malis poſſe fieri miracula, dummodo ad confirmationem ſuæ falſæ doctrinæ non dirigantur.

Regula 4. Etiamſi viſio videatur præſeferre ab initio finem bonum, poteſt nihilominus provenire à dœmone intendente finem exitialem. Ib. Art. 5. *de fine viſionis.* Et confirmat hoc exemplo. Ita, inquit, ſucceſſit Beato Jordano Generali ſecundo Ordinis noſtri, febribus acutiſſimis laboranti. Erat Cœnobii Prior quidam, qui aliquando Medicinæ operam dederat. Is ſciens Jordanum in morbo ſibi eſſe rigidiſſimum, dixit: Pater, oportet ægrotum ſe medico ſubjicere. Quapropter, licet ſis Religionis caput, mihi te ſubdas, & obedias neceſſe eſt. Annuit venerandus Pater humiliter. Igitur præter conſuetudinem Ordinis ſuper plumas quievit, ut Prior juſſerat. At nocte diabolus formam præferens angelicam apparuit dicens: O in-

Digitized by Google

O infelix, quale Ordini tuo & fratribus exemplum præbes? Sed non eſt tui Deus in finem oblitus, qui ad te corrigendum me miſit. Surge igitur è grabato, & terræ protinus ſupplex inhæreas. Statimque Diabolo evaneſcente Jordanus in terram corruit, & ſic Jacens, poſtquam illuxit, à Priore & Fratribus invenitur. Quem Prior ſeverè corripiens coegit in ſtrato decumbere. Sequente nocte iterum Diabolus priſtina formâ aſſumpta adſtitit, & durius quàm antea redarguit, velut inobedientem; moxque in ſolum ipſum deſilire præcipit. Quem cùm mane Prior in ſolo jacere conſpexiſſet, aſperrimè increpavit; & quia tantam membrorum debilitatem contraxerat, ſicque humores indurati fuerant, ut vix ſpiritum haberet, juſſit ipſum ſtratum aſcendere. Tertia nocte diabolus ut prioribus apparuit; ſed vir ſanctus in faciem ejus exſpuens eùm fugavit. Dœmon enim intendebat inhabilem reddere Jordanum ad prædicandum, cum innumeros fere peccatores converteret.

Regula 5. Si apparitiones miraculo non confirmentur, vel ſine lumine dicto divino, ſuſpendenda eſt ſententia. Ib. §. *unde veniat viſio.* Sic egit Jacob, ſomnia ſui filii tacitus conſiderans. Debent autem eſſe vera miracula, non mira tantùm, quæ dœmones ipſi poſſint efficere V. Reg. 9.

Regula 6. Si revelatio aliis indubitatis revelationibus confirmetur, prior redditur indubia. Ib. ita fuit revelatum Papæ Liberio ac Patritio & ejus uxori eadem nocte de Eccleſia ædificanda in Colle Exquilino; & fundatio Religionis de Mercede fuit ſimul revelata Arragonum Regi, S. Raymundo, & S. Petro Nolaſco. Dixi *indubitatas.* Quia poteſt dœmon revelationem fictam repetere, vel aliâ etiam falsâ primam conari ſtabilire.

Regula

Regula 7. Si revelationes diverſæ ad invicem opponantur, omnes ſuſpendendæ, nec præcipitanda ſententia. Ib. ratio eſt, quia interdum diabolus conatur veram revelationem per falſam eludere; & quandoque DEus dœmoniacam per veram vult eliminare.

Regula 8. Certum eſt, dœmonem etiam timoratiſſimis quandoque illudere. Ib.

Regula 9. Revelationes non publicentur, antequam à Sede Apoſtolica examinentur. Ib. *ſubdubium.* Leo IX. in Bulla, *Supernæ*, relata à Pegna in fine directorii jubet, ut inſpirationes non approbentur, aut populo publicentur, antequam à Sede Apoſtolica examinentur; concionatoremque contrarium facientem privandum ducit munere; rurſusque ſubjectum excommunicationi Pontifici reſervatæ decernit, niſi ſit periculum in mora, de quo Suarez de Cenſuris D. 22. S. 6. N. 8. In Capite autem, *cum ex injuncto.* Concil. Later. præcipitur, ut non niſi miraculo vel ſcripturæ teſtimonio probatæ recipiantur, Quod prædocuerat D. Thomas ad Romanos decimo lectione ſecunda; & interpretandus eſt de miraculis evidentibus, & indubitabilibus patratis ad illum ſpecialem finem; ita quod nulla tergiverſatione poſſit celari, vel dubitari, an ſit à dœmone, vel à caſu in talibus circumſtantiis.

Regula 10. Revelationes non ſunt admittendæ, niſi probatæ miraculo, aut Scripturæ teſtimonio. Patet ex Reg. 9.

Regula 11. Revelationes, cum & ipſæ ſint miracula, non ſunt admittendæ ſine ſufficienti neceſſitate, ac fundamento. Ib.

Regula 12. Revelationes etiam virorum, quorum vita & doctrina ab Eccleſia probata eſt, non habent authoritatem irrefragabilem, ſed tantùm probabilem, cui quisque absque fidei periculo valeat contraire; immo & absque temeritatis nota, & absque peccato mortali duritiæ, ſeu incredulitatis. Ib. ex Cajetano T. 2. Tr. 31. C. 1. & C. 5. concludit, in revelationibus non tam attendendum eſſe ad pietatem materiæ illarum, quàm ad Patrum doctrinam; contra quam ſi convincantur fieri, angelum Sathanæ, vel phantaſias, aut figmenta ſapientibus ingerere videntur. Et loquebatur expreſsè etiam de revelationibus Brigittæ. De cujus & Beatæ Mechtildis revelationibus ſic ſcripſit *Baronius* Tom. 8. in vita Gregorii & Phocæ. *Veneror quidem, & colo, ut par eſt, ſanctas ipſas; ſed de revelationibus ipſis factis, vel potius ipſis adſcriptis, ea duntaxat recipio, quæ Eccleſia recepit* - immo addit, ipſas proferre pugnantia inter ſe, & cum veritate catholica. Nec multum diſtat Suarez cum Tom. 3. in 3. D. 35. S. 2. & 4. ſic prodit: *Revelationes fœminarum non cogunt nos, ut eas veras eſſe credamus.* Tractat autem de quodam affirmante, flagella quæ Chriſtus paſſus eſt, numerum quinque millium exceſſiſſe. Dein licet D. 2. S. 5. §. 3. ſimpliciter approbet ut certas revelationes B. Brigittæ; tamen D. 36. S. 4. in dubio, an Chriſtus nudus pependerit in Cruce, relatâ opinione negativa ex Brigitta, affirmativam ſequitur. Tandem Cajetanus ſupra C. 1. ait: Revelationibus contentis in ſacra pagina & Decretalibus fidei inhæremus tanquam neceſſariis; ita quod ſe hæreticum probat, qui pertinaciter alicui eorum adverſatur. Revelationi autem factæ Sanctis, quorum doctrinam Eccleſia ſuſcipit, tanquam probabilibus inhæremus, ut D. Thomas, & Auguſtinus ſcripſerunt, & magiſtra rerum experientia quotidie teſtatur.

Regu-

Regula 13. Revelationes particulares, quæ non ſpectant ad communem Eccleſiæ ſtatum & utilitatem, nec fuerunt traditæ ab Apoſtolis & Prophetis, Eccleſia approbante, nequaquam ſub objecto fidei Catholicæ continentur. Ibid. D. 2. Q. 1. a 5. Controv. 6.

Regula 14. Revelata particularibus perſonis, etſi ſupernaturalia ſint, ut v. g. ſi alicui revelaretur, quod ex merito Chriſti angeli conſecuti ſint gloriam, non ſpectat ad aſſenſum fidei virtutis Theologicæ. Ib.

Regula 15. Non eſt idem ſpecificus aſſenſus, quo aſſentimur catholicis veritatibus ſupernaturalibus ac aſſenſus ille, quo quis adhæret veritatibus facta particularia concernentibus. Ib.

Regula 16. Hujuſmodi revelationibus ad communem Eccleſiæ ſtatum non ſpectantibus planè tamen intellectum determinantibus aſſentitur homo per lumen ſupernaturale fidei particularis, quod eſt intellectui infuſum non per modum habitûs, ſed per modum actus.

Regula 17. Revelationes fœminarum inprimis ſuſpectæ ſunto. Ib. a 5. Controv. 5. §. ſigna ex parte perſonæ. Ubi ait: Fœmineus ſexus vehementibus æſtibus paſſionum abundat, quare quod à paſſione proficiſcitur, à Deo credunt provenire. Præcipuè cavendum à revelationibus fœminarum garrula-

rularum, & earum quæ volunt viris dominari, & ſunt laudis cupidæ, aut cervicoſæ; & præcipuè ſi interior ſpiritualis ſuperbia in illis latitet. Plures alti cedri Libani revelationibus fœminarum ceciderunt, ut Tertullianus. Quantos literatos & pios ſæculares & Eccleſiaſticos traxerat illa Soror Julia Neapolitana, prædicans, ſecum coeuntes, quia erat in ſtatu perfectionis, non peccare! cujus exemplum ſimile prodit D. Thomas Opuſc. 64. ſicut & ſimilis hiſtoria ſucceſſit Florentiæ his annis & alibi in hoc noſtro ſæculo. Quantos deceperit Magdalena de Cruce Cordubenſis ſuis dœmoniacis revelationibus, & Ulyſſipone Maria de annuntiatione, Anna Rodriquez & ſimiles aliæ dicant qui inſpexerunt adhuc viventes. Exemplum aliud prodit de la Torre his temporibus de quadam fœmella, decipiente ſuis falſis viſionibus inſignem virum Litteris & Sanctitatis opinione fulgentem. In regno Peruenſi, inquit, extitit quidam Franciſcus de Cruee, Doctiſſimus Theologus, ac ante, ut videbatur, egregiis virtutum ornatus dotibus. Hic factus familiaris cuidam fœminæ, quæ ſe edoceri ab angelo magna myſteria jactitabat, quæque extra ſe interdum rapiebatur, aut rapi ſimulabat, ſic ei devinctus, ſic credulus, ut de magnis Theologorum quæſtionibus conſilium & deciſionem peteret, prædicans, eam Deo valde charam, & Dei revelationibus plenam. Ac tandem vel credens revelationibus acceptis ab illa ſua prophetiſſa, vel ipſe apparitionibus dœmoniacis illuſus in impia & inſaniſſima dogmata prolapſus eſt. Ajebat ſe Regem futurum, & Pontificem ſummum &c. Simile quid evenit his annis in Urbe Romæ. Presbiter quidam, Barbonius appellatus, eò quod nutriebat barbam longam, à quadam Tertiaria D. Franciſci falſis viſionibus ita ſeductus fuerat, ut crederet & publicaret univerſo orbi cum maxima commotione Procerum Eccleſiæ, Pontificem Urbanùm intra paucos dies moriturum, qui tamen ſupervixit pluribus annis.

Regu-

Digitized by Google

Regula 18. Suavitas interna, quæ ſentitur in revelatione, non eſt omnino certum ſignum, eam eſſe divinam. Ib. Art. 5. *Subdubio.* ſic habet: Guilielmus. Part. 2. de Univerſo C. 142. fatetur, diabolum per ſolam ſuam naturalem præſentiam familiaritatemque, quatenus angelus eſt, jucundiſſimam, excellentiſſimamque conſolationem poſſe infundere, &, ut loquitur, placorem fere inexplicabilem, de quo inexpertus dicere poſſit: Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit.

Regula 19. Etiam in ipſis colloquiis cum Deo habitis ac veris revelationibus poteſt dœmon quandoque immiſcere falſa. Ib. ſic habet: Supponendum eſt, DEum eſſe fidelem, qui non patitur nos tentari ſupra id quod poſſumus, ſed vires confert ad reſiſtendum dœmoni illudenti; ut quantumcunque conetur decipere non tamen faciat illuſum peccare, abſque ſuo libero conſenſu. Licet, notante Medina 1. 2æ. ex documento 2. S. Vincentii, non obſtet, quin Deus quandoque ſaltem in pœnam permittat diabolo facultatem augendi conſolationem & moraliter & per modum illuminantis falſiſſima & periculoſiſſima ſentimenta, ut ipſe loquitur, in anima inprimendo, etiam in colloquiis habitis cum Deo à perſonis quantumcunque recollectis & Dei obſequio mancipatis, quod S. Thomas tremendo exemplo exponens dicta verba Pauli, *Transfigurat ſe* &c. illuſtrat.

Regula 20. Ex probitate vel improbitate vitæ non poteſt ſumi certum argumentum, revelationem eſſe divinam, aut dœmoniacam, aut viciſſim. Ibid. Aliqui, inquit, ſignum aſſignant ad credendum revelanti, divinitus fuiſſe illuſtratum, ſi bonæ vitæ fuerit. Non eſt tamen dubitandum, timoratiſſimis etiam interdum illudere dœmonem,

monem, ſicut ex adverſo nequiſſimis eorum ſuas Deus exhibet revelationes, ut de gratiis gratis datis dictum eſt. Balaam & Cayphas prophetarunt, S. Vincentius in Prælect. Spirit. ſic ait: Non habeas magnam exiſtimationem viſionum, revelationum, & apparitionum. Iſta enim nonnunquam fieri ſolent hominibus ſceleratis.

Regula 21. Non eſt certum ſignum revelationis divinæ, ſi perſona, cui fit, eam intelligat, aut dœmoniacæ, ſi eam non intelligat. Ibid. Certum eſt, inquit, hoc ſignum non eſſe adæquatum, cum quandoque dœmon etiam loquatur cum perfectè penetrantibus ejus manifeſtationes; & quandoque DEus loquatur per non penetrantes.

Regula 22. Revelatio non eſt habenda divina, quando in ea intervenit inordinatio naturæ, vel ſpecies mali. Ibid. Aliam, inquit, aſſignant regulam Chryſoſtomus, & D. Thomas 2. 2. Q. 172. a. 3. C. ſcilicet revelationem non eſſe divinam, ſi malum immiſceatur in facto, vel habeat ſpeciem mali, ut ſi in Ectaſi vel alienatione à ſenſibus aliqua inordinatio naturæ interveniat, ut in furioſis & arreptitiis contingit. Ubi Cajetanus ait: Alienatio in Prophetis non fit cum aliqua inordinatione honeſtatis aut mentis: unde infert, ſi fiat cum vehementi cordis ſaltu, vel cum denudatione pudendorum, non eſt à Spiritu Sancto.

Regula 23. Quando id, quod inſpiratur, vel revelatur, habet rationem mali diſpenſabilis, non eſt univerſim à dœmone. Ibid. Patet in Samſone, & in ſanctis fœminis approbatis ab Eccleſia, quæ ex inſpiratione divina ſe interfecerunt, ut docet S. Thomas 2. 2. Q. 59. a. 3. ad 2. Nequaquam autem revelatio eſt pro dœmoniaca habenda,

Digitized by Google

da, ſi duntaxat præſefert ſtultitiam vel furorem. Sæpe enim DEus præcipit ſuis Prophetis, quæ oculis hominum ſtulta apparebant.

Regula 24. Revelationes concernentes directionem principum longè ſuſpectius habendæ, & ſeverius examinandæ ſunt, quàm aliæ. Ibid. Peculiari, inquit, indagine ſcrutandæ ſunt viſiones ad favorem principum dominantium emanatæ; facile enim credi poſſunt ad aucupandam illorum gratiam & ob proprium intereſſe venditatas. Ideo rigoroſè infraſcriptæ revelationes Regum & Principum interpretandæ ſunt. Patet inprimis hanc deſcriptionem verificari in ea, quam deſcribit Moura §. 41. de Joanne III. Luſitaniæ Rege ex vulgatiſſima fama, præcipuè apud illius tempeſtatis nobiles & Dynaſtas & Auguſtinianos Patres; apparuiſſe videlicet illius animam cuidam ejusdem Ordinis Monacho, nomine F. Ludovico de Moura, quem ita terruit ea viſio, ut ipſe dicebat, ut ad vitæ forſan diſcrimen detulerit. Cui Monacho plura revelavit, ut ſuo nomine Reginæ Catharinæ conjugi renuntiaret, dato prius in veritatis ſignum ſecreto quodam, quod à ſolo utroque conjuge ſciri poterat. Cuncta fere eò reducebantur, ut regni clavum, quem Regina à ſe dimiſerat, omnino aſſumeret: inſuper ut Confeſſarium, cui ipſa peccata fatebatur, dimitteret; idemque faceret Nepos Rex Sebaſtianus puer. Dein retulit, ſe in eo ſtatu eſſe, ut jam fidelium ſuffragiis non indigeret. Commendavit tamen, ut pro fratris ſui & principis Eduardi animabus centum Miſſæ perſolverentur, & ut quinque fœminæ in matrimonium collocarentur &c. &c. Fuit tamen præfatus Monachus examinatus à Regio Conſilio, Jurisque ac Theologiæ peritis, & reprobatus eo præcipuè titulo, quod à dœmone illuſus exiſtimaretur, vel proprio intereſſe ductus. *Paramus de Orig. Inquit. Q.* 10. quandam deſcribit fœminam Tertiariam cujusdam Ordinis, Luſitanam, Sanctam appellatam & communiter exiſtimatam, utpote Epiſtolis etiam à Grego-

rio

Digitized by Google

rio XIII. commendatam: Eo, inquit, hæc religioſa fœmina ſua conſilia dirigebat, ut ſi ad exitum perduceret, fieri non poſſet, quin Hiſpaniam perturbaret; Cum enim ſatis authoritatis & fidei ſimulata ſanctitate ſibi comparaſſet, moliebatur, Luſitanum Regnum, quod in Philippi ſecundi poteſtatem devenerat, in priſtinum ſtatum revocare.

Ad hanc Caſtaldi Regulam pertinet, quod legitur in Vita *P. Ludovici de Ponte*, qui erat Director Mariæ de Eſcobar, Revelationibus claræ. Cum enim hæc ſæpe ab eo peteret, ut aliqua intimaret Regi ratione aulicorum, eò quod diceret, ſibi angelum talia monentem apparuiſſe, nunquam credidit, quamvis aliàs magnam ſuæ vitæ partem in conſcribendis ejus piæ fœminæ revelationibus inſumpſerit.

Regula 25. Examinandum, an revelationes, quæ adſcribuntur Sanctis, veræ ſint, & utrum ab ipſiſmet Sanctis affirmentur eſſe à DEO. Ibid. Sic in antiqua S. Franciſci Ordinis Hiſtoria typis excuſa referebatur, auditum eſſe ex ore S. Franciſci, Regnum Luſitaniæ Caſtello Coronæ & Imperio nunquam conjugendam fore. Quæ prophetia, ubi eventus eam falſam eſſe demonſtravit, coëgit illum Ordinem, ut de novo illam hiſtoriam ederet, abſque revelationis illius mentione.

Regula 26. Etiam à revelationibus ab Eccleſia approbatis licet recedere cum fundamento & ratione. Ibid. Art. 5. Controv. 8. ait: Philippus *Mornæus* progreſſu 59. ait: Gregorius XI. moribundus anno 1370. Cardinalibus conſilium dedit, ne revelationibus amplius præbeant fidem; quandoquidem à Brigitta & Catharina deceptus tam infauſto omine iter aſſumpſerit. Ex dictis patet, plures eſſe veras revelationes ab Eccleſia approbatas quæ tamen approbatio non facit

Digitized by Google

cit eas eſſe de fide, ut ait *Vaſquez.* Tom. 2. in 3. Diſp. 17. C. 6. nec enim Eccleſia eas ut infallibiliter approbat, ſed ad hoc, ut tanquam piè, inquit, & absque ulla ſuperſtitione prudenter à populo recipi poſſint & obſervari. Unde ait Gravina: Eccleſia probabilitatem earum proponit, & nihil in contrarium inventum fuiſſe: liberum eſt tamen, illis non ſtare. Sicut & dum tot Pontifices Doctrinam D. Thomæ approbarunt, non illam ad fidem ſpectare decreverunt; aliàs nullus poſſet illi adverſari. Id declarant mirificè Salmanticenſes, Biescas, de S. Thoma, Nazarius, Gravina, Arauxo, & alii plures in Apologiis doctrinæ divini Magiſtri. Quod autem peccatum committat, qui revelationes particulares prætatas à Sede Apoſtolica approbatas non recipit, aut ab illis diſſentit, non eſt manifeſtum apud omnes. Henricus de Haſſia in Geneſin, & Sybille Decade 1. Q. 3. nullum credunt committi peccatum; immo talibus revelationibus nullam fidem adhibendam, neque pro veris acceptandas eſſe indubitanter, ſed nec eſſe ullum præceptum Eccleſiaſticum illis credendi. Contrarium tenet Delrius & Arauxo; etſi namque nullum præceptum imponatur ab Eccleſia; adeſt tamen divinum & naturale præceptis, illis tanta diligentia ſemel adhibita à Sede Apoſtolica approbatis non diſſentiendi; aliàs impudenter & temerè agit, qui illas pro ſuo arbitrio absque alio fundamento rejicit; temeritas quippe vitium eſt. Hucusque Caſtaldus. Quæ tamen ex Mornæo refert de Gregorio XI, non ſunt liquida, ut annotatur à Roncaglia in Notis ad Hiſt. Eccleſ. P. Natalis Alexandri, eò quod S. Catharina à Gregorio XI. fuerit æſtimata usque ad ejus obitum. Vide etiam Part. 2. N. 4. de illuſionum illuſtrium exemplis ex Gerſone.

CAP. IX.

Regulæ Joannis Rusbrochii Can. Reg.

R*Egula* 1. Non eſt credendum revelationibus earum perſonarum, quæ ſemper tantùm experiuntur revelationes ac viſiones ſub ſpeciebus rerum ſenſibilium, niſi inquantum eæ revelationes continent veritates aliunde certas. *De Ornatu Spirit. Nupt.* L. 2. C. 25. ſic habet: Sub hoc amoris æſtu nonnulli interdum ſupra ſenſus in Spiritum rapiuntur; & vel dicitur eis verbis; vel ſub formis, & ſimilitudinibus proponitur eis aliqua veritas ſive pro ipſorum aut aliorum neceſſitate. Iſta revelationes aut viſiones dici ſolent; quæ ſi ſub corporeis fiant ſimulacris & imaginibus, in phantaſia recipiuntur. Et hæc interim Angelici Spiritus virtute Dei in hominibus efficiunt. Sin autem ſub intellectili veritate, aut ſpiritalibus, iisdemque, ut ſic dicam, incomprehenſibilibus fiant ſimilitudinibus, quibus DEUS modo quodam incomprehenſibili ſe oſtendat, intellectu ſuſcipiuntur. - Quosdam invenire licet, quibus incidant multa, aut inſpirentur, quique opinentur multa, & mira ſomnient, tametſi ſemper foris hæreant in ſenſibus. At iſti amoris æſtum ignorant, quandoquidem multiplices ſunt. Poſſunt hæc & ex natura ipſa accidere, vel bonorum, vel malorum ſpirituum opera. Quatenus igitur cum Scriptis divinis & veritate conſentiunt, eatenus fidem commodare illis licet; quod ſi quis præter ea aliunde certa quippiam eis tribuere velit, facile is poterit in errorem induci.

Regula

Regula 2. Perſonæ verè illuminatæ nullas aut raras ſolent habere viſiones, raptus, ac revelationes. Ibid. C. 37. & 38. ſic habet: Primus hujus gratiæ rivus pura quædam ac mera ſimplicitas eſt. Hic vires omnes animæ tam infimas quàm ſupremas ſupra omnem multiplicitatem evehens quandam in homine ſimplicitatem efficit. Hinc memoria à peregrinis & extraneis cogitationibus, & ab inſtabilitate fit libera, & ſupra omnes ſenſibilium imaginum incidentes ſpecies in quandam defigitur unitatem; in eandemque unitatem tum naturalis tum ſupernaturalis perpetua illi manet propenſio. Alter rivus ſpiritualis quædam claritas eſt, intellectum illuſtrans, adeo ut in cunctis virtutibus veram præſtet ac indicet diſcretionem. At verò lux iſta non eſt ſita in noſtra poteſtate, ſed DEus eam dat, quibus vult, & quibus volet horis & temporibus. Hiſce hominibus, ex luce fruentibus, nulla eſt revelatio neceſſaria, neque ſupra ſenſus rapi opus habent; quandoquidem vita, converſatio, & habitatio eorum ſupra ſenſus & portionem ſenſitivam in ſpiritu agitur, ubi DEus, quidquid illi placet, & vel eis vel aliis neceſſarium eſt, eis manifeſto revelat. Quanquam ſi vellet, poſſet utique Deus à ſenſibus externis abſtractis intus eis diverſis modis raras quasdam ſimilitudines ac ſpecies & futura oſtendere ac manifeſtare. Idem *in ſpeculo æternæ Salutis* C. 10. ait: Nunc communicantium diverſitatem explicare conabor. Primum genus ſunt homines ex natura molli corde; quos cum divina tangit gratia, affectus eorum & deſiderium humanitatis Chriſti amore adeo incaleſcit & permovetur, ut implacabili erga Venerabile Sacramentum deſiderio teneantur, ita ut quandoque amentes ſe fieri putent, ſi non liceat SS. Sacramentum percipere. Hujusmodi viri rari ſunt, & ut plurimùm fœminæ aut virgines ſunt; quandoquidem mulierum mollior eſt natura, & in ſpiritu necdum ſunt ſublevati ac illuminati; unde & exercitatio eorum ſenſualis eſt & appetitiva, & Domini JESU humanitate in phantaſia prorſus depicta nondum intelligere

Digitized by Google

queunt, quomodo JESUS in ſpiritu absque Sacramento ſuſcipi poſſit.

CAP. X.

Regulæ B. Henrici ab Vrimaria Ord. Erem. S. Aug.

In ſuo L. De Spiritibus eorumque Diſcretione. Impreſſo Antverpiæ 1652. tradit ſequentes regulas.

R*Egula* 1. C. 2. Inſtinctus divinus quadruplici ſigno cognoſcitur. 1. Si ad exemplum Chriſti & Sanctorum invitet. 2. Si invitet ad humilitatem. 3. Si ab exterioribus ad interiora mentem colligat, eamque ad unionem cum DEO diſponat. 4. Si animam majore fructuum opulentia reficiat & compleât.

Regula 2. C. 3. Inſtinctus angelici quatuor ſigna ſunt. 1. Inſtinctus angelicus initio conturbat, in fine conſolationem adfert. 2. Angelus bonus initio abſcondit ſe, in fine verò ſe oſtendit & prodit. 3. Inſtinctus angelicus ſemper invitat ad bona & utilia. 4. Angelicus inſtinctus excitat bonam voluntatem incipientium ad peccati deteſtationem; proficientium ad fervorem internæ devotionis; perfectorum verò ad internæ dulcedinis prægustationem.

Regula 3. C. 4. Inſtinctus diabolicus ſemper inſtigat ad id, quod reipſa exemplis Chriſti & vitæ Sanctorum eſt contrarium; etiamſi quandoque id non videatur in apparentia. 2. Id ad quod diabolus homi-

hominem inſtigat, elevat hominem ad tumorem mentis. 3. Id ad quod diabolus inſtigat, à corde proprio magis abſtrahit & elongat. 4. Id ad quod diabolus inſtigat, hominem in virtutibus magis extenuat, donisque Dei gratuitis quaſi exuit, atque ad creaturas & terram abjicit. 5. Diabolus initio conſolatur, & delectat, poſtea verò affligit & cruciat. 6. In principio affert ſecuritatem, in fine diffidentiam & dubietatem, ac perplexitatem. 7. Bonam voluntatem & charitatem extinguere nititur.

Regula 4. c. 6. **Inſtinctus naturalis triplici ſigno agnoſci poteſt.** 1. Inſtinctus naturæ mentem in ſcientia proficere volentem per multa phantasmata diſtrahit; inſtinctus autem gratiæ eam cum Deo unit. 2. Inſtinctus naturalis inflat, divinus verò humiliat. 3. Ille minuit divinæ dilectionis fervorem; iſte auget. 4. Inſtinctus naturæ impedit hominem à conſecutione donorum gratuitorum internorum, quæ tria ſunt. Primum ut homo beneficia divina ſibi jugiter conceſſa meditetur. Secundum, ut in virtuoſis exercitiis dulciter delectetur. Tertium, ut in mentalibus delitiis divinæ contemplationis & intimæ unionis delectabiliter voluptetur. 5. Inſtinctus naturæ impugnat exercitationem virtutum etiam quoad exercitia exteriora. Ea in tribus conſiſtit. Primò in ferventi deſiderio exercendi omne bonum virtutum, quod Deus dederit. Secundò in ſui dejectione, qua putat, ſe nihil adhuc adeptum eorum, quæ adipiſcenda reſtant. Tertiò in ferventi deſiderio ferendi omne malum quod Deus immiſerit.

CAP. XI.

Regulæ P. Henrici de Haſſia Ord. Erem. S. Aug.

In L. de Diſcretione Spirituum. Impreſſo Antverpiæ 1651. tradit ſequentes regulas.

R*Egula* 1. Large ſumpto revelationis vocabulo omnis manifeſtatio veri, quæ fit homini vel ex creaturis vel ex ſcripturis, revelatio DEI & ejus allocutio dici poteſt. Loquor autem hìc de immediata ſupernaturali revelatione divina, reſpectu cujus ſe habet mens humana ſolùm paſſivè, qua DEus quandoque præter ea, quæ ſecundum communem curſum naturalem & ſupernaturalem manifeſtavit, ſpecialiter aliquos informat & dirigit. V. C. 10.

Regula 2. Ad diſtinguendum Spiritum DEI à Spiritu erroris rimanda eſt varietas originis interiorum motionum & impulſionum noſtrarum ſecundum carnem & Spiritum. Poſſunt enim provenire primò ex paſſionibus, quia timor v. g. facit crebrò in cogitationem venire id, de quo timetur. Secundò exceſſus alicujus humoris, vel melancholiæ; nam bona vel mala diſpoſitio cerebri, aut ſpirituum animalium vertit occulto motu cogitationem improvisè ad hæc vel illa objecta. - Quartò ex multitudine & varietate phantaſmatum ſeu ſpecierum objectabilium longo tempore collectarum in aliquibus melancholicis tenacis & vagæ memoriæ multoties ſubito & velociſſime poſt agitationem phantaſiæ eorum

eorum per diuturnam cogitationem aut ſollicitam indagationem alicujus oriuntur, & occurrunt multa mirabilia imperceptibili velocitate tanquam ab aliquo ſpiritu eis immittantur, ut ſunt parabolæ, hiſtoriæ, vel paſſus Sripturæ Sacræ, in qua phantaſia laborat. Item hominibus ſpeciebus plenam habentibus phantaſiam multa occurrunt ex improviſo per accidens & caſualiter. Volentibus enim intendere & cogitare de re aliqua, propter ordinem & connexionem phantaſmatum, occurrunt aliqua ſæpe extranea imperceptibili velocitate, quaſi aliunde inducantur cogitativæ noſtræ. v. g. à ſimili volenti ire Romam occurrit quandoque caſualiter aliquis homo vel aliud, de cujus occurſu miratur, vel aliquid ei accidit, de quo non crediđiſſet. Sic ſuo modo poſſunt accidere caſuales occurſus phantaſiæ hominis ſolliciti, & circa certam materiam intenti. V. C. 2.

Regula 3. Non eſt facile credendum revelationi vel inſpirationi, etiamſi occurrat ex improviſo, quando homo per contemplationem eſt circa aliam materiam intentus. Patet ex dictis V. C. 2. ubi author addit: Quare qui talibus leviter credit, videtur eſſe quaſi vanè cupidus ſupernaturalium revelationum & miraculoſarum circa ſe motionum.

Regula 4. Non eſt credendum, revelationes vel inſpirationes eſſe divinas, etiamſi occurrant poſt devotionem, quando verſantur circa objecta quorum cognitio aliter haberi poteſt, quàm ex Revelatione, aut quæ non eſt neceſſaria. C. 4. ſic habet: Aliqui conſiderantes, quomodo abſtineant, abſtractè, devotèque præ aliis vivant, efficiuntur duræ cervicis, & immobiles in conceptibus ſuis, & credunt, quod propter vitam ſuam in omnibus Dei inſpirationem habeant, nec permittantur errare.

Alii

Alii afficiuntur importunè revelationibus & miraculis & hic eſt quidam modus tentandi Deum. Alii tam volunt, quàm credunt ſe rapi in Deum, ut in factis ſuis omittant viam & modum procedendi humanum; & illi negligunt proceſſum humanitus habendæ & exercendæ prudentiæ; & illos ſæpe Deus propter indiſcretionem derelinquit. Item alii credunt, quod quidquid eis poſt devotionem incidit vel occurrit v. g. poſt contemplationem vel Euchariſtiam, ſit ſpecialis Dei revelatio. - Judicet itaque quilibet ex præmiſſis, ſi ſecurum ſit, credere, quod quidquid homini poſt orationem & habitam ad Deum devotionem etiam cum lachrimis occurrit circa negotium de quo ſolicitus fuit, ſit ſupernaturalis revelatio. Stat enim, quod homo humano conſilio & proceſſu ſi his quæ hactenus revelata ſunt, & manifeſtata, bene uti velit, inveniet quod ſibi magis expedit. Præſumptuoſus ergo eſt. Et tentare Deum videtur, qui in omni caſu vult ſupernaturaliter à Deo erudiri in agendis & cognoſcendis. Deus enim, ut Auguſtinus ſentit, ſic res adminiſtrat, ut eis proprios motus ſecundum hactenus indita & tradita habere ſinat; usquequo non poſſunt amplius, & tunc deſuper concurrit, & ulterius dirigit, &, ni fallor, hoc ipſum perfectionem explicat creatoris. v. g. ad excellentiæ perfectionem creati artificis eſt, ſi opus taliter fecerit, quod diu beneque currere poſſit, ex primaria ejus inſtitutione, vel ſequente ejus reformatione. Ideoque artifex, v. g. horologii quamdiu opus ſuum bene currit, non apponit manum. Ita videtur imaginandum de primo artifice quod inſtituerit à principio univerſum dando potentias & modos agendi, & ſe conſervandi. At poſtquam contabuit, & nimis exorbitavit, iterum reformavit dando legem Moyſi; ac dein per Chriſtum. Quamdiu ergo homo poteſt ſe juvare in agendis & cognoſcendis ex his quæ Deus manifeſtavit, & ex viribus naturalibus & doctrinis &c. non eſt juſtum, Deum miraculosè & noviter apponere manum dirigendo per novas revelationes vel miraculorum operationes.

CAP.

Digitized by Google

CAP. XII.

Regulæ P. Ludovici de Leone Ordinis Eremitarum S. Auguſtini.

Hic celebris author, qui ſuo tempore habebatur pro ornamento, luce, ac gloria totius Hiſpaniæ, in Diſſertatione præliminari ad Opera S. Thereſiæ, quæ à Conſilio Regio ipſius examini commiſſa fuerant, tradit ſequentes Regulas ex S. Thereſia.

R*Egula* 1. Revelationes, quæ ſunt à DEO, producunt ſemper in anima multas virtutes tam pro bono eas revelationes recipientis, quàm pro ſalute & utilitate aliorum.

Regula 2. Vita chriſtiana non debet unquam in ullo homine dirigi ex revelationibus. Regula enim vitæ & doctrinæ Chriſtianæ eſt Sancta Eccleſia, & illud, quod vel Deus revelavit in ſuis libris, vel quod dictat ſana & vera ratio.

Regula 3. Perfectio animæ non conſiſtit in revelationibus; neque illæ ſunt certum ſignum interioris gratiæ in recipiente revelationes. Neque huic Regulæ obſtat, quod S. Thereſia, ubi tractat de altioribus gradibus orationis, & in multis aliis locis ſoleat dicere, quod anima ſtet ex parte Dei, quod ambo ſe intelligant, & quod tales animæ certæ ſint, Deum cum illis loqui; & ſimilia. Hic enim modus loquendi non debet ſic intelligi, quaſi admittat certitudinem de gra-

tia in iis, qui occupantur hujusmodi exercitiis, aut in aliis quantumcunque ſanctis; niſi eam certitudinem habeant ex revelatione particulari. Ratio eſt, quia ipſa S. Thereſia de ſe ipſa ſcribit: Id, quod me torquet, Domine, eſt, quod non certò ſciam, utrum amem te, & utrum deſideria mea ſint accepta in conſpectu tuo. Et in alio loco: O me infelicem, Deus meus! quomodo potero ſcire, quod non ſim ſeparata à te? O vitam meam infelicem, in qua neceſſum eſt vivere cum tanta incertitudine in re tanti momenti. Et in libro de Manſionibus loquendo de animabus jam ingreſſis in manſionem ſeptimam, unam ex perfectioribus dicit: De peccatis mortalibus, quantum ſciunt, ſunt liberæ; non tamen ſecuræ; quia forſan aliqua habent, quæ non agnoſcunt; quod ipſum ipſis non leve tormentum eſt. Adeoque S. Thereſia per illum modum loquendi ſolùm vult dicere, quod & verum eſt, nempe hujusmodi animas in ejusmodi exercitiis occupatas ſentire præſentem Deum per effectus, quos in iis producit, nempe quod eas aſſuaviet, quodque eas illuminet, & iis conferat monita, ac oblectationem; quæ quamvis ſint magnæ gratiæ divinæ, ac ſæpe conjunctæ ſint cum gratia juſtificante, aut ad eam ducant, non tamen ſemper cum ea conjunctæ ſunt. Id manifeſtò probatur ex dono Prophetiæ, quod reperiri poteſt etiam in eo, qui conſtitutus eſt in peccato mortali. Is certus eſt, Deum ſecum loqui, & ſibi dare monita, quamvis certus non ſit, an ſe juſtificet. Poteſt eſſe, quod S. Thereſia, poſtquam præfata ſcripſerat, acceperit de ſua gratia particularem revelationem, id tamen pro certo affirmari non poteſt.

CAP.

CAP. XIII.

Regulæ R. P. F. Bartholomæi Sybille. Ordinis Prædicatorum, Theologiæ Profeſſoris.

In opere ſuo, quod intitulatur; *Speculum peregrinarum quæſtionum*, quodque impreſſum eſt Romæ 1493, & dedicatum Alfonſo de Arragonia, Duci Calabriæ, Decade 1. C. 8. Quæſt. 1. 2. 3. 4. 5. & Decade 3. C. 8. Quæſt. 4. & 5. tradit ſequentes Regulas, ex variis authoribus, quos citat, deſumptas.

R*Egula* 1. Ectaſis & raptus aliquando cauſantur ex cauſis naturalibus. Decade 1. C. 8. Q. 1. QQ. 2. ubi ſic ſcribit: Cum in extaſibus ſopiantur vires inferiores, & anima ſæpe adminiſtrationem corporis ſuſpendat, ſciendum eſt, quod in homine eſt trium virium naturalis ordo & ad invicem connexio, ſcilicet virtutis naturalis, animalis ſive ſenſitivæ, & intellectualis. Et de communi curſu virtus naturalis ſervit animali; & animalis ſive ſenſualis ſervit virtuti intellectuali. Nam videmus, quod virtus naturalis indiget in ſuis operationibus calore & ſpiritibus, quæ à corde originaliter procedunt, & diffunduntur per omnia organa ſenſuum. Et manifeſtum eſt etiam, quod illis organis interius & exterius magis laborantibus natura ibi de illis magis diffundit; & ſic uno modo contingit, illa organa in exceſſu actuationis virtutis ſenſitivæ diſtraſiari vel diſcrepari. Et iterum ſpiritus naturales, quibus indiget virtus digeſtiva, exterminantur vel deficiunt propter multitudinem generationum ſpirituum ſenſitivorum. Ex quo patet, quod ve-

 hemens

hemens & fixa & profunda actuatio virtutis ſenſitivæ interioris ſopire poteſt ſenſus exteriores, & ſimiliter debilitare vires naturales propter illarum virium connexionem. Ex hoc primo ſequitur ſecundùm, ſcilicet, quod omnis vehemens intellectualis ſpirituum contemplatio, in qua phantaſia vel interior ſenſitiva exceſſivè laborat, naturales vires enervat, & ſoporat ſenſus exteriores, & ſæpe inducit ectaſin vel raptum. Hæc Henricus de Haſſia ſuper Geneſin.

Regula 2. In mulieribus dantur diſpoſitiones ad Ectaſes & raptus naturales. Ibid. QQ. 5. ubi ait: Ad quæſtionem, quare mulieribus ſæpius fiant revelationes, quàm viris, reſpondetur; quod de hoc à philoſophis triplex cauſa ſolet aſſignari. Prima accipitur ex qualitate complexionis; quia mulieres naturaliter multum habent de humido. Humidum autem, cum incæptum eſt moveri, non ceſſat, quouſque attingat ad id, quod intendebat. Ex quo contingit, mulieres diutius ſtare in ſuis cogitationibus & imaginationibus, quam viri. Unde vir citius digerit ſuas conceptiones vel imaginationes, quare minus apparent eis mirabilia. Et quia humidum etiam, quod ut dictum eſt, in mulieribus abundat, eſt bene receptivum figurarum, & diverſas etiam figuras accipit. Exinde eſt, quod ipſis mulieribus apparent plura mirabilia & diverſa ſomniando. Secunda cauſa accipitur ex defectu rationis. Nam mulieres, ut dicitur in Politicis, habent ratiocinativum invalidum, unde minimè vigent ratione, & diſcretione in comparatione ad viros. Propter quod ſi veniant mulieribus aliquæ phantaſticæ apparitiones, & viſiones mirabiles, minus eſt ratio contradicens, quàm in viris. Tertia cauſa ſumitur ex abundantia paſſionis. Nam ſicut dicit Philoſophus in libro de Somno & Vigilia, illi qui ſunt in paſſionibus, ad modicam ſimilitudinem moventur, & credunt verum eſſe, quod apparet. Unde quia in mulieribus abundant paſſiones, ideo ſtatim

ad

Digitized by Google

ad modicam ſimilitudinem vel ſpeciem credunt ei, quod ſibi apparet. Hæc ex Joanne de S. Gemniano.

Regula 3. Prophetiæ & revelationes vaticinantium & quandoque raptarum mulierum Chriſto verè devotarum ut puta Brigidæ ſeu Brigittæ, Catharinæ de Senis, & ſimilium, nec debent haberi pro indubitanter veris, nec tanquam à Spiritu Sancto editæ acceptandæ ſunt vel prædicandæ. Tum quia ſimilia fieri poſſunt ex induſtria humana exercitata, & lumine fidei confortata. Tum quia nihil prohibet illas quandoque fuiſſe illuſas, eo quod forte non ſine culpa præſumpſerunt illa facere, quæ ad eas non pertinuerunt. Docere enim vel prædicare mulieribus juxta Apoſtolum non permittitur. Tum quia eas nonnunquam potuit fallere phantaſia nimis fatigata. Tum quia, ſi libri earum bene conſiderentur, occurrunt ex dictis & modis dicendi aliqua minus ſapida, minus rationabilia; aut veritati diſſona. Tum quia prophetiæ earum ſupervacuæ videntur & doctrinæ. Cùm authenticè ex ſacris Scripturis & Sanctis Doctoribus habeatur, quidquid de talibus eſt ſaluti neceſſarium. Tum quia ſtat, aliquem eſſe valde ſanctum, & tamen omnem doctrinam ejus eſſe ex ſpiritu humano. Tum quia non conſtat, eas miſſas eſſe ad docendum vel prædicandum à Deo. Nam ſi Deus voluiſſet uti earum officio in docendo, & prophetando, utique ſanctioribus mulieribus in hoc uſus fuiſſet, ut ſancta Eliſabeth, & ſimilibus; quas conſtat, nihil talium attentaſſe, ſed ſolùm ſtuduiſſe perfectioni virtutum, nihil ſe intromittentes de impertinentibus earum ſtatibus. Potuit tamen eſſe, quod Deus ad ſuplendam negligentiam Ordinariorum, & ad ipſorum majorem confuſionem ſuſcitaverit quandoque & ſuſcitet quaſdam mulierculas tanquam doctrices, & prophetas, ſicut etiam apparet in vatibus utriusque ſexûs in populo Hebræorum, ut ſic propter novitatem

tatem & raritatem mulierum doctrinæ legantur ab iis, qui divinos libros, & divinas ſcripturas legere neglexerunt, & cupiunt doctrinarum novitatibus auribus pruriri & converti ad Fabulas Poëtarum. Sicut etiam propter negligentiam Judicum Iſrael ſuſcitavit Deus Spiritum pueri junioris Daniel, ne ſanguis innocens Suſannæ effunderetur. Hæc Henricus de Haſſia ſuper Geneſin.

CAP. XIV.

Regulæ ex P. Petro Thyræo S. J.

R*Egula* 1. Somnia non eſſe divina ex ſeptem indiciis cognoſci poteſt. 1. Ex rerum, quæ ſomniantibus occurrunt, perturbatione, dum videlicet res variæ nullo ordine ſibi invicem ſuccedunt; dum ſubito oriuntur non apparente cauſa vel diſpoſitione, & ſubito evaneſcunt, aut in res alias commutantur. Hæc ſubitanea rerum permutatio ſignum eſt, quod ſequantur commotionem ſpirituum ſine ordine vagantium. 2. Ex falſitate. 3. Ex rerum levitate. Nulla enim in Deo datur ſufficiens ratio, nos de minimis rebus, ad ſalutem impertinentibus, edocere per ſomnia. 4. Ex malitia, ad quam inducunt. 5. Ex rerum inutilitate. Quando res oſtenſæ non ſerviunt ad aliquam utilitatem, niſi forte ad curioſam ſcientiæ oſtentationem. 6. Ex earum ſuperfluitate, puta quando oſtenduntur res, de quibus nullum poteſt haberi dubium. 7. Ex ſomniantium impietate, v. g. dum per ſomnia ſuperſtitioſè cupiunt edoceri. Ita Thyræus de Apparitionibus L. 3. C. 13.

Regulæ

Regula 2. Quod ſomnia ſint à DEO, ex his indiciis cognoſci poteſt. 1. Ex rerum conditione, utpote talium, quæ à ſolo Deo ſciri poſſunt; quales ſunt futura contingentia, arcana cordium, alta fidei myſteria. 2. Ex interiori motione, puta ex ſingulari mentis illuminatione & commotione, qua Deus ſic mentem illuminat & afficit, ut perſpicuè agnoſcat, authorem ſomnii eſſe Deum, nec ea de re ullatenus dubitare poſſit. Ita Thyræus L. CC. C. 14. Sed notitia de futuris contingentibus, & de arcanis cordium eſt ſignum incertum, ut patet ex Regulis à S. Auguſtino ſupra traditis.

Regula 3. Non eſt ſignum certum revelationis divinæ 1. Forma apparentis. 2. Nec majeſtas rerum gravium, quæ revelantur; quia etiam dœmones de altiſſimis myſteriis religionis poſſunt inſtituere ſermonem. 3. Nec finis bonus. Quia etiam à dœmone poteſt res ſub ſpecie boni proponi. 4. Nec conteſtatio illius, qui apparet, aſſeverantis, ſe eſſe Deum. 5. Nec modus aliquis ſpecialis, quo in animo afficiuntur, qui accipiunt revelationem; cum non appareat, cur dœmon illum ſpecialem modum in animo non poſſit procurare. 6. Nec rerum eventus, quia dœmon poteſt hominum mentibus aliqua ſuggerere, quæ ille ipſe ſua vi eſt effecturus. 7. Nec ſanctitas loci, in quo fit. 8. Nec ſpecierum nunquam antea habitarum, aut luminis novitas. 9. Nec ſingularis animi præparatio. Idem L. CC. L. 4. C. 16.

Regula 4. Indicia revelationis divinæ ſunt 1. Excitatio ſpecialis animi. 2. Sapor ſpecialis. 3. Illuminatio ſpecialis, quæ non ſolùm manifeſtat clarè rei revelatæ intelligentiam ſed & ipſum loquentem, ſicut vox loquentis utrumque manifeſtat. Priora duo indicia non concurrunt in omni revelatione, maximè publicam ad utilitatem facta; tertium autem melius eſt, maxi-

maxime ſi concurrant dictorum majeſtas, æquitas, altitudo, eventus, & ſimilia. Idem L. CC.

Regula 5. Certa indicia revelationis divinæ non ſunt 1. Eventus prædicti rerum, quæ etiam ab alio quàm ſolo Deo ſciri poſſunt. 2. Miracula præcedentia revelationem. Idem L. CC.

Regula 6. Revelationes merentur fidem, ſi ii, de quibus conſtat, eſſe prophetas, conſtanter aſſerunt, ſe habere revelationem. Idem etiam in aliis perſonis tenendum, ſi conſtantes ſint in ſua aſſertione, ſi inſuper revelationes non contineant vana, curioſa, atque ad rem parùm pertinentia, ſed talia, quæ faciunt ad Dei gloriam, aut proximorum ſalutem, commodumque ſpirituale; atque inſuper ea ſit vitæ conditio, quæ ſequentibus notis deſignatur. Idem L. CC. C. 19. & 20.

Regula 7. Ad hoc, ut fide dignus ſit, qui affirmat ſibi factam eſſe revelationem, requiritur.

1. Ut ſit unius Dei cultor.

2. Catholicus.

3. Conſiderandi *mores & vita*, ſi fidei, quam profitetur, rectè conveniant. Si ſuperbia ſoleat efferri; ſi voluptate detineri; ſi avaritiæ & cupiditati hujus mundi deditus ſit. Sciſcitandi amici, interrogandi familiares. Obſervanda vita diligentiſſimè quantum datur & licet. Nam tametſi mali homines veris revelationibus aliquando illuminentur à Deo, ut in Balaam & aliis vidimus v. g. Pharaone, Nabuchodonoſore, raró tamen id evenit, ſed fere ſemper vel in doctrina vel in moribus falſitas & error immiſcetur.

4. *In-*

4. ***Ingenium & judicium*** talis perſonæ diligentiſſimè penſandum eſt ex aliis muneribus, quæ forte obierit; ſi recti judicii fuerit, ſi prudenter ſe habuerit; nam qui nimis avidus, minusque conſideratus in aliqua re fuerit, verendum, ne ita in rebus, quæ ad intellectum, & ad divina pertinent, ruat, & ex imprudentia lapſus offendat.

5. Æſtimanda quoque eſt *corporis temperamentum, ſanitas, ſtudium.* Cum & ægroti multi, & ipſi phrenetici ob intenſionem animi nimiam exorbitantes vidiſſe quandoque ſe putant, & audiviſſe, quæ nunquam aut oculis aut auribus perceperunt. Igitur & quo feratur animi ejus impetus, & ardentine amore vel odio incitatus fuerit, percontandum eſt. Siquidem in his, qui novitio quodam fervore Deo famulantur, ob fixas imagines rerum, quibus meditandis ad pietatem excitari cupiunt, vana pro veris oſtendi poſſunt, & à dœmone, & à ſeipſis, potiſſimè, cum præter Magiſtrorum dogmata aliquid faciunt, ſinente Deo, & permittente, ut in poſterum cautiores evadant.

6. In ſomno potiſſimum periculum eſt, ne his viſionibus decipiamur.

7. Perſcrutandum eſt, qua de cauſa quis ſuas revelationes patefaciat, levitate an utilitate; & hac ſpirituali vel temporali; ſua an aliorum, an utrorumque magis moveatur. Quod ſi finis bonus videbitur prima fronte, non ob id tamen pes figendus eſt, ſed de finibus ipſis habenda eſt quæſtio; cum non ſolum apertum & proximum, ſed occultum & longinquum inſpiciendum ſit diligentiſſimè.

8. Inſpiciendum, an qui patitur viſiones, ſit *nigro humore affectus,* id eſt *melancolico,* vel *nimia macie confectus.* Nam qui cholera nigra laborant, & qui ſenio, aut nimia macie confecti ſunt, ſæpenumero decipiuntur. Et hinc eſt, quod ſenes ad extremam decrepitam delirant. De his ergo ſupradictis, ne delirent, maxime formidandum eſt.

9. Attendamus converſationem ejus, qui videt viſiones. Si communis, ſi privata, ſi ſecreta, ſi publica; ſi in activa, ſi in contemplativa vita degit; ſi veſtimentis affectatis utatur. Signum autem humilitatis inaffectatæ eſt converſatio communis.

10. Videndum, ſi maſculus, ſi fœmina? ſi vaga, ſi garrula, ſi ſtabilis, ſi quieta, nam in pace factus eſt locus Dei, cujus ſpiritus, ut docent ſacræ Litteræ, non quieſcit, niſi ſuper quietum, & humilem, & trementem verba illius.

11. Cognoſcuntur hac ratione non difficile, qui vanis viſionibus ludificantur, ſi aliorum ſpernunt conſilia, ſi de quibuscunque erudiri ſe à Deo per revelationes præſumunt. Nam & Moyſes crebris Dei alloquiis aſſuetus, quamvis de minutis etiam rebus ad populi gubernationem ſpectantibus, ſupernis illuſtrationibus clarebat, Jetro viri alienigenæ conſilium ſumpſit. Sic Paulus, qui ad tertium usque cœlum raptus fuerat, humana ope, humano etiam conſilio quandoque uſus eſt.

12. Cognoſcuntur viſiones à falſis ex fructibus ſubſecutis. Præcipuum autem fructum ejus, qui patitur divinas viſiones, ego exiſtimo eſſe veritatem non fucatam, non adulteratam, ſed puram ac nitidam, quam altiſſima gignat humilitas, quæ non meretur illudi, quæ non elata, non pertinax eſt, non inquieta, non garrula, non auri aut honoris ſitibunda, neque omnino ſapiens in oculis ſuis, ratione, authoritate bonorum, doctorumque virorum utens.

13. Perpendendum eſt diligenter, ſi, qui videt viſiones, cum tribulationibus vexatur, aut libenter eas patitur, aut certè deſperatus non furit. Vult enim Auguſtinus, ut adverſitates amare non jubeamur, ſed tolerare. Hoc pacto ſi aliis Prophetis conformes ſint, dignoſcitur; quorum alii odio habiti & vexati, alii injuriis affecti vel trucidati.

14. Præ-

Digitized by Google

14. Prænoſcendum, an verax eſt, qui iſtas apparitiones de ſe narrat. Nam qui delectatur mendaciis, non Chriſto ſed Diabolo conformatur. Quare ſi mendax eſt, quæcunque dicit, aut falſa, aut de falſitate ſuſpecta habeantur, præſertim ſi fœmina ſit, quæ ratione minus pollet, ut Ariſtoteles aſſerit in Politicis; quamobrem minus apta ad diſcernendum. Sed & humidioris naturæ cum ſit, fluunt rerum ſpecies celerius. Anxiæ præterea fœminæ, & voti cupidæ plerumque ſunt. Sunt præterea phantaſiæ imbecillioris, cujus fatigatione facile decipi poſſunt. Quæ omnia in genere illis tribuuntur, tametſi aliquæ viris plurimis prudentia & judicio quandoque præſtent.

15. Illud etiam videndum, ſi ille qui viſiones habet, aliquando deceptus fuerit, tentatus à dœmone transfigurante ſe in angelum lucis. Nam talis nullam fidem meretur.

16. Percontandum etiam eſt, ſi dum viſis exceptus eſt, ad divinorum amorem & terrenorum contemptum excitetur; ſi pacem animi, & quietem nanciſcitur. Divini Spiritus proprietas eſt, ut à terrenis avocet animum, & ad cœleſtia, æternaque incendat, pace & quiete perfundat, quam mundus dare non poteſt.

C A P. XV.

Regulæ ex S. Thereſia Ord. Carmel.

REgula 1. Ectaſis eſt alienatio animi à ſenſibus, ſeu abreptio animæ à corpore inſtar repentinæ mortis ita tamen, ut in potentiis animæ regulariter non impediatur earum operatio propria interna, puta, in phantaſia, memoria, & intellectu. Has Ectaſes S. Thereſia deſcribens in ſua Vita C. 20. ait: Sicut à nubibus attrahuntur vapores terræ, ſic Deus attrahit & elevat ad ſe animam in cœlum, ubi illi oſtendit divitias ſuas. In Ectaſi anima ſe habet, quaſi non animaret corpus; nam experientia docet, quod tunc naturalis calor deficiat, & ſenſim frigeſcat, quamvis idipſum non ſit ſine dulcedinis ſenſu & voluptate. Raptui non poteſt reſiſti; ſæpe anima repente ſine ulla ſua præparatione aut cooperatione à Deo tanquam ab Aquila in ſublime abripitur, ignara quo feratur. Hinc exoritur metus, mixtus dulcedine. Requiritur proin generoſus animus, ultrò ſequendi ſui raptoris ductum, quem, etiamſi nolit, nitaturque in adverſum, nequit impedire. Sæpe conniſa ſum raptui reſiſtere timore hominum, in quorum præſentia fiebat, aut metu deceptionis. Interdum prævalui, ſed cum magna debilitatione virium, tanquam cum forti gigante luctata eſſem. Aliis autem vicibus prævalere non potui. Communiter cum anima ſimul trahebatur ſurſum caput; immo interdum è terra elevebatur totum corpus, quamvis id rarò contigerit. Semel cum Deus inciperet me ſic attrahere in aliorum præſentia, me poſtravi in terram

Digitized by Google

ram, ne adverteretur, quamvis & tunc id præſentes adverterint. Exinde rogavi Dominum, ne ita ſenſibiliter eam mihi conferret gratiam, quod & hucusque obtinui. Quando volebam reſiſtere videbatur mihi, vim quandam ingentem ſub pedibus meis ſe inſinuare, ac elevare me. Ab initio magnus me ſubiit timor, dum ſenſi ſic elevari meum corpus à terra; quamvis enim ſuave ſit ſic rapi, non tamen perditur ſenſus; ſenſi enim me eſſe elevatam. Raptum ſequitur timor tantæ majeſtatis, quæ ſic elevat, & amor tam amantis Domini. Sæpe in Eſtaſi videbatur mihi corpus ita alleviari, quaſi perdiderit omnem gravitatem; interdum ea alleviatio erat tanta, ut non adverterim amplius, me pedibus terræ inſiſtere. Regulariter in Eſtaſi corpus manet inſtar mortui, ut nihil operari valeat. Corpus manet tunc in eo ſtatu, in quo occupatur ab Eſtaſi; v. g. ſi ab initio Eſtaſis ſedit, perſeverat in ſeſſione; ſi manus habuit clauſas, aut apertas, in eodem ſtatu eas retinet. Quamvis in Eſtasi regulariter retineantur ſenſus, aliquando tamen eos omnino perdidi; id tamen rarò contigit, nec in illa omnimoda deſtitutione ſenſuum diu perſtiti. Nihilominus in Eſtaſi ſenſus communiter ſunt perturbati; & licet corpus quoad actiones externas nihil operari valeat, advertit tamen, & audit quaſi à longè, quæ aguntur. Per hoc tamen nolim dicere, etiam tunc quidpiam adverti, vel audiri, quando Eſtasis ſupremum gradum attigit. Voco ſupremum gradum, quando potentiæ animæ ſic deſtituuntur, ut nec videant, nec audiantur, nec ſentiant. Id fit ob intimam unionem cum Deo, & totalem transformationem in Deum, quæ tamen non diu durat. Quamdiu autem durat, non ſentiuntur potentiæ animæ, nec ſcitur, quid in iis contingat. Ita in meipſa experta ſum. Si quis objiciat, cur ergo interdum Eſtasis durat per aliquot horas? reſpondeo, ſæpe Deum hoc modo facere, ut poſtquam animam totaliter cum ſuis potentiis in ſe attraxit, ac immerſit, denuò dimittat à ſe duas reliquas potentias, memoriam & voluntatem, retinendo ſolam voluntatem. Summa

illa immerſio omnium potentiarum parum durat. Nihilominus etiam poſt dimiſſionem reliquarum duarum potentiarum voluntas adhuc unita Deo ſic retinet eas potentias, & corpus, ut ſe non impediant. Plerumque in Ectasi oculi ſunt clauſi, quamvis nolimus eos claudere; quando autem remanent aperti, nihil viſu diſcernitur. Itaque in Ectasi corpus deſtituitur viribus motricibus, ut interiores potentiæ ſint magis collectæ. Neque tamen tanta tunc eſt memoriæ, & intellectus collectio, ut per aliquot horas, quibus Ectasis durat, nulla detur memoriæ ac intellectus evagatio ſeu diſtractio. Verum quidem eſt, quod hæ duæ potentiæ in Ectasi communiter ſint abſorptæ in laude Dei, aut conentur ea intelligere, quæ in anima accidunt, non tamen ſunt ad hoc ſatis idoneæ ac excitatæ, ſed ſe habent inſtar hominis, qui e gravi ſomno ac ſomnio nondum plenè evigilavit. Hæc propterea fuſius declaro, ut, ſi aliquibus perſonis hæc gratia concedatur, confeſſarii ſciant, eas in Ectasi non debere neceſſariò eſſe ſimiles mortuis. Durante Ectasi corpus eſt ſine viribus, ſed poſt Ectasin aliquando obtinet magnum vigorem. Quando verò Ectasis fuit magna, contingit, quod corpus duobus tribusve poſt illam diebus remaneat adeo perturbatum & abſorptum, ut tales homines videantur non ſatis ſibi eſſe præſentes. C. 21. In Ectasi fiunt revelationes, & viſiones. C. 27. Quando viſio eſt intellectualis, quantum exiſtimo, in potentiis animæ nullus fit motus, neque in ſenſibus, ita ut tunc dœmon nullam habeat anſam operandi. Sed hoc ſolùm interdum contingit, & non diu; ſed aliis vicibus mihi videtur, quod potentiæ animæ non ſint prorſus elevatæ ac ligatæ; nec ſenſus privantur ſuis operationibus, ſed tantum intra ſe manent collecti. C. 40. Interdum poſt magnam Ectasin, in qua omnes potentiæ animæ fuerunt ligatæ & abſorptæ, quod tamen, ut dixi, exiguo tempore durat, anima manet adhuc collecta, ita ut ne quidem exterius in ſe reverſa ſit; & tunc etiam poſt Ectaſin duæ potentiæ, memoria & intellectus manent tanquam ſtupe-

factæ

Digitized by Google

factæ & deliræ. In libro de Sex Manſionibus Manſ. 6. C. 4. rurſus Ectaſes hoc modo deſcribit; Quando Deus loquitur ad animam, claudit omnes januas ſenſuum. Nam quando animam per Ectaſin ad ſe attrahit, adimitur adeo illi reſpiratio, ut, quamvis alii ſenſus interdum relinquantur diutius liberi, nullo tamen conatu poteſt loqui. Interdum verò contingit, ut ſimul eodem momento ligentur omnes potentiæ, quo caſu ex aſpectu manuum & corporis apparet, quaſi in corpore non ſit amplius anima; interdum deprehendi non poteſt, an adhuc detur reſpiratio. Sed hoc non diu durat, nam quando violentia raptus aliquantum remittit, corpus denuo aliquantulum redit ad ſe, & incipit denuo reſpirare. Attamen violentus ejusmodi raptus non diu durat; ſed, quando deſinit, voluntas & intellectus nihilominus uno, duobus, pluribusve diebus manent adeo abſorpti, ut videantur inhabiles ad attentionem circa alias res, quàm Deum; ad creaturas videntur quaſi oppreſſæ ſomno. Ibidem C. 5. ait: Quando ſit raptus ſeu Ectaſis, interdum ab initio ſentitur repentina motio animæ, qua videtur celerrimè abripi. Inde naſcitur ingens timor. Quómodo enim fieri poſſet, ut homo perfectè compos rationis non timeat, dum videt ac ſentit, animam ſuam rapi, immo aliquando etiam corpus, repente, quin tamen ſciat, quo feratur? à quo rapiatur? & quo modo trahatur? nam in motu illo ſubitaneo non ſtatim ſcitur, utrum à Deo ſit. Cæterùm raptus ille eo modo ſit, ut planè quis exiſtimet, ſeparari animam à corpore; & quamvis certum ſit, corpus non eſſe mortuum, anima tamen per aliquot momenta neſcit, utrum in corpore ſit, an extra corpus. Videtur ipſi, quaſi fuerit in regione longe diverſa ab ea, in qua ſumus; ibi illi apparet etiam aliqua lux tam diverſa à noſtro lumine, ut ſi toto vitæ tempore quis conaretur imaginatione ſimilia effingere, nec lumen illud nec res in illo viſas poſſet in ſe exprimere. Fit interdum, ut in illo lumine ſimul in momento diſcat ac videat tantam rerum copiam, ut

ut aliàs pluribus annis earum nec milleſimam partem ſtudio proprio potuiſſet aſſequi. Haud equidem ſcio, utrum tunc omnia illa contingant in corpore; quod verò me attinet, certa mihi videor, animam eſſe in corpore, nec corpus eſſe ſine anima. Illud denique pro certo affirmo, quanta celeritate globus plumbeus evolat ex ſclopeto exploſo, tam celerem eſſe evolatum animæ in Ectaſi; & quamvis id fiat ſine ſtrepitu ac fragore, non tamen fit ſine ſenſu notabilis motionis, ita ut locum habere non poſſit illuſio, aut phantaſia. Quis igitur dubitet, magnanimitate opus eſſe, ut quis ſequatur ductum trahentis, dum non aliter apparet, quàm ſi anima ſeparetur à corpore deperdito jam uſu ſenſuum?

Regula 2. Ectaſis poteſt aliquando eſſe naturalis aut diabolica. Signa autem hujus ſunt. 1. Si nullum poſt ſe relinquat effectum ſupernaturalem in anima, videlicet pacem internam, alacritatem ad omnes virtutes &c. 2. Si Ectaſes ſunt frequentes, & tamen nunquam in iis revelantur aliqua myſteria, cenſendæ ſunt naturales. 3. Si non inprimunt animæ certitudinem quandam, quod Ectaſis ſit à Deo. 4. Si in Ectaſi accipit verba blanda ac conſolatoria à Deo, quin ſimul animæ infundatur ſenſus profundæ humiliationis, puta contemptûs proprii, contritionis &c. 5. Quando Ectaſes quidem ſecum ferunt incitamenta ad bonum, non tamen conſtantia ac quieta, ſed cum fortiſſimis incitamentis ad oppoſitum ſub ſpecie boni, ſic ut in animo non ſubſequatur tranquilla quies, ſed perturbatio; quò tamen non pertinent anxietates ortæ ex ſuggeſtione ſcrupulorum, attamen per modum tentationis facile ſuperabiles. 6. Si in Ectaſi detur viſio intuitiva Chriſti diu perſeverans. 7. Si eorum, quæ in Ectaſi viſa aut audita ſunt, non perſeveret conſtanter clara cognitio, ſed brevi ſuccedat obſcuritas, aut oblivio. 8. Quando poſt Ectaſin relinquuntur cogitationes contra articulos fidei certos, quamvis illæ ſolùm irruerent inſtar tentationum, ac primorum

rum

rum motuum. Hæc ſigna Ectaſis naturalis aut diabolicæ S. Thereſia ponit in ſequentibus locis. In ſua Vita C. 20. ait: In Ectaſi vera relinquuntur in animo præfati effectus, pax, alacritas ad laudem Dei, &c. quando verò non relinquuntur præfati effectus, dubitarem valde, an Ectaſis ſit à Deo; immo metuerem, ne loco Ectaſis ſit inſania, de qua ſcribit S. Vincentius. Ibidem C. 25. ait: Si perſona, cui ſit revelatio, ſentit ſe in cogitationibus titubantem circa articulos fidei; ſi apud ſemetipſam dicat: Quia Deus mihi hoc revelavit, poteſt æquè eſſe verum, ac illud, quod aliis Sanctis dixit; etiamſi tales ſuggeſtiones diaboli non credat, ſed præciſè per modum primorum motuum ejuſmodi cogitationibus incipiat tentari, jam ſuſpecta ſit viſio. Cenſeo enim, ſi apparitio fuiſſet vera, tantam à Deo ſimul conferendam fuiſſe firmitatem, ſoliditatem, ac invariabilem conſtantiam, ut ſæpe ne quidem in contrarium exurgant primi motus. In L. de Manſionibus Mans. 5. C. 1. ait: Quando Deus per veram viſionem animæ aliquid manifeſtat, ſemetipſum in partem intimam animæ tam profundè inprimit, ut, poſtquam ad ſe reverſa fuerit, nullatenus dubitare poſſit, Deum in ſe, & ſe in Deo fuiſſe. Hæc veritas tam firmiter ac tenaciter ipſi inhæret, ut etiamſi pluribus annis non repeteretur ejuſmodi gratia, nihilominus illius oblivisci non poſſet. Quomodo autem fieri poteſt, ut ea objecta quæ in tali viſione intellectuali intelliguntur, quamvis non videantur, nihilominus tam tenaciter inhæreant memoriæ? hoc neſcio; hoc tamen ſcio pro certo, me verum dicere; & ſi talis perſona præfatam certitudinem in ſe non experiretur, nollem dicere, in illa contigiſſe unionem totius animæ cum Deo, ſed tantùm unionem unius alicujus interioris potentiæ; aut contigiſſe cenſerem animæ gratiam alterius generis, animabus conferri ſolitam. Ibidem Manſ. 6. C. 3. ait: Quando animæ revelantur aliqua futura, præſertim in executione ardua, ſimul infunditur animæ pax, gaudium in Deo, & certa ſecuritas de eventu, quæ perſeverant, quamvis intercedant tantæ difficul-

tates in executione, ut ea videatur impoſſibilis. Quando vero ejusmodi vaticinia proveniunt à phantaſia, nullum reperitur ex his indiciis, nec certitudo, nec pax, nec interna dulcedo; niſi forte id contingat aliquibus perſonis debilis phantaſiæ & naturæ obtuſæ &c. nam & tales quasdam perſonas novi, quibus id in contemplatione & ejusmodi ſpiritualis ſomni contigit. Tales perſonæ in profunda illa recollectione revera adeo ſunt extra ſe, ut nec ſeipſas exterius ſentiant; & omnes eorum ſenſus adeo ſunt ſopoṙati, ut ſimiles ſint alto ſomno oppreſſis; immo forte ſic revera contingit, quod dormiant, & quod ſic inſtar ſomniantis ejusmodi objecta videant, & verba audiant, tanquam profecta à Deo. Verùm & tunc effectus ex tali viſione relicti ſe habent inſtar ſomnii transeuntis. Poſſet etiam contingere, quod, dum à Deo aliquid valde inſtanter & fervidè petunt, ipſis videatur, divino reſponſo concedi, quod flagitant. Et hoc quandoque contingit. Hinc novi perſonam, quæ cum haberet frequentes viſiones, ab initio valde dubitabat, an non provenirent à ſua imaginatione. Quod enim attinet dœmonem, ſi ab ipſo proveniant, hoc facilius deprehendi poteſt. Habet quidem & ille mille nocendi artes, ſic ut angelum lucis optimè norit imitari; ſolùm tamen, meo judicio, id poterit, pronuntiando clarè ac diſtinctè verba, quæ ingerit, ita ut audiens tam parum poſſit dubitare an illa audierit, ac ſi fuiſſent pronuntiata ab angelo bono; effectum tamen, puta pacem & illuſtrationem animi non poterit conferre, ſed inquietudinem & perturbationem. Si verba quæ audiuntur, fuerint blanda ac conſolatoria, & non ſimul ſentiantur eo majores affectiones humiliationis & confuſionis, credatur pro certo, non eſſe Spiritum Dei, qui loquitur. Certum enim eſt, ſi loquitur aut apparet Spiritus Dei, quo major eſt gratia, eo vilius & humilius ſe æſtimat anima. Ibidem C. 4. ait: Cenſeo, ſi ejusmodi Ectaſes ſæpius recurrunt, & nunquam in iis revelantur aliqua myſteria, quod non ſint veræ Ectaſes, ſed naturales infirmitates. Nam in perſonis debilis naturæ-

turæ, quales nos fœminæ plerumque ſumus, facile contingere poteſt, quod natura vincatur vi quadam forti, & ſic abſorpta remaneat. Ibidem C. 6. ait: Effectus cauſati per Ectaſin ſunt desideria perfecte Deo placendi, & patiendi omnia ad promovendum ejus cultum; ſed desideria illa non ſunt tranſeuntia; manent enim conſtanter, & oblata occaſione prodeunt in effectum. Notandum tamen, hæc ipſa desideria patiendi & operandi pro honore Dei interdum eſſe moderanda, dum vehementer angunt. Licet enim videantur eſſe desideria animæ in ſpiritu valde perfectæ, fieri tamen poſſet, ea quandoque excitari ab ipſo dœmone eo fine, ut judicemus, nos quoque eſſe tam ſanctè conſtitutos. Cenſeo tamen, dœmonem non poſſe excitare tantam pacem, qualis datur in illo ipſo animæ tormento, quo torquetur ſuis ſanctis desideriis; ſed excitabit ea desideria commovendo aliquam paſſionem, aut fortem inclinationem, qualis ſentiri ſolet in cura temporalium. Advertendum etiam, quod ſimilia poſſint cauſari ex debilitate temperamenti ac naturæ; immo & ſoleant cauſari, præſertim quando perſonæ ſunt teneræ, ſic ut de quacunque re facile lachrimentur. Millies credent, ſe lachrimari cauſa Dei, etsi id verum non ſit. Et poteſt contingere, quod audito quovis verbulo de Deo uberrimè illachrimentur, cum tamen ad has lachrimas forte plus conferat humor aliquis circa cor considens, quàm amor Dei. Quia verò credunt, lachrimas eſſe donum, ideo iis laxant retinacula, quousque fluunt. Dœmon verò per hoc quærit eas perſonas ſic defatigare, ut nec orare amplius valeant, nec regulas obſervare. Ibidem C. 9. ait: In visione imaginaria, in qua apparet Chriſtus, ſi anima poteſt diu hærere in illius aſpectu, non credo, visionem eſſe veram; ſed potius credo, eſſe intenſam contemplationem, quæ formatur à phantasia; & figura Chriſti comparata ad eam, quæ datur in visione vera, erit quasi aliquid mortuum. Dantur perſonæ tam debilis phantasiæ, quarum & aliquas novi, quæ in omnibus, in quibus objecta fortiter imaginantur, putant

intercedere viſionem; tales, ſi aliquando habuiſſent veram viſionem, facile ex diſcrimine deprehenderent ſuum errorem, quod enim vident, hoc efformant ſua imaginatione; ob quod nullum relinquit effectum, nisi talem, qualis enaſci ſolet ex conſideratione alterius devotæ imaginis; hinc & citius memoria excidit, quàm ſomnium.

Regula 3. Quando viſiones optantur, aut deſiderantur, facile fit illuſio dœmonis aut phantaſiæ. *S. Thereſia de Manſionibus* Mans. 6. C. 9. ſic habet: Hoc ſedulo inculcatum volo, ut nunquam à Deo petatis inſtrui per viſiones ac revelationes; nam quamvis bonæ ſint ac utiles, non decet tamen, eas desiderare; primò, quia hoc eſt contra humilitatem. Secundò, quia talis anima aut decipitur, aut eſt in maximo periculo deceptionis diabolicæ. Dœmoni ſufficit, ſi poſſit intrare per oſtiolum aut per rimam, ut mille fraudibus decipiat. Tertiò, quia ſi quis rem vehementer desiderat, imaginatio facile perſuadet, videri vel audiri, quod petitur, ſicut illi, qui de die aliquid cupiunt, & cogitatione illi inhærent, de illo noctu ſomniant.

Regula 4. Non datur omnino certum indicium diſcernendi viſiones veras à falſis, niſi ex diuturna experientia viſionum genuinarum, aut ex effectu indubiè ſupernaturali, v. g. diuturno ac conſtanti vaticiniorum eventu, & conſtanti impreſſione virtutum ſine ulla unquam permixtione mali. Adeoque S. Theresia ad probandas visiones vult exſpectari tempus, an videlicet effectus boni ſint conſtantes, & ſine permixtione malarum ſuggeſtionum, v. g. vanæ gloriæ, inquie-

quietudinis, perturbationis. &c. vult etiam expectari, an illa perſona, quæ habet viſiones, aliquando habeat viſiones indubitatò divinas, cujus rei aliud ſignum certum non eſt, niſi operatio miraculorum, & vaticiniorum conſtans eventus; ſi enim aliquando experta eſt veras viſiones, ipſâ experientiâ diſcernet lumen, gloriam, figuram, & affectiones animi dari ſolitas in viſione vera, & falſa, cum dœmon, aut imaginatio non poſſit, aut permittatur imitari omnia. Hinc perſonæ, quæ aliàs nunquam expertæ ſunt viſiones veras, non poſſunt ſcire limites poteſtatis diaboli, nec modum illum ſpecialem luminis, gloriæ, & guſtus interni, & alacritatis virtutum, & quietis in ipſis anxietatibus ac crucibus à Deo conferri ſolitum in viſionibus veris. Verum quidem eſt, quod S. Thereſia ſæpe putet, tutò fidi poſſe viſionibus, ſi relinquant in animo affectiones bonas, quietem, gaudium, amorem Dei, contemptum ſui, deſiderium patiendi. &c. Attamen alibi apponit limitationes, videlicet, ſi illæ affectiones ſint conſtantes, ſi ſint ſine immiſſione violentarum tentationum, immo etiam primorum motuum in oppoſitum, ſi denique habeant quendam ſpecialem modum, tantùm in veris viſionibus reperibilem, & verbis inexplicabilem, ſed ſola experientia eorum cognoſcibilem, qui habuerunt aliquando viſiones veras. Itaque fatetur, præſertim in libris ſuis poſterioribus, ſe quidem credituram, ejusmodi viſionem eſſe divinam, non tamen audet ſpondere certitudinem abſolutam, eò quod artes dœmonis ſint imperſcrutabiles, qui aliquando pro ſuarum deceptionum lucro contentus eſt cogitatione ſuperbiæ immixta mille affectionibus bonis. Certitudinem autem abſolutam unicè fundat in experientia, & effectu indubiè ſupernaturali, qualis v. g. eſſent repentina immutatio totius hominis ad bonum ac ſtabilis eradicatis in momento omnibus paſſionibus ac pravis inclinationibus, aut eventus vaticiniorum conſtantes, ſanationes miraculoſæ &c. Hoc eſſe Syſtema S. Thereſiæ quoad Criterium revelationum patebit ex ſequentibus ejus textibus. In Vita ſua

C. 20. ſic habet: Poſt Ectaſin, quando anima iterum ad ſe redit, ſentit ſe valde generoſam ad extollendum vexillum pro gloria Dei, & ad contemnenda pericula, immo & adeunda, certa de victoria. Ibi clarè agnoſcit vilitatem terrenorum. Ibi ſe & ſua omnia perfectè reſignat voluntati divinæ. In vera Ectaſi hi effectus indubitatò relinquuntur & manent in anima. Si verò non ſequuntur, dubitarem valde, an Ectasis eſſet à Deo; immo metuerem, ne loco Ectasis ſit inſania, de qua ſcribit S. Vincentius. Ibidem C. 25. ait: Declarabo jam, quomodo accidat, quando Deus alloquitur animam, quod ſæpe mihi contingit. Verba, quæ audiuntur, formantur clarè ac diſtinctè, & clarius percipiuntur, quàm ſi audirentur auribus externis; nec poſſibile eſt ab iis attentionem avertere, ne audiantur; oſtendit enim Deus, ſe eſſe Dominum animæ. Vellem hìc declarare, quales poſſint intercedere deceptiones; exiſtimo tamen, vix ullum ſubjectum eſſe poſſe deceptioni, qui magnam habet verarum ejusmodi viſionum ſeu allocutionum experientiam. Non quidem ſcio pro certo, an taliter expertus abſolutè poſſit decipi; ſic tamen etiamnum judico. Me quod attinet, experta ſum, in viſionibus veris prius duobus tribusve annis quandoque ea prædicta fuiſſe, quæ poſtea evenerunt omnia; & hactenus nunquam in ejusmodi vaticiniis decepta ſum. Poteſt quidem, ut arbitror, contingere, quod aliquis, qui in oratione quidpiam fervidè ac inſtanter petit, ſibi videatur pro intenſione imaginationis aliquid audire, v. g. hoc vel illud eventurum; attamen, qui ſemel expertus eſt viſiones & allocutiones veras, agnoſcet, in viſione vera ejusmodi res clarius agnoſci, magnumque eſſe diſcrimen; præterea, ſi ejusmodi viſa vel audita ſunt partus proprii intellectûs, deprehendet authorem ex eo, quia alius modus eſt auſcultandi dicta ab alio; & alius loquendi. Dein in tali allecutione imaginaria liberum eſt homini avertere attentionem, ſed in allocutione divina id homini non eſt liberum. Aliud ſignum ac certius eſt, (NB. bene S. Thereſia

reſia hoc vocat certius, quia proximè aſſignatum patitur inſtantiam in ſomniis, in quibus putamus nos audire dicta ab aliis, nec liberum nobis eſt, attentionem avertere.) Certius, inquam, ſignum eſt, viſionem aut allocutionem non eſſe à Deo, ſi nullum relinquat effectum. In allocutione, quæ eſt à Deo, verba conjuncta ſunt cum opere; & quamvis continerent minas & pœnas, diſponunt tamen anima ad omne bonum, excitant in illa teneram devotionem, illuminant, refovent, & collocant in magna quiete. Si tentata fuerit ariditate, tribulatione, inquietudine, hæc omnia tanquam ſpongia ſimul abſterguntur. Quod ſi allocutio veniat à diabolo, non ſolum nullum relinquit effectum bonum, ſed inſuper cauſat malum. Hoc mihi non ſæpius, quàm bis terve contigit, & ſtatim fui admonita à Deo, ea à dœmone eſſe; præter magnam ariditatem etiam relinquit magnam inquietudinem in anima, qualem ſæpe experta ſum, & etiamnum experior, quando Deus me permittit tentari. Dat quidem etiam dœmon dulcedinem & guſtum ad bonum, ſed illa longe diverſa ſunt ab illa dulcedine, quæ datur in viſionibus veris. Hinc dœmon ea ſuavitate interna ſolum decipere poterit eos, qui nondum guſtarunt ſuavitatem à Deo concedi ſolitam in viſionibus veris, conſiſtentem in quadam refocillatione animæ amœna, forti, profundè impreſſa, & tranquilla. Nam breves quædam affectiones devotionis, & alii quidam levis momenti motus boni, qui ad primum quemvis tentationis ſeu perſecutionis afflatum, inſtar floſculorum, evaneſcunt, quamvis ab initio ſint boni & ſancti, non tamen ſufficiunt ad diſcernendos effectus boni & mali ſpiritus. Hinc magna conſtanter cautela opus eſt. Nam perſonæ, qui in via contemplationis non longius proceſſerunt, quàm huc, facile poterunt decipi, quando habent viſiones vel revelationes. In viſione diabolica etiam non remanet teneritudo ac mollities cordis. Credo, quod Deus non patiatur animam à dœmone decipi, quæ in fide tam ſolida eſt, ut parata ſit pro ea mori, & ſibimet ipſi diffi-

diffidens ſollicitè in ea inquirit, quæ fidei conformia ſunt. Si verò talis anima ſentiat, ſuas cogitationes interdum fluctuare ac titubare, aut ſi apud ſemetipſam dicat: Cum Deus hoc mihi revelaverit, poterit utique æquè eſſe verum, ac illud, quod aliis ſanctis revelavit, quamvis has ſuggeſtiones non credat, ſed iis ſolùm per modum primorum motuum tentetur à dœmone, (nam in iis ſe detinere per ſe clarum eſt eſſe malum) jam ſuſpectam habeo talem viſionem. Credo enim viſiones veras ſic comparatas eſſe, ut ſua conſolidatione fidei ac corroboratione animi ſæpe etiam impediant ſubſequentes primos in adverſum motus. Quando viſiones ſunt à dœmone, evaneſcit & fugit ab anima omne bonum; ita ut remaneat ad bonum languida, conturbata, & ſine bona operatione; nam quamvis videantur excitari bona deſideria, deprehenduntur tamen ea non eſſe efficacia, & ipſa humilitas, quæ relinquitur, eſt falſa, turbulenta, & amara. Cenſeo eum, qui expertus eſt in visionibus veris, hæc facile intellecturum; nihilominus fateor, dœmonem habere varias artes & fraudes; hinc in iſto genere nihil adeo tutum eſt, ut non ſit melius, undequaque timere & ambulare cautè eligendo doctum Magiſtrum, cui nihil reticendum. Quod attinet effectus verarum viſionum, ipſamet eos experta ſum. Cum enim per biennium valde timerem, ne viſiones, quas habebam eſſent à dœmone, & viri docti idipſum metuerent, in hac ſumma anxietate & perturbatione mihi ſemel dicebantur hæc verba: ***Confide filia, ego ſum; ego non te deſeram.*** His verbis animo ſimul illabebatur alta quies, quam nullus hominum efficere ſuis adhortationibus potuit. Exinde ſenſi me totaliter immutatam, plenam fortitudine, pace, luce; quæ prius metuebam dœmones, ſæpius mihi apparentes, jam illos contemnebam tanquam muſcas; & hæc intrepida vis etiamnum conſtanter in me perſeverat. Ita S. Thereſia. Obſervo tamen, ex hoc ipſo conſequi, quod non omnes viſiones veræ cauſent pacem internam, alioſque effectus conſtantes; alioquin S. Thereſia per inte-

cum accepiſſet cibum cum eis, eduxit eos de civitate in montem, & vidi qualiter coram eis elevatus eſt.

N. 60. Poſt hæc in die Pentecoſtes vidi rurſus diſcipulos congregatos in domo ſupra memorata. Et factum eſt, dum ſederent, apparuit ſupra ſingulos eorum quaſi flamma ignis deſurſum deſcendens in impetu vehementi.

N. 61. Vidi ſupra cœlum cœli ad orientem multa millia Sanctorum coronatorum; exiſtimavi plusquam centum quadraginta quatuor millia; & circa thronum angelos multos & quatuor animalia.

N. 62. In feſtivitate omnium Sanctorum vidi multa millia Sanctorum Coronatorum adſtantes & miniſtrantes Deo, & in circuitu throni quatuor animalia. Angeli verò ſteterunt ante thronum Dei, & procidentes adoraverunt, & clara voce dixerunt: *Sanctus* &c. ſimiliter & viginti quatuor Seniores ceciderunt in facies ſuas, & adoraverunt viventem in ſæcula.

Criſis.

Propoſitio 1. Omnes revelationes Eliſabethæ non excedunt facultatem imaginativam, & phantaſiam.

Probatur. 1. Phantaſiæ conſimiles poſſunt homini contingere in ſomno, ut cuivis manifeſtum eſt à propria vel aliena experientia; conſtat etiam, multas ſpecies in ſomno excitari vel à dæmone, vel ab Angelis, vel à liberiore recurſu ſpirituum circa objecta familiaria, dum interea ſenſus externi, & actio circa objecta neglecta ſopiuntur. Ergo idem poteſt contingere in vigilia eorum hominum, quorum phantaſia in duas quaſi partes, unam

de die vigilantem, alteram perpetuò indormientem ac ſomniantem quocunque demum caſu diviſa eſt. Talis diviſio partis dormientis & vigilantis reperitur in multis animalibus v. g. leonibus, gallis. &c. Eadem datur in hominibus ſemidormientibus; ac maximè conſpicitur in febricitantibus, Enthuſiaſtis, & Phantaſticis. Sic novi hominem fatuum, qui videbatur ſibi in cubiculo ſuo videre modo Regem Galliæ, modo Papam, modo Principem, modo alios, quos nominabat viros & fœminas; audivi ſæpius ipſum cum his perſonis colloquentem. Nonnunquam iis iraſcebatur, easque impacto baculo tam fortiter abigebat, ut baculo in menſam aut ſellam excepto ſonus totam domum repleverit. Frequenter graviſſimè conquerebatur de flammis intenſiſſimis, quas dicebat à quibusdam hominibus (nominabat illos) ſuo capiti applicari. Dicebamus ipſi; hæc omnia eſſe meram illuſionem phantaſiæ; at ille reponebat: falli non poſſum in eo, quod ſenſus teſtantur; video præſentes, audio loquentes, ſentio ignes depaſcentes, quæ major haberi poterit de veritate objectorum ſecuritas? Similia exempla in hiſtoriis adducuntur innumera.

Propoſitio 2. Revelationes S. Eliſabethæ habent omnes proprietates ac cauſas operationis phantaſticæ.

Primò. *Eliſabetha ſæpe patitur graves perturbationes melancholiæ, & exceſſivæ triſtitiæ*, in talibus autem hominibus facile perturbatur temperamentum humorum, dominatur in corpore acidus humor; inde perturbatur phantaſia, ſpecies fiunt magis fixæ, ſic ut ab animo tam facile non expellantur, quæ diſpoſitiones plerumque reperiuntur in perſonis viſionariis. N. 10. Eliſabetha ait: *Attende multiplices anguſtias cordis mei, quæ ſupra quàm credi poteſt me coarctant.* N. 11. *propter hoc non ceſſant ab oculis meis lachrimæ, & anxiatur ſpiritus meus jugitur in me.*

me. N. 12. *à die, quo ſub regulari diſciplina cœpi vivere, uſque in hanc horam ita confirmata eſt ſuper me manus Domini, ut nunquam ſagittas ejus in corpore portare deſierim. Ægritudines meæ variæ ac diuturnæ non ſolùm me vexaverunt, ſed & omnes ſorores, quæ in circuitu mei ſunt. Cum ſæpe tanto languoris obruerer labore ut nullius membri, excepta lingua, compos eſſem, in ruminandis pſalmis ſedula permanſi; ſed cum & linguam paralyſis mihi ſubduceret, linguæ officium mente ſupplevi. Quantas autem cum infirmitatibus rerum penurias ſuſtinuerim longum eſt enarrare.* N. 13. *In die ſancto Pentecoſtes illius diei ſolennitas non me, ut ſolebat exhilarabat, ſed in quandam obſcuritate animi tota die permanebam. Poſtera etiam die, & tota illa hebdomada in eadem obſcuritate animi triſtis incedebam, nec potui ab animo excutere triſtitiam. Aſcendebant in cor meum plus ſolito delicta mea omnia, & magnificabam ſingula apud me, & ita mihi ipſi dolores accumulabam. Creſcente igitur paulatim apud me hac non bona triſtitia adeo mente obſcurata ſum, ut quocunque me verterem, in tenebris me ambulare exiſtimarem. Inter hæc etiam tanto tœdio afficiebar, ut nihil eſſet, quod non faſtidiret anima mea. Moleſtæ mihi erant ipſæ orationes. Pſalterium, quod jucundum mihi ſemper fuerat, longè à me projeci. Iterum recogitans, quid mihi accidiſſet, reſumpſi illud, & legi, ſed rurſus mente concidi. Omnes enim vires ſuas effudit in me adverſarius meus; nam etiam in fide hæſitare me fecit - pene omnis ſenſus verſus erat in me - inſiſtebat adverſarius meus, ita me perturbans, ut etiam tœderet me vivere. Cibum & potum ſumere non potui, niſi tenuiſſimè, & ibam deficiens & tabeſcens toto corpore.* Et his omnibus patet magna diſpoſitio ad Melancholiam in iſta S. Virgine.

Secundò. S. Eliſabetha ſemper fere ante apparitiones patitur vehementem alterationem humorum, ac exinde provenientes

cruciatus, & proſtrationem virium; ex quibus haud dubiè pronum eſt conſequi emotionem phantaſiæ.

N. 7. ait: *Abbate myſteria celebrante ſubito diſſolutæ ſunt compages membrorum meorum, & elanqui, & veni in mentis exceſſum; & Ecce! Angelus Domini ſtetit in conſpectu meo.*

N. 15. *Illo die irruit in me graviſſima infirmitas, cumque me proſternere vellem ante crucifixum, ita diriguerunt oſſa mea, ut nullatenus genua flectere potuiſſem; & legere me fecerunt paſſionem Domini; dum autem legeremus, apparuit mihi phantaſma monachi cuculla induti.*

N. 73. *Radius copioſi luminis repente de cœlo effuſus eſt ſuper me, faciens mihi æſtum, quemadmodum ſol ſplendet in meridie; & procidi in terram, & veni in mentis exceſſum; ſorores itaque volentes è terra levare caput meum nullo niſu id efficere potuerunt, & venit Angelus* &c.

Et in Revelatione de S. Urſula ſic habet: *Venit ſuper me quædam paſſio cordis, quam pati ſolebam, quando primum mihi revelari inceperunt myſteria.*

Tertiò. S. Eliſabetha, quando habet viſiones, plerumque eas deſiderat, & à Deo poſtulat ac exſpectat ob aliorum ſollicitationem; ſine indicio claro interni inſtinctus, & ſine neceſſitate. Quæ ſollicita deſiderii anxietas eſt apta diſpoſitio ad emovendam phantaſiam eamque applicandam ad objecta volita, vel ad illuſiones.

N. 5. ait: *Præcepit mihi Dominus Abbas, ut operam darem orationi, atque à Domino poſtularem, quatenus daret mihi intelligere, utrum ea, quæ dixeram, ſilentio tegi vellet, an non. Cumque per aliquod tempus hac de re orationi inſiſtendo me afflixiſſem, corrui in extaſin, & adſtitit mihi Angelus.*

N. 7.

Digitized by Google

N. 7. *Poſt hæc Dominus Abbas aggreſſus eſt deprecari Dominum una cum omnibus nobis, ut nobis revelare dignaretur ancillæ ſuæ, utrum ſermonem divulgari oporteret, & veni in mentis exceſſum.*

N. 19. *Convenerunt ſorores ac fratres Domini videntes anguſtias animæ meæ, ac decreverunt, ut ſeptem continuis diebus communes preces funderent pro me, cumque cum magno deſiderio exſpectabam, ſperans aliquid conſolationis tunc me recepturam. Venit deſiderata dies, & dilatatum eſt cor meum, & vidi lucem magnam in cœlo.* &c.

Et in revelatione de B. V. aſſumptione: *Apparuit mihi Domina cœlorum, tunc ſicut ab uno è ſenioribus noſtris præmonita fueram rogavi illam dicens: Domina, placeat, ut certificare nos digneris* &c.

Quartò. Eliſabetha habet eundem modum tendendi in aliis ſuis revelationibus, quem habet in revelatione de Societate S. Urſulæ; adeoque ſicut iſta eſt opus ſolius phantaſiæ, ita illæ; nec eſt ulla ratio, hanc denegandi Eliſabethæ, quin omnes denegentur. Patet ex Manuſcripto à me uſurpato, quod idem ſit author hujus & illarum revelationum, nempe Egbertus frater Eliſabethæ; ſi potuit mundo obtrudere revelationes ſuæ Sororis confictas in uno genere, potuit idem in alio, & ſic fides harum revelationum univerſim concidit.

Quintò. Eliſabetha viſiones frequenter patitur tempore jejunii. N. 48. Poſtquam enumeraverat varias viſiones, addit: *Hæc omnia frequenter in tempore jejunii mihi apparuerunt.* Conſtat autem, ſtomacho jejuno inſolitos vapores aſcendere in caput, & turbata phantaſia conciliare extraordinaria ſomnia.

Sextò. S. Eliſabetha ſingulis annis, & aliàs frequenter habet easdem viſiones, quod non videtur provenire à DEO. Semel loquitur Deus, & idipſum prorſus eodem modo plerumque non repetit, niſi ubi agitur de exhortatione morum. Ergo iteratæ viſiones circa eadem objecta tantùm proveniunt à phantaſia, in qua ſpiritus relegunt nota veſtigia. N. 48. ait: *Poſt hæc in ſecunda feria rurſus veni in extaſin, & vidi prædictam viſionem ut prius.* Et. N. 61. *Hæ ſunt, Frater, miſerationes Domini, quas in primo anno viſitationis meæ operatus eſt in me; in hac autem ſecundi anni revolutione eadem fere, quæ anno priore in feſtivitatibus ſanctorum circa me accidere ſolebant, eveniunt. Aliquoties autem alteriusmodi verba, quàm ſolebant, revertenti mihi ab extaſi, in ore ponuntur.*

Septimò. S. Eliſabetha videt pleraque myſteria eô modô, quo de verbo ad verbum deſcribuntur in ſcriptura. Quid autem eſt opus miraculo, aut ſpeciali operatione divina ad talia revelanda? videntur ergo viſiones talium objectorum jam in Scriptura revelatorum eſſe operationes phantaſiæ. v. g. N. 54. ait: *In Cœna Domini rapta ſum in extaſin. Tunc vidi Dominum in eadem civitate ſedentem cum diſcipulis ſuis in domo, quaſi ad cœnandum; cumque aſpicerem, ſurrexit à Cœna, & ponens veſtimenta ſua præcinxit ſe linteo, & accipiens pelvim incurcavit genua ante Petrum - & Dominus ſingulorum pedes lavit, iterumque reſumpto veſtimento ſuo recubuit. Poſt hæc egreſſus eſt cum illis de civitate* &c. &c. Hic deſcribit omnia geſta in monte Oliveti, prout deſcribuntur in Evangelio.

Octavò. S. Eliſabetha aliqua Symbola ac figuras Scripturæ videt tanquam veritatem hiſtoricam; ſic N. 61 & 62 inter ſanctos & angelos videt etiam quatuor animalia apocalyptica, & viginti quatuor ſeniores, quaſi eſſent aliquid reale. Joannes iſta videbat tanquam ſymbola, utpote ut ordinata ad ſignificandum aliquid Eccleſiæ.

No-

Digitized by Google

Nonò. Videt alia non conſona cum veritate hiſtorica, aut cum aliis revelationibus. N. 16. videt B. Virginem indutam quaſi caſula; N. 55. diſcipuli fugiunt in latibula. Chriſtus levatur in crucem; Calvaria eſt inſtar agri arati. N. 56. Caligo primum oritur poſt mortem Chriſti. Saxa per agros colliduntur. Genua Chriſti complicantur. Copioſus ſanguis fluit ex latere. N. 59. In die Aſcenſionis Chriſtus prius comedit. Iſta & ſimilia plura non conſentiunt cum aliis revelationibus. Bollandiani ad levationem Chriſti in Crucem addunt: *Hoc convenit cum viſione S. Birgittæ, contra quàm nunc paſſim & in recentiorum Sanctarum viſionibus concipitur ſuper crucem humo ſtratam extenſus Dominus.* Iidem ob complicationem genuum ajunt: *Hæc complicatio genuum competit corpori non contentiſſimè tenſo, ac ſtanti ſupra fulcrum aliquod, non autem, uti concipiebat S. Oſanna, exaggerans fere ſupra cæteros dolores eum qui ſentiebatur in pectore ex violenta illa brachiorum diſtenſione. Unde confirmatur doctrina à me tradita, de verbis factisque extaticorum ad controverſias hiſtoricas non trahendis.* Et dum N. 65. S. Eliſabetha dicit: *In nativitate Domini vidi B. Virginem in domo quadam, quaſi jacentem in lectulo, & contrectantem manibus Infantulum ſpecioſum & amabilem nimis. Quem cum circumligaſſet faſciis albiſſimis, depoſuit in præſepio, quod ſecus ipſam videbatur;* obſervant, B. Virginem non potuiſſe parere in domo, cum adhuc reperta fuerit à Paſtoribus in ſtabulo. Accedit, quod non videantur convenire domus, lectus, & præſepe ſecus lectum cum ſpelunca Betlemitica, ubi conſtat natum eſſe Dominum.

Decimò. S. Eliſabetha non monſtrat eam modeſtiam, quam habent aliæ Sanctæ virgines viſionibus aſſuetæ. Nam tanta animi confidentia conteſtatur univerſim, ſuas viſiones ſine ullo earum diſcrimine eſſe divinas, ut etiam vehementer indignetur iis, qui id

id non credunt; immo de concilianda iis fide in ultimo agone mirîs prorſus curîs eſt ſollicita. Unde tanta fiducia de viſionibus non ſolùm probabiliter, ſed etiam manifeſtè illuſoriis, ut ſunt illæ de Societate S. Urſulæ, niſi ex phantaſia? quod ſi iſta fiducia in agone eſt phantaſtica, quæ ſpes de viſionibus? In Epiſtola ad Hildegardem Eliſabetha ſic habet: *Fateor verè, quondam perturbationis nubem me nuper in animo concepiſſe propter ineptos ſermones populi multa loquentis de me, quæ vera non ſunt. Sed vulgi ſermones facile ſuſtinerem, ſi non & hi, qui in habitu Religionis ambulant, ſpiritum meum acerbius contriſtarent. Nam & hi neſcio quibus ſtimulis agitati, gratiam Dei in me derident.* Eadem moribunda N. 120. ſuas Sorores ſic alloquitur: *Nolite mirari ſuper infirmitatibus meis, ſicut homines imperiti, neque diffidatis gratiæ Dei propter caſtigationes, quas ſuſtineo & ſæpe ſuſtinui. Conſcientia mea bona eſt apud Dominum & certiſſimè agnoſco, quod per ea, quæ patior, præparat & exornat coronam meam. Ipſe operatus eſt in me magna, & temporibus noſtris inaudita. Vobis dico, & confidenter affirmo per illud iter, quo ad regnum Dei perrecturam me ſpero, quoniam hæc, quæ vidiſtis in me, & audiſtis ex me, vera ſunt, & nihil fallaciæ aut ſimulationis unquam adjeci. Dominus mihi teſtis eſt. Collaudate Deum, quia in his ſingularem vobis honorem præ cæteris clauſtralibus præſtitit.* Et N. 125. jam morti proxima: *Dilectiſſimæ, habete certitudinem finis mei, & teſtimonium verum omnium eorum, quæ Dominus mecum operatus eſt. Rogo & admoneo vos, ut ſtabilem fidem adhibeatis iis, quæ fecit Dominus coram vobis in me, neque diffidatis unquam; & ego credo operibus ejus, & teſtimonium eis perhibeo morte mea. Poſtquam Dominus cœpit ſingularem ſuam gratiam ponere in me, graviora paſſa ſum, quàm prius, non ſpecialiter propter aliquas iniquitates meas, ſed ut per meos labores quæ foris vidiſtis in me, comprobarentur ea, quæ occultè mihi Dominus demonſtravit.* Ita S. Eliſabetha in Agone. Mirum profectò, ſi

modo intervenire poſſet deceptio, hìc verò non, quia interius relinquit ingens lucrum, & tales effectus, qui nec à melancholia, nec à dœmone cauſari poſſunt; neque enim dœmon procurare poſſet tantam bonorum copiam, tantam pacem internam, tantum deſiderium in omnibus placendi Deo, & tantum contemptum omnium, quæ poſſunt abducere à Deo, & tantum ſtudium puritatis conſcientiæ ob jugem divinæ præſentiæ memoriam. Ibidem C. 6. de ingenti deſiderio moriendi, ut ſimus cum Deo, loquens dicit: hoc ipſum deſiderium aliquando eſſe moderandum, dum nimium angit, avocando attentionem ad alia. Dein addens rationem ſubjungit: Nam, cum hæc deſideria videantur eſſe effectus perſonæ jam in ſpiritu profectæ, facile poſſet contingere, ea excitari à dœmone hoc fine, ut cogitemus, etiam nos eſſe tales perſonas in ſpiritu profectas. Cenſeo tamen, dœmonem non poſſe efficere tantam quitem & pacem, qualem hoc deſiderium ſtante ſuo cruciatu cauſat; ſed forte ea excitabit deſideria commovendo paſſiones ac inclinationes, quales ſentiri ſolent ex cura temporalium. Qui autem neutrum horum expertus fuerit, non poterit hoc intelligere, & dum exiſtimabit, id rem magnam eſſe, promovebit illud deſideriorum tormentum, ſicque valde nocebit ſuæ ſanitati. Idem poteſt etiam provenire à teneritudine complexionis, pronæ ad lachrimas, cui audito quolibet verbo de Deo reſiſti non poteſt. Dœmon autem per hoc quærit, ut ejusmodi perſonæ ſic defatigatis viribus orationi & ſuis regulis amplius vacare non poſſint. Ibid. C. 8. ait: Hi effectus (hucusque recenſiti) facile agnoſci poterunt ab iis, qui idem experti ſunt. Nam, ut jam dixi, cenſeo eſſe impoſſibile, quod ſint ab imaginatione vel dœmone. Si enim forent ab imaginatione, non poſſent tamdiu durare; & ſi venirent à dœmone, non afferrent tam notabilem utilitatem, nec conſervarent animam in tanta pace interna; cum hæc non ſit conſuetudo illius; neque tam perverſa creatura poteſt cauſare tantum bonum, etiamſi vellet, nam ſubito ſe immiſcerent vapor

vapor propriæ æſtimationis, & cogitationes, quod quis ſit aliis melior. Dein hæc perpetua unio animæ cum Deo, & jugis elevatio mentis ad Deum tantam ipſi crearet moleſtiam, ut etiamſi vellet tales cauſare effectus, non tamen frequenter ſimili deceptione rediret. Nec Deus talia permittet in anima ſibi totaliter dedita, ſed celerrimè procurabit, ut ipſi fraus dœmonis detegatur. Ibid. C. 9. ait: Tales viſiones contingunt etiam dum anima nullam prorſus cogitationem habet de viſionibus; repente enim illi obverſantur ejusmodi objecta cum vehementi commotione omnium potentiarum & ſenſuum concomitante ingenti timore, ad quem tamen ſubſequitur pax beata, ut enim, dum proſternebatur D. Paulus, orta eſt in cœlo vehemens tempeſtas, ita contingit in interiore mundo. Fit enim valida commotio, & ſtatim redit ſerenum, tunc anima inſtruitur in myſteriis & veritatibus ſublimibus, ut nullo opus habeat magiſtro; Deus enim ab illa tollit omnem ruditatem; & anima aliquamdiu remanet certa, hanc gratiam provenire à Deo. Si Confeſſarii eam reddunt timidam, ille timor ſe tantum habet per modum tentationis diabolicæ, ut contingit in tentationibus fidei, in quibus licet à dœmone poſſit turbari, remanet nihilominus firma, immo certior, ſciens, dœmonem talia bona procurare non poſſe, qualia in ſe experitur. Poterit quidem dœmon tale aliquid efficere, ſed non tanta veritate, majeſtate, & efficacia. Quia autem Confeſſarii iſta interiora animæ videre non poſſunt, & illi, quibus fit illa gratia, ſe forte explicare non poſſunt, ideo timent, & quidem merito. Ideo neceſſe eſt, ut cum talibus perſonis viſionariis cautè procedatur, & exſpectetur tempus; & ſucceſſivè videndum, quales fructus ab his viſionibus relinquantur, qualis implantetur humilitas, quanta conferatur ſoliditas virtutum ac fortitudo; ſi enim dœmon habuerit partem, brevi detegetur.

Regula

Regula 5. Ectaſes ac Revelationes veræ non faciunt aut ſupponunt hominem ſtatim perfectum, ſed tantum movent ac diſponunt ad perfectionem ſucceſſivè obtinendam. In ſua Vita C. 21. ait: Deſcripſi nunc effectus veræ Ectaſis; fatendum tamen, eos aliquando eſſe majores, aliquando minores. Nam licet ab initio Ectaſis hos effectus producat, nondum tamen ſtatim ipſo opere comprobantur; hinc fit, quod non ſemper ſtatim ſciri poſſit, an perſona Ectatica revera habuerit illos effectus internos. Poteſt quidem Deus in momento reddere perfectum, ſed non ſolet. Hinc & in me, ex quo has gratias conſecuta ſum, ſemper crevit fortitudo animi, & expurgatio à perturbationibus.

Regula 6. Quando in viſione aliqua apparet imago Chriſti, nunquam conſpuenda eſt, etiamſi eſſet à Dœmone. De Fundat. Monaſteriorum. C. 8. ait: Dicam de apparitionibus provenientibus à dœmone, quando induit perſonam Chriſti, aut alicujus Sancti. Scio perſonam, quæ valde torquebatur à ſuis Confeſſariis; quando enim ipſi apparebat imago Chriſti, jubebatur ſe ſignare Cruce, & Chriſti illudere imagini. Quando vero locuta eſt poſtmodum cum viro admodum docto F. Dominico Suarez, dixit, id non rectè fieri, nec à quopiam faciendum. Nam Chriſti imago ſemper veneranda eſt, ubicunque reperiatur, etiamſi ab ipſo dœmone picta eſſet. Per hoc nobis præſtat obſequium, ſi repræſentet imaginem Chriſti, quæ poſtmodum remanet impreſſa noſtris cordibus. Hæc animadverſio hujus viri docti mihi valde placuit; nam ſi conſpicimus devotam imaginem, non remorabitur noſtram devotionem, ſi ſciamus, eam à ſceleſto quopiam homine pictam eſſe. Idem repetit de Manſionibus Manſ. 6. C. 9. ubi ait: Viro illi docto valde diſplicuit, quod in tali caſu Chriſto putatitio illudendum ſit, & ficus

demonſtranda. Dicebat enim, imaginem ſui Regis ſemper in honore habendam eſſe. Et plane video, eum rectè dixiſſe; cum & in humanis indignè quis ferret, ſi ejus imaginem inhonoraret; quanto magis, ſi dedecore afficiatur imago Regis noſtri, id indignè laturum putamus. Qamvis de hac re jam ſemel ſcripſerim, idipſum tamen repeto; quia ſcio perſonam, cui idipſum præceptum fuerat à Confeſſario, & anguſtiabatur valde. Conſilium meum eſt, ut ſi quis idipſum vobis conſuluerit, non ſequamini hoc conſilium. Mihi enim rationes, quas quidam mihi propoſuit ſummopere placuerunt. In ſua Vita C. 29. ait: Cum mihi frequenter appareret Chriſtus, Confeſſarius extraordinarius in abſentia Ordinarii mihi præcepit, ut Chriſto ſic apparenti monſtrarem ficum, meque ſignarem cruce; nec dubitarem, eſſe dœmonem. Hoc grave mihi accidit, quia dubitare non poteram, eum, qui mihi apparuit, eſſe Deum. Parui tamen; ſed ne toties me deberem ſignare cruce, in manus ſumpſi crucem. Hoc ſemper faciebam; ut autem monſtrarem ficum, non feci ſemper. Hoc enim duriſſimum ſentiebam, in memoriam revocando illuſiones Chriſto à Judæis factas. Chriſtus mihi reſpondit, in hoc obediendum Confeſſariis; ſe non curare ejusmodi illuſiones. Quando verò Confeſſarii mihi interdicebant orationem, hoc videbatur ægre ferre; dicebat enim, id eſſe tyrannidem, & hoc voluit à me illis referri.

Regula 7. Finis à DEO intentus cauſandi Ectaſin eſt. 1. Ut animæ dilectæ fiat prægustus cœleſtis gloriæ. 2. Ut illi concilietur æſtimatio apud homines. 3. Ut ſic fiat perfecta cum Deo deſponſatio, quæ ſine alienatione à ſenſibus fieri in vita non poſſe videtur facile.

Regula

Regula 8. Si omnes perfectè diligerent DEUM, ſicut ille nos amat, omnes paterentur Ectaſin.

Regula 9. Ideo fœminæ patiuntur plures veras Ectaſes divinas, quia magis ſunt ad illas diſpoſitæ. Has tres Regulas inſinuat ſequentibus locis. In ſua Vita C. 27. ait: Videtur mihi, quod Deus per ejusmodi Ectaſes velit animæ præbere notitiam eorum, quæ fiunt in cœlo; ſicut enim ibi ſe invicem intelligunt ſine prolatione verborum, ita hìc Deus intelligitur præcisè per hoc, quod velit intelligi. Ibidem C. 40. ait: Cum ſemel cogitarem, quæ cauſa ſit, quod nunc ferè nunquam amplius publicè habeam Ectaſes; intellexi mihi dici: Nunc non amplius id neceſſarium; jam enim in ſufficiente authoritate conſtituta es ad eum finem, quem intendo. Condeſcendo infirmitati humanæ. De Manſionibus Manſ. 6. C. 4. ait: Deſponſatio cum Deo meo judicio tunc fit, quando animæ immittit Ectaſes, quibus alienatur à ſenſibus. Nam ſi illi relinqueretur uſus ſuorum ſenſuum, videndo ſe tam vicinam divinæ majeſtati, forte impoſſibile foret, manere vivam. Ibidem dicit: Quando de his mirabilibus Dei, de Ectaſum beneficio, loquor, non poſſum non dolere videndo, quanta perdamus ex propria culpa. Nam licet verum ſit, iſta ad eas pertinere res, quæ dantur, cui ipſe voluerit; nihilominus, ſi eum ita amaremus, ſicut ipſe nos amat, daret ea omnibus. In ſua Vita C. 40. ait: Has gratias Ectaſum Deus frequentius multò confert fœminis quàm viris; & audivi à Sancto viro P. Petro de Alcantara, immo ipſamet id obſervavi, quod in hac via fœminæ magis proficiant, quàm viri. Afferebat ad hoc probandum præclara argumenta, quæ laudi cedunt fœminis.

Regula 10. DEUS in viſionibus etiam veris quandoque promittit, ſemper exaudiendas quorundam preces. In ſua Vita C. 39. ait: Cum ſemel inſtantiſſimè precarer Deum, ut alicui perſonæ, cui obligata eram, reſtitueret viſum, quem fere totaliter amiſerat; timerem autem, ne propter mea peccata Deus me non exaudiret, apparuit mihi ut aliàs conſuevit, oſtenditque mihi vulnus ſuæ manus ſiniſtræ. Cumque ei propterea condolerem, dixit, ſe tanta mei cauſa paſſum haud dubiè non minus facilem fore ad exaudiendas meas preces. Præterea promiſit, me nihil precaturum, quod ipſe non eſſet conceſſurus, quia jam ſciebat, me nihil petituram, niſi quod cederet ad ejus honorem: addidit, ſe hanc ipſam petitionem exaudire. Et revera intra octo circiter dies illi perſonæ viſus fuit reſtitutus. Poteſt quidem contingere, id non ob meas preces, ſed ex alia cauſa factum eſſe; quia tamen hanc viſionem habueram, ita eram certa, ut ſine hæſitatione propterea Deo gratias egerim. Ibidem C. 19. ait: Petrum de Alcantara poſt ejus mortem ſæpe vidi gloria circumdatum. Statim ut obiit mihi apparuit, quod & aliis dixi; poſt octiduum venit nuntius de ejus obitu. Semel mihi Deus dixit; neminem in hujus viri nomine aliquid petiturum, quod non eſſet impetraturus.

Verùm circa hanc ultimam S. Thereſiæ viſionem ac doctrinam, in qua continetur promiſſio de exaudiendis precibus hujusmodi promiſſiones, ſi revera datæ ſunt per apparitionem veram, ſemper ſunt tacitè conditionatæ, ſub ipſa videlicet conditione; *ſi debitè petantur*, eo ordine, ac modo, quo decet, ut à Deo exaudiantur. Hinc non ſunt cenſendæ veræ promiſſiones, quæ ex ſua natura ſunt exorbitantes, v. g. quæ præbent occaſionem ſocordiæ, quæ ſpondent converſionem, aut apparitiones in articulo mortis, &c. &c. aut liberationem determinatam è purgatorio. Similiter

ter exorbitantes petitionis eſſent, ſi quis v. g. in nomine S. Petri de Alcantara peteret liberationem omnium animarum è purgatorio, gratiam converſionis efficacem pro omnibus peccatoribus, dona gratis data, reſuſcitationem mortuorum, ſanationem omnium claudorum, gratiam efficacem pertingendi ad ſublimem gradum ſanctitatis v. g. S. Franciſci, &c. &c. Hæc enim non impetrarentur, quia Deus vult, ut omnia ordine fiant; adeoque non licet petere aliqua contra ordinem per leges immutabiles divinæ juſtitiæ, æquitatis, & ſapientiæ præſtabilitum à Deo. Hæ Leges autem petunt, ut inter donum, & meritum detur proportio, ut libertas relinquatur homini, ut princeps tenebrarum opprimatur non potentia, ſed virtutum merito, ut in operibus gratiæ non procedatur per ſaltus, ſed ſervatis intermediis. &c. Quamvis accuratè ille ordo divinæ æquitatis & ſapientiæ præſtabilitus à Deo ab homine comprehendi non poſſit, niſi per inſtinctum internum, aut per experientiam caſuum conſilium; aut negativè, inquantum aliqua repugnarent etiam legibus Sapientiæ humanæ.

CAP.

Digitized by Google

CAP. XVI.

Regulæ practicæ ex S. Joanne de Cruce Ord. Carmel.

In ſuo libro, cui titulus: *Aſcenſus Carmeli*, poſtquam monſtraverat, perfectionem conſiſtere in perfecta unione ſeu aſſimilatione cum Deo, quæ obtineri non poteſt ſine depuratione omnium affectuum à creatis, præſertim ſenſibilibus, oſtendit, quibusnam ſupernaturalibus operationibus Deus hominem ad eam exſpoliationem affectuum & unionem aſſimilativam cum Deo magis ac magis perficiat. Inter eas operationes divinas ſunt etiam ſenſibiles devotionis guſtus, virtutum & ſapientiæ implantatio repentina & conſtans, Ectaſes, revelationes &c. De his ergo tradit ſequentes regulas.

R*Egula* 1. Omnes apparitiones, viſiones, revelationes, conſolationes, ſuavitates, ſenſationes, &c. quæ percipiuntur ſenſibus externis, ſemper ac univerſaliter ab anima, quantum in ipſa eſt, recuſandæ ſunt; ſemper ab iis oculus mentis avertendus; nunquam iis nec per momentum delectatione moroſa aſſentiendum aut acquieſcendum; multo minus deſiderandæ ſunt. Regulariter ſunt à dœmone, & tunc relinquunt in animo aliqualem perturbationem ſaltem per modum tentationis; & ſi ab anima delectatione

ne admittantur, aut aſſenſu, cauſant ingentia damna. Quando verò ſunt à DEO, cauſant in anima incitamentum & alacritatem ad bonum ex ipſo earum contemptu; Quando igitur divinæ ſunt, ideo dantur, ut contemnantur, & anima ex victoria, qua ſuperat has oblectationes ſenſuum quantumvis divinas, ducatur ad intelligibilia. Quod ſi aliquando in caſu valde rarò admittendæ ſunt, id non fiat, niſi in circumſtantiis per viros doctos, ſpirituales, & expertos eximiè juxta effectus præfatos examinatis; & etiam tunc ſine omni deſiderio & affectu ad eas. Hæc notabilis Regula S. Joannis à Cruce ab eo traditur in præfato libro, L. 2. C. 11. ubi ſic habet: Egi hactenus de cognitionibus naturaliter acquiſitis, hìc agam de cognitionibus ſupernaturaliter, attamen ope ſenſuum externorum obtentis, videlicet per viſum, auditum, guſtum, odoratum & tactum. Solent enim interdum devotæ perſonæ oculis videre imagines Sanctorum, angelos, luces, ſplendores; auribus audiunt verba inſueta; odoratu quandoque percipiunt ſuaviſſimos odores; guſtu ſentiunt res ſaporiſſimas. Ipſe etiam tactus quandoque ſic afficitur voluptate, ut penetrentur medullæ, & omnia oſſa videantur natare in mari quodam delitiarum. Suavitas illa, quæ ſic ſe diffundit in omnia membra, à Scriptoribus myſticis, vocatur *unitiva*, & oritur ex devotione ſenſibili. Hìc advertendum, quod licet omnes hi effectus poſſint oriri ex Deo, nunquam tamen tutò iis fidendum eſt; immo prorſus non ſunt admittendi, ſed potius totaliter vitandi & fugiendi non examinando, utrum boni vel mali ſint. Ratio eſt, quia, cum ſint magis externi ac corporei, datur minor certitudo, an ſint à Deo, cui proprium eſt, ſe communicare animo. In iſta communicatione interna ad animam datur major certitudo & major

utilitas; in illa verò communicatione ad ſenſus externos plerumque reperitur periculum & deceptio. Nam ſi judicium de rebus ſpiritualibus relinquitur ſenſibus externis; judicant eas comparatas eſſe modo ſenſibili; adeoque errant. Hinc valde errant illi, qui ejusmodi apparitiones ac ſenſationes æſtimant; per hoc enim ſe exponunt periculo deceptionis; aut certè incurrit impedimentum, quo valde impeditur à profectu in ſpiritualibus, cum iſta ſenſibilia nullam habeant ſimilitudinem cum ſpiritualibus. Hinc ejusmodi perſonis timendum, ne forte tales res potius proveniant à dœmone, quàm à Deo; nam in rebus externis ac ſenſibilibus dœmon majorem poteſtatem habet, faciliusque decipit, quàm in internis ac ſpiritualibus. Præterea iſta ſenſibilia minus conducunt ad ſpiritualia, quia valde diſtant corporalia & ſpiritualia. Nam licet aliquando ab iis oriatur aliquid devotionis & ſpiritus, quando proveniunt à Deo; fructus tamen ille longe minor eſt, quàm ſi objecta fuiſſent intelligibilia. Ex dictis ſequitur, quod & aptiora ſint ad cauſandum in anima errorem, præſumptionem & vanitatem; nam cum tam craſſa & materialia ſint, fortius commovent ſenſum; animæ autem videntur eſſe res aliquæ magnæ; ideo ſequitur illas, exiſtimans præeunte hoc lumine, duce, ac medio ſe pervenire poſſe ad ſuum ſcopum, nempe ad unionem cum Deo. Quo plus autem talia attendit & æſtimat, eò longius deviat à perfecta via, & à genuino medio, quod eſt fides. Et quia anima videt ſibi contingere tanta mirabilia, ſæpius inſenſibiliter irrepit certa æſtimatio ſuiipſius, ita ut ſibi videatur aliquid valere apud Deum, quod eſt contra humilitatem. Præterea etiam dœmon bene novit animæ inſpirare complacentiam & ſatisfactionem de ſeipſo, quæ tentatio quandoque ſatis clara & aperta eſt, dum ejusmodi objecta in ſenſibus excitat. Nam oculis exhibet apparitiones Sanctorum cum ſplendore elegantiſſimo; auditui ingerit verba blanditiis mellea; odoratum demulcet odoramentis ſuaviſſimis; in ore cauſat guſtus dulciſſimos; & in tactu diffundit voluptatem, ut animam

Digitized by Google

mam ſic ineſcatam præcipitet in multiplicia mala & gravia. Itaque ejusmodi repræſentationes abjiciendæ & expellendæ ſunt. Nam etſi aliquæ earum forent à Deo, ipſi per hoc non infertur injuria, nec anima perdit quidpiam illius fructus, quem illarum ope Deus in ipſa cauſat. Ratio eſt, quia omnes operationes divinæ, ſive fiant in ſenſibus internis ſive in externis, ſuum primarium effectum ſimul uno eodemque momento cauſant in anima, nulla relicta facultate deliberandi, aut donum abjiciendi; ut enim hujusmodi effectus in anima incipit ſine illius cooperatione ac diſpoſitione, ita eosdem perficit ſine ipſius conſenſu ac induſtria; hinc tam parum animæ liberum eſt, talia dona acceptare aut rejicere, quàm parùm manui aut pedi nudo ſupra ignem poſito liberum eſt ſentire calorem; ſentiet enim ſive velit ſive nolit. Ita apparitiones & viſiones primarium ſuum effectum non cauſant in corpore, ſed in animo; ſicut econtra apparitiones provenientes à dœmone in anima etiam nolente cauſant inquietudinem, inſtabilitatem, perturbationem, ariditatem, vanitatem, præſumptionem; quamvis hi effectus non ſint tam efficaces ad operandum malum, quantum illi ad cauſandum bonum. Nam operationes illæ dœmonis vix pertingunt ad ſphæram primorum motuum, nec ad aliud poſſunt animam commovere, niſi ipſa velit, nec inquietudo quam ſecum ferunt, diu durat, niſi ipſa anima ſua inconſideratione aut puſillanimitate longioris durationis cauſa ſit. Econtra operationes divinæ intimè penetrant animam, & relinquunt conſtantes ſuos effectus, nempe incitamentum, animoſitatem, & alacritatem ad bonum provenientem ex ipſa victoria de ſuperata delectatione ſenſuum. Quod ſi anima tales apparitiones aut ſenſationes, quantùmvis provenientes à Deo, æſtimet, & in earum immiſſionem conſentiat, exinde ſequuntur ſex iſta inconvenientia. Nam primò minuitur per hoc perfectio, qua dirigimur per fidem; huic enim plurimum detrahit, ſi ejusmodi objectorum experientiam nanciſcimur per ſenſus. Elongatur proin anima à vero medio pertingendi ad u-

 nionem

nionem cum Deo, dum ſuos oculos non claudit omnibus ſenſibilibus. Secundò talia ſenſibilia impediunt & retardant animum, quia ſe detinendo circa iſta ſenſibilia non ſe convertit ad intelligibilia. Tertiò, incipit anima acquirere propenſionem ac delectationem ad iſta ſenſibilia, iiſque ſic adhærere, ut ad veram abdicationem, exinanitionem, ac denudationem ſui non pertingat. Quartò amittit etiam ipſos bonos effectus, à Deo in tali apparitione divina cauſatos in animo, quia oculos ſuos immergit in id, quod in his apparitionibus eſt viliſſimum, nempe in ſenſibilia. Quintò perdit dona & beneficia Dei, quia ea cum inordinata adhæſione recipit, & non bene illis utitur; nam ea cum inordinata affectione recipere, nec iis uti utiliter ad finem à Deo intentum, idem eſt, ac velle ea ſolùm recipere ad ſuam oblectationem, ad quem tamen finem Deus ea non concedit. Sextò quando talia admittuntur, aperitur dœmoni janua, ut aliis apparitionibus ſimilibus animam decipiat; neque enim difficile ipſi eſt, fingere ſimiles, ut bonæ appareant; nam, ut loquitur Apoſtolus, novit ſe transformare in angelum lucis. Itaque animæ neceſſarium eſt, ut ejuſmodi apparitiones aut ſenſationes oculis clauſis rejiciat, undecunque demum veniant. Nam, ſi hoc facere negligat, dabit locum apparitionibus ac ſenſationibus provenientibus à dœmone, ſicque illi tribuetur tanta poteſtas, ut frequentius loco apparitionum divinarum admittantur diabolicæ, prout multis incautis ac imperitis animabus contigit, quæ tam pertinaciter ac confidenter his impreſſionibus inhæſerunt, ut non niſi maximo cum labore ad viam puritatis fidei potuerint reduci; immo multæ, in quibus dœmon jam altas radices egerat, nunquam amplius in eam viam reverſæ ſunt. Itaque conſultum eſt, omnes tales viſiones rejicere clauſis oculis, & timere omnes; ex iis, quæ proveniunt à dœmone ſequuntur errores & deceptiones; ex iis verò, quæ ſunt à Deo, impedimentum fidei; econtra ſi rejiciuntur, nihilominus anima colligit ſuos fructus. Et ſicut, ſi anima illas admittit, Deus dein

illas

illas ſubtrahit, eò quod anima nimis illis adhæreat, & amore agglutinetur, & communiter non ſic, prout deberet, in virtute proficiat; immo ipſe etiam dœmon ſuas apparitiones immiſceat & augeat, eò quod anima illi locum dederit, januamque aperuerit. Econtra ſi anima tales viſiones recipit ſola voluntate ſine adhæſione amoris, dœmon ceſſat à ſuis operationibus, eò quod videat, ſe animæ nullum poſſe inferre nocumentum; Deus autem in anima tam alienata à ſenſibilibus ac tam humili auget ſuas gratias. Nam ſic Deus tentat animam, quam ab initio magis viſitat per operationem in ejus ſenſibus, capacitati ſeu diſpoſitioni ejus ſe conformans; ſi enim modo condecente ſe habeat, & primas blanditias modeſte recipiat eo fine, ut exinde vires ac robur obtineat, poſtea admittitur ad cibum ſolidiorem; & ſi dœmonem in primo gradu vicerit, admittatur ad ſecundum. Perſona itaque ſpiritualis rejiciat & abneget omnes impreſſiones & oblectationes corporeas, quæ poſſunt obtingere ſenſibus externis, nec implicetur his objectis, quæ ſenſibus externis offeruntur, quia id maximè impedit obſcuritatem fidei. Patet ergo manifeſtè, quod hæ apparitiones & viſiones non poſſint eſſe media ſe uniendi cum Deo, utpote cum quo nullam habent ſimilitudinem. Dœmoni ſummopere placet, ſi videt, quod anima aliqua velit admittere revelationes, & ſi advertit, quod ad illas affectionem habeat; tunc enim habet occaſionem valde opportunam inſpergendi errores, & imminuendi fidem quantum fieri poteſt. Nam anima, quæ ad illas aſpirat, ſubjecta eſt magnæ ignorantiæ, & quandoque etiam multis tentationibus & caſibus abſurdis. Paucis denique dicam omnia, magna circumſpectione ejusmodi res rejiciendæ ſunt, nec admittendæ, niſi in circumſtantiis ſingulariter raris, & in caſu accuratè diſcuſſo à perſonis doctis, ſpiritualibus, & valde expertis; & etiam tunc admittendæ non ſunt, niſi abſit omne earum deſiderium & voluntas.

Digitized by Google

Regula 2. Apparitiones ac viſiones, ſive ſint in ſenſibus externis, ſive in phantaſia, non ideo à DEO dantur, ut in iis animæ affectio ſiſtat, ſed ut his ſignis aut illiciis à carnalibus abſtracta ad intelligibilia traducatur. In *Aſcenſu Carmeli* L. 2. C. 17. ait: Dicet aliquis, ſi in his apparitionibus reperitur tantum periculi & impedimenti ad unionem cum Deo, cur ergo ipſemet Deus ponit hos laqueos animæ? Ut ad hanc objectionem reſpondeam, tria præſupponenda ſunt principia. Primò, quia juxta D. Paulum ad Rom. 13. *Quæ à DEO ſunt, ordinata ſunt.* Secundò, quia Deus *Diſponit omnia ſuaviter* Sap. 8. Tertiò, quia juxta Theologos *Deus omnia movet juxta modum eorum.* Ex his ſequitur, quod Deus, dum animam ab infimo extremo ſummæ imperfectionis vult traducere ad alterum extremum ſummæ perfectionis, debeat procedere gradatim, adeoque animam perficere in eo genere cognitionis, quod naturaliter eſt primum, nempe in cognitione per ſenſus externos. Hinc fit, quod dum anima paulatim incipit moderatè uti ſenſibus externis, eosque refrœnare atque abſtrahere à ſenſibilibus externis magis periculoſis, eidem ſoleat conferre quasdam apparitiones ac ſenſationes ſuaves in ſenſibus externis quaſi in prœmium victoriæ eo fine, ut magis confirmetur in abſtractione ab aliis objectis ſenſibilibus periculoſis. Quando autem Deus advertit, animam jam ſatis eſſe conſolidatam in ea abſtractione à ſenſibilibus objectis externis, incipit etiam perficere ſenſus internos ſeu phantaſiam per viſiones & allocutiones imaginarias internas, ſemper ſimul inſpirando quasdam motiones ſeu affectiones bonas, quibus animæ affectio ab his objectis ſenſuum aut phantaſiæ ad purè intelligibilia traducatur. Hæc eſt via ordinaria, quamvis Deus non ſinat ſe ſemper alligari huic ordini; ſed quandoque operetur ſecundum aut tertium tranſito primo, prout animæ expedire judicat.

Regu-

Regula 3. Apparitiones aut viſiones, quæ ſenſu externo vel phantaſia comprehendi poſſunt, nunquam deſiderandæ ſunt, nec iis unquam immorandum eſt. L. CC. ſic habet: Apparitiones, vel ſupernaturales viſiones, quæ ſenſu ſine aſſenſu voluntatis comprehendi poſſunt, in nullo unquam ſtatu, ab anima deſiderandæ ſunt, nec iis diu immorandum; hujus doctrinæ duæ ſunt rationes. Prima eſt, quia, etiamſi anima reſpectu talium apparitionum aut viſionum ſe tantùm habeat paſſivè, non eas poſitivè amando vel appetendo, nihilominus operabuntur ſuum principalem effectum in anima, ſi ſunt revera à Deo. Secundò, quia anima rejiciendo tales apparitiones, nec iis aſſentiendo, liberat ſe à duplici malo, videlicet à periculo deceptionis, & à laborioſo ac difficili examine, utrum ſint à bono vel malo ſpiritu; hoc enim examine non ſolùm nullum obtinetur lucrum, ſed inſuper tempus perditur, turbatur quies animi, occaſio multarum imperfectionum incurritur, à profectu impeditur, nec occupatur in iis, quæ ſimplicia, æſtimationeque digna ſunt. Itaque anima ſe non detineat in cortice harum apparitionum; ſed attentionem ſuam affectumque totaliter dirigat ad effectus earum, deſiderando ſolùm virtutes, non verò oblectationem in illis ſplendoribus, odoribus, ſaporibus, voluptatibus. &c. Sic, ſi eas apparitiones voluntariè non intueatur, ſi eas non examinet, nec ut veras judicet, ſi eas non deſideret, ex iis hauriet fructum à Deo intentum, nempe devotionis ſpiritum.

Regula 4. Directores animarum ingentia illis afferunt damna, ſi earum viſionibus facilem adhibent fidem, quantumvis forent divinæ. L. CC. C. 18. ait: Demonſtrabo hìc fuſius, quanta damna Directores animarum ſibiipſis, & animabus ſibi creditis afferant, ſi viſionibus, utut divinis, facilem tribuunt fidem. Ratio fuſius hoc tractandi

eſt,

Digitized by Google

eſt, quia in nonnullis animarum Magiſtris nimis exigua eatenus videtur reperiri prudentia ac diſcretio; quamprimum enim advertunt, ejusmodi viſiones eſſe ſupernaturales ac à Deo, jam in tuto credunt omnia. Inde autem fit, ut tam ſibiipſis quàm animabus creditis conſciſcant multorum errorum & confuſionis propriæ cauſam, & impletur in illis, quod Chriſtus docuit; Si cœcus cœco ducatum præſtet, ambo in foveam cadunt. Tales Directores ſunt in cauſa, quod & perſona habens ejusmodi viſiones eas æſtimet, ſeſeque in iis detineat, & eas magis appetat, ex quo proveniunt varia mala; nam primò, exinde minuitur humilitas, dum anima credit, ſe jam æſtimari à Deo, ac propterea complacet ſibi ipſa & quieſcit in ſeipſa. Accedit dein tentator, & inſpirat varias reflexiones v. g. an & aliæ animæ ſint ſicut ipſa? an idem experiantur quod ipſa? quod repugnat ſanctæ ſimplicitati. Hæc tamen damna ab anima non advertuntur, & ideo non evitantur; aut ſi advertuntur & fugiuntur, horum loco ſuccedunt alia. Quandoque, etiamſi ſpiritualis Director ejusmodi revelationes non æſtimet, ſi tamen negligat, animas creditas expurgare ab earum affectu; ſi libenter de his loquatur, ſi potiſſimam colloquiorum partem de hac materia conſtituat explicando ſigna, quibus revelationes divinæ diſcerni poſſint à naturalibus aut diabolicis, nocebit tamen plurimum, eò quod animam implicet curis & periculis, & laborioſi examinis inquietudini, cui moleſtiæ & periculo anima exponi non debet ſine extrema neceſſitate. Econtra ſi tales res rejiciuntur, & parum æſtimantur, anima libera eſt ab inquieto labore examinis & à periculo. Præterea ſequitur aliud malum. Nam dum tales Directores vident, animæ à Deo concedi ejusmodi revelationes, petunt ab anima, ut à Deo poſtulet ſibi fieri revelationem hujus vel illius rei, pertinentis ad ſe vel ad alios. Simplices animæ obediunt petitioni ſuorum Directorum, exiſtimantes licitum eſſe, ſi talium rerum notitia hoc modo poſtuletur à Deo; ex eo enim, quod videant,

DEUM

Digitized by Google

DEUM ſibi aliqua revelare ob fines Deo notos, exiſtimant, etiam licitè revelationem poſtulari poſſe. Quod ſi ergo Deus ob earum preces aliquid revelet, audaciores factæ ſimilia majori confidentia petunt etiam altera vice. Credunt, hunc modum agendi cum Deo eſſe illi acceptum, cum tamen nunquam illi acceptus ſit, nec ullatenus eum modum ſecum agendi approbet. Animæ verò, cum hunc modum cum Deo agendi approbent, eique magna propenſione afficiantur, ſic illi aſſuefactæ potentias taliter diſponunt naturaliter, ut aliquando credant ſibi revelata quæ revelata non ſunt; deceptione verò deprehenſa turbantur.

Regula 5. Etiamſi revelationes ſint à DEO, poſſumus tamen ex iis decipi, quia aut non rectè intelliguntur, aut quia ſunt tacitè conditionatæ. L. CC. C. 19. ſic habet. Quamvis revelationes à Deo provenientes ſint veræ in ſe, non tamen ſemper tales ſunt juxta noſtrum intellectum. Hujus rei duplex eſt ratio. Prima eſt, quia noſter modus intelligendi eſt imperfectus. Secunda eſt, quia ratione motivi plerumque ſunt conditionatæ, v. g. ſi revelationes ſint comminatoriæ, niſi videlicet reus ſe emendaverit. Quod attinet primam cauſam, obſervandum eſt, Deum in ſuis prophetiis, oraculis & revelationibus ſolere tegere profunda ſua conſilia & judicia, ita ut in noſtra interpretatione facile videantur eſſe alia. Sic Gen. 15. Deus Abrahamo dixit: *Terram hanc tibi dabo.* Poſtmodum autem intellexit, hanc promiſſionem primùm poſt quadringentos annos in poſteris ſuis implendam eſſe. Similis promiſſio facta eſt Jacobo Gen. 46. *Ego deſcendam tecum illuc* (in Ægyptum) *&* *ego inde adducam te revertentem.* Cum tamen in Ægypto obierit, & ſolùm in poſteris ſuis reverſus ſit. Sic & Iſraelitæ aſcendentes in pugnam contra Beniamitas certam ſibi promittebant victoriam, eò quod Deus prima vice ipſemet denominaverit exercitûs Ducem, ſecunda autem vice etiam juſſerit, ut

in pugnam aſcenderent, & tamen utraque vice victi ſunt. Decepti ergò ſunt ex propria interpretione, quia Deus non dixerat, eos victuros, ſed tantum juſſit ut pugnarent, idque ad temeritatem quandam eorum puniendam. Sic & Jeremias C. 4. ait: *Heu heu Domine Deus! Ergone decepiſti populum iſtum & Jeruſalem dicens: Pax erit vobis; & ecce pervenit gladius usque ad animam.* Similis eſt textus de Chriſto Pſal. 71. *Dominabitur à mari usque ad mare.* Quem & ipſi Apoſtoli malè intelligentes ſomniarunt regnum temporale Act. 1. Sic ergo etiam erroneè poſſet intelligi, ſi alicui perſonæ ab inimicis oppreſſæ Deus diceret: *liberaberis*, aut ſi ad Martyrium aſpiranti revelaret: *Fies Martyr.* Ibi enim nihilominus poſſet contingere, eam perſonam occidi ab inimicis, eamque liberari per mortem; hìc verò poſſet verificari revelatio per Martyrium ſpirituale.

Regula 6. Quamvis DEUS aliquando reſpondeat ad interrogata, non tamen eas interrogationes per hoc approbat, ſed plerumque iis iraſcitur. Perſona ſic interrogans nunquam videtur poſſe excuſari à peccato veniali; & ſæpe ſic interrogantes relinquuntur illuſioni dœmonis. L. CC. C. 21. ſic habet: Aliquæ perſonæ ſpirituales, dum nonnunquam de quibusdam rebus petunt à Deo revelationem, eamque obtinent, exinde colligunt, hunc modum interrogandi eſſe acceptum Deo; Id tamen falſiſſimum eſt. Quamvis enim ad ejusmodi interrogationes aliquando reſpondeat, non tamen hic modus ſecum agendi illi acceptus eſt; immo plerumque graviter propterea iraſcitur. Ratio eſt, quia nulli creaturæ convenit, eos limites tranſgredi, quos Deus ad cujuslibet directionem conſtituit. Homini conſtituit terminos per uſum rationis, quos non licet egredi; velle autem aliqua ſcire per media ſupernaturalia,

lia, hoc jam eſt egredi præſcriptos limites. Itaque hic modus interrogandi Deum non eſt bonus, nec ſanctus, nec decens, nec Deus in illo complacet. Dices; ſi Deo hic modus interrogandi non placet, cur ergo aliquando reſpondet? Reſpondeo; interdum reſpondere dœmonem; ſi verò quandoque reſpondet Deus, id facit causâ conſolandi animam, ne puſillanimitate ducta prolabatur in deterius; aut ne credat, ſe illi eſſe iratum, aut id facit ex alio fine, ſemper tamen fundato in infirmitate & imperfectione illius animæ, conjuncta ſimplicitati. Solet Deus eatenus ſe habere, ut bonus Paterfamilias, qui filiolo, cui deſtinat cibos optimos, deſideranti tamen cibum minus convenientem hunc tandem concedit, ne relinquere eum cogatur prorſus famelicum. Sic & Iſraelitis invitus conceſſit regem. 1. Reg. 8. *Audi,* inquit ad Samuelem, *vocem populi; non enim te abjecerunt, ſed me, ne regnem ſuper eos.* Ita Deus quandoque animabus concedit, quod non eſt ipſis optimum, quia nolunt aut neſciunt aliam viam ingredi. Cenſeo tamen, longè pejus eſſe, ſi quis deſideret notitiam quarundam rerum via ſupernaturali, quàm ſi deſideret conſolationes & ſuavitates ſpirituales, quia non video, quomodo anima deſiderando ejusmodi notitiam per revelationem poſſit excuſari ſaltem à peccato veniali, etiamſi optimos fines habeat, & conſtituta ſit in ſublimi gradu perfectionis. Idem dictum volo de Directoribus talium animarum, qui illis imponunt mandatum ſic interrogandi Deum, aut ſaltem conſentiunt. Nulla enim excogitari poteſt neceſſitas, ſic interrogandi Deum, cum habeamus lumen rationis, legem, & doctrinam evangelicam, ex quibus quilibet abundanter poterit dirigi; nec reperitur ulla difficultas, quæ his mediis non poſſit reſolvi cum magna animæ utilitate & complacentia Numinis. Itaque dirigamur ſolùm à ratione & doctrina Evangelica, adeò, ut ſi nobis etiam non deſiderantibus aliqua revelentur, ea accuratius examinentur, quamvis videantur conformia rationi, & doctrinæ Evangelicæ. Dœmon enim multa dicit vera, facile contingentia,

 &

& rationi conformia, ut animam decipiat. Et quamvis ex dictis colligi poſſit, Deum, non obſtante quod ad curioſas quasdam interrogationes vel petitiones reſpondeat, nihilominus propterea iraſci, addam tamen pro confirmatione aliqua exempla ex Scriptura. Sic Iſraelitis petentibus carnes miſit quidem coturnices; additur tamen Numer. 11. *Adhuc eſcæ in ore ipſorum, & ira Dei aſcendit ſuper eos.* Balaam propheta, cum id peteret, juſſus eſt à Deo pergere verſus caſtra Iſrael Num. 22. & tamen angelus in via evaginato gladio apparens ait: *Perverſa eſt via tua, mihique contraria.* His igitur & variis aliis modis Deus conſentit in noſtra deſideria, ſimul tamen iraſcitur. Poſſem afferre plures hujus veritatis probationes; id tamen dixiſſe ſufficiat, periculosiſſimam rem eſſe, ultra quàm dici poſſit, ſic velle agere cum Deo, ita ut quisquis huic modo addictus fuerit, valde ſit erraturus, & plerumque ſummæ perturbationi ſe involuturus. Certus ſum, hæc facile crediturum, qui iſta aliquamdiu attentè conſideraverit; quæ enim loquor, ea loquor ab experientia. Nam præterquam quod difficile ſit, in ipsis viſionibus rever divinis non errare, inſuper accedit, quod plerumque inter viſiones multæ reperiantur, quæ ſunt à dæmone, is namque eodem modo ſolet verſari cum anima, quo ſolet Deus; ideo repræſentat animæ objecta verosimilia, & divinis ſimilia, ut ſic inſtar lupi ovina contecti miſceatur dominico gregi. Hinc difficulter diſcerni poteſt, quæ ſint à Deo, quæ à dæmone; & cum proponat multa vera, rationi conformia, aut futura, quæ dein revera eveniunt, facile anima poterit decipi, credendo, revera Deum eſſe qui loquitur. Tales animæ ignorant, dæmoni facile eſſe, cognoſcere etiam futura in ſuis causis, præſertim naturalia; poterit illa proin etiam prædicere, ſaltem certitudine phyſica, niſi Deus velit mutare curſum cauſarum ſecundarum. v. g. ex diſpoſitione aeris, influxu ſyderum, & naturâ elementorum poteſt cognoſcere in tali loco generandam peſtem. Quid igitur mirum, ſi prædicere poſſit, poſt annum, aut dimidium eventuram peſtem?

Digitized by Google

peſtem? ſimiliter poteſt prædicere motus terræ, cum jam prius obſervaverit, cavitates terræ turgere aëre. Eodem modo prævideri poſſunt aliqui futuri eventus, dependentes à providentia Dei. Agnoſci enim poteſt, talem v. g. perſonam, aut civitatem in eum deveniſſe ſtatum, ut divina juſtitia pro merito pœnam retribuere debeat, aut proemium. Tunc ergo prædici poterit, hoc vel illud eventurum. Sic Achior Holoferni dixit: *Quotiescunque præter Deum ſuum alterum coluerunt, dati ſunt in prædam, & in gladium, & in opprobrium.* Dœmon ergo, qui circa modum agendi divinam magnam habet experientiam, conjecturaliter multa talia poteſt prædicere. Sic & Tobias ex abundantia iniquitatis in Ninivitis concluſit vindictam Numinis vicinam eſſe, ad filium enim ſuum dixit: Quacunque die ſepelieritis matrem veſtram circa me in uno ſepulchro, ex urbe hac exeatis; *video enim, quia iniquitas ejus finem dabit.* Similiter poteſt dœmon cognoſcere, Petrum v. g. naturali modo non poſſe pluribus annis vivere. Innumera ergo talia poterit prædicere, à quibus omnibus anima ſe aliter non expediet, quàm vitando ac fugiendo omnes revelationes & viſiones. Deus proin meritò illis iraſcitur, qui eas admittunt, ſciens temeritatis eſſe, ſe ejusmodi periculis exponere. Ac certò illud eſt magna temeritas, curioſitas, ſurculus ſuperbiæ, radix & fundamentum vani honoris, contemptus rerum divinarum, cauſa multorum malorum; Deus enim ex ea cauſa multos permiſit labi, decipi, obſcurari in intellectu, declinare à bene ordinata vita, & relinqui ſuis phantaſiis ac vanitatibus, juxta illud Iſaiæ C. 19. *Dominus miſcuit in medio ejus ſpiritum vertiginis.* Loquitur hoc loco Propheta de iis, qui cupiebant ſcire ſupernaturalia. Miſcuit autem Deus ſpiritum vertiginis non poſitivè inducendo in errorem, ſed ſubtrahendo ſuum lumen. Sic & Deus permittit dœmoni, ut multos decipiat, quia id merentur eorum temeritas & peccata. Idipſum proin dœmon efficit, & creditur ipſi, nec curantur admonitiones eorum, qui ſubeſſe monent ſpiritum

malum, quia juſto Dei judicio intellectus jam in vertiginem actus eſt, prout contigit prophetis falsis Regis Achab. 3. Reg. 22. ubi Deus dœmoni dixit: *Decipies. Egredere & fac ita.* Et Ezech. 14. dicitur: *Propheta cum erraverit, ego Dominus decepi Prophetam illum.* Ex his omnibus colligitur, Deo non placere, ſi deſiderentur revelationes, cum permittat, propterea hominem tot modis decipi. Si quis autem objiciat, quod in Veteri Lege Deus ipſemet juſſerit ſe interrogari? reſpondeo, id propterea factum, quia eo tempore fides noſtra non erat tam bene explicata, ut proin homines neceſſe habuerint, oraculis divinis dirigi. Hinc & quando erravit Petrus. 2. Gal. non inſtruxit eum per ſemetipſum, quia in ea materia inſtrui poterat via communi ac ordinaria. Hinc Deus in multis perſonis in extremo judicio puniet multos defectus & peccata, cum quibus tamen in hac magna familiaritate uſus eſt, & quibus multum luminis & virtutis contulit; & hoc ideo, quia confiſæ in familiaritate cum Deo oblitæ ſunt aliarum obligationum, alioquin bene perſpectarum.

Regula 7. Etiam perſonæ habentes magnam cum DEO familiaritatem habent ſuos defectus, ob quos permittente DEO decipiuntur. Patet ex dictis Regula 6.

Regula 8. Viſio intellectualis vocatur, quæ fit ab anima ſine cooperatione ſenſuum internorum aut externorum. Apparitionem autem intellectualem voco, qua videntur ea intellectualiter, quæ ab oculis videri poſſunt modo corporali. Perceptionem rerum novarum antea ignotarum voco revelationem intellectualem. Perceptionem

nem per modum audientis voco allocutionem intellectualem. Perceptionem ad modum reliquorum ſenſuum v. g. perceptionem intellectualis odoris, ſaporis, voluptatis, voco *ſenſationem intellectualem*. Ibid. C. 23.

Regula 9. Etiam ab his quatuor viſionum intellectualium generibus animus depurandus eſt, ut nullam harum deſideret, nec ulli earum affectu inhæreat, ut ſic ad eſſentialem unionem cum DEO ſinat ſe dirigi ſola fide, obſcura quidem ſed tuta. Ratio eſt, quia licet in his viſionibus intellectualibus ſit minus periculi, quàm in viſionibus corporalibus aut phantaſticis, utpote ad quas minus pertingit operatio dœmonis, poſſet tamen animus iis implicari affectu, aut etiam circa eas ex ſua incuria vehementer decipi. Ibid. C. 23.

Regula 10. Apparitiones Intellectuales poſſunt cauſari etiam à dœmone. Quamvis enim in apparitione intellectuali objecta viſibilia videantur in longe majori & clariore lumine quàm ſit in apparitione corporali per ſenſus externos aut phantaſtica per imaginationem, poteſt tamen Dœmon cauſare illud ipſum majus & clarius lumen. Ibid. C. 24. Sic habet: Has apparitiones intellectuales poteſt dœmon efficere in anima mediante lumine naturali & phantaſia (quæ utique & ipſa agunt in intellectum) ſic enim per inſpirationem ſpiritualem poterit objectum reddere clarius. Hinc, quando dœmon Chriſto oſtendit omnia regna mundi, aliqui Doctores docent, id contigiſſe per immiſſionem intellectualem.

Regula

Regula 11. Apparitiones intellectuales, quæ fiunt à DEO aut dœmone, differunt per effectus; ex quibus proin dignoſci poſſunt. Illæ quæ ſunt à DEO, relinquunt in anima quietem, illuſtrationem internam, jucunditatem ſimilem gloriæ, dulcedinem, puritatem, amorem, humilitatem, inclinationem & elevationem animi ad DEUM, quæ omnia in gradu inæquali conferuntur, ut DEO placuerit. Econtra eæ, quæ ſunt à dœmone, relinquunt in anima & cauſant ariditatem ſpiritus in familiaritate cum DEO, inclinationem ad ſui exaltationem & æſtimationem, propenſionem ad has apparitiones admittendas & æſtimandas; nullatenus verò cauſant humilitatem & amorem DEI. Præterea ſpecies harum apparitionum non manent tanta claritate, quanta remanent illæ à DEO; nec durant tamdiu in memoria, ſed brevi evaneſcunt, niſi ab anima æſtimentur; tunc enim illa æſtimatio facit, ut ejus naturaliter recordetur; ſed & ipſa illa recordatio eſt arida ſine productione amoris aut humilitatis. Ibid. C. 24.

Regula 12. Anima has apparitiones intellectuales nec in memoria ſua aſſervet, nec per eas ſemetipſam in ſuis actionibus aut conſiliis dirigat. Ibid. C. 24. Ratio eſt, quia alioquin his objectis, quæ non ſunt

ſunt DEus, facile implicaretur affectu; aut poſito etiam, quod eorum recordatione incitaretur ad amorem Dei, melius tamen hos bonos effectus conſequetur, ſi ſemetipſam dirigat ſola fide, & ſe exſpoliet ab omnium creaturarum affectu, etiam in hoc ipſo apparitionum genere. Ibid. C. 24.

Regula 13. Revelationes intellectuales, quæ verſantur circa attributa divina v. g. Sapientiam, miſericordiam, omnipotentiam. &c. Quando ſimul in anima cauſant prægustum quendam futuræ beatitudinis ex viſione DEI, inexplicabilem non expertis, non poſſunt eſſe à dœmone. Ratio eſt, quia, cum illa voluptas ac ſuavitas penetrans totam animam, ſit quædam prælibatio ſaltem imperfecta & remota futuræ beatitudinis eſſentialis, nequit eam imitari dœmon. Ibid. C. 26.

Regula 14. Poteſt tamen dœmon per viſionem intellectualem repræſentare animæ quædam ſublimia, ac quaſi immenſa & incomprehenſibilia, ut animam perſuadeat, ea eſſe ipſum DEUM. Non tamen ejusmodi viſiones in momento animam inflammant ad amorem DEI purum, neque tollunt ab anima imperfectiones alioquin induſtria plurium annorum vix eradicabiles, neque replent animam virtutibus, neque eam penetrant immenſa voluptate, animante ad perferendas omnes difficultates, neque corroborant deſideriis patiendi ardua pro honore DEI. Ibidem C. 26.

Regula 15. Donum habituale, quo cognoſcuntur abſentia, aut occulta cordium, conſiſtit in quodam infuſo lumine, tantùm relativo ad determinatum genus objectorum, aut circumſtantias. Et in hoc revelationis modo facile poteſt intervenire operatio dœmonis. L. CC. ſic habet: Alius modus eſt in revelationibus aliarum veritatum, dum v. g. confertur diſcretio ſpirituum, ſcientia rerum naturalium, ut Salomoni, donum linguarum, interpretatio ſermonum, quæ pertinent ad dona gratis data. Præter hæc dona gratis data ſolent perſonæ in perfectione eximiè progredientes ſæpe obtinere illuſtrationes de rebus abſentibus aut futuris; cognitionem autem talium rerum obtinent mediante aliquo lumine, quod in ſuo animo jam depurato recipiunt. Non tamen cognoſcunt mediante hoc lumine omnia, quæ ipſi volunt, ſed quæ vult DEUS. Ubi tamen obſervandum, quod animæ habentes mentem magis depuratam facilius agnoſcant occulta cordium, & hominum inclinationes; & quidem mediantibus indiciis externis, v. g. verbis, motibus, aut aliis ſignis. Nam ſicut dœmon ea cognoſcit, quia ſpiritus eſt, ita ea cognoſcit homo ſpiritualis, juxta illud Apoſtoli: *Spiritualis autem judicat omnia.* Et illud: *Spiritus ſcrutatur omnia, etiam profunda DEI.* Hinc licet viri ſpirituales non poſſint naturaliter cognoſcere cogitationes & interna hominum, poſſunt tamen ea cognoſcere mediante illo lumine per indicia præfata. Et quamvis in hac cognitione poſſint errare, plerumque tamen attingunt verum. Neutri tamen amborum fidendum eſt; quia dœmon ſe vehementer & magna aſtutia ſe immiſcet, ut proximè dicetur. Ideo ſemper ejusmodi cognitionibus valedicendum eſt.

Regu-

Regula 16. Ideo ſemper valedicendum eſt revelationibus de occultis cordium. Patet ex Regula præcedente.

Regula 17. Dœmon non ſolùm revelat occulta peccata hominum, ſed etiam movet animam ad precandum pro tali peccatore; idque frequenter mendaciter. L. CC. ſic habet: Quod attinet deceptiones dœmonis in hoc genere revelationum, eæ maximæ ſunt, & occultiſſimæ. Poteſt tales cognitiones animæ imprimere etiam mediantibus ſenſibus, puta internis, & quidem tanta obfirmatione, & impreſſione, ut videatur, rem aliter ſe habere non poſſe. Quod ſi animam repererit non humilem & timidam, ſine dubio efficiet, ut credat mille mendacia. Inſpirationes enim dœmonis quandoque in anima magnam obtinent vim, præſertim ſi particeps efficitur infirmitatis ſenſuum; tunc enim cognitio tanta firmitate, & judicii pertinacia inhæret, ut oratione efficaci & conatu forti ad illa ſe liberandum opus ſit. Dœmon interdum ſolet aliorum peccata, & malas conſcientias ſtatusque animarum mendaciter proponere cum ingenti lumine, eo fine, ut tales homines calumnioſè denigret, & ut in anima illius, cui ſit revelatio, aliorumque excitet deſiderium ſciendi talia occulta, aut ea occaſione per ſuſpiciones ac judicia falſa committendi varia peccata. Simul autem in talibus animabus excitat fervorem commendandi tales homines DEO. Quamvis enim DEus interdum ſuis ſanctis revelet neceſſitates proximorum, ut ſibi in oratione commendentur, eosque juvent, prout etiam Jeremiæ revelavit infirmitatem prophetæ Baruch ut illi in doctrina aſſiſteret Jerem. 45. idem tamen ſæpius etiam facit dœmon, & quidem mendaciter, ut alii habeantur pro peccatoribus, aut ut exinde naſcatur aliqua tribulatio aut perturbatio, cujus rei perpetuam habe-

Digitized by Google

mus experientiam. Aliis vicibus inſpirat alias cognitiones forti impreſſione, & efficit, ut iis credatur.

Regula 18. Tales viſiones intellectuales, ſive ſint à DEO, ſive non, ſine ulla adhæſione affectûs aut intellectûs prætereundæ ſunt. L. CC. ſic habet: Omnes ejusmodi cognitiones, ſive ſint à Deo ſive non, valde parum poſſunt animæ conferre ad hoc, ut ambulet ad Deum, ſi in illis confidat, aut eas abjicere negligat. Nam in tali caſu non ſolùm nullum referet lucrum, ſed etiam patietur damnum, & labetur in multos graves errores. Omnia enim hucusque enumerata incommoda & pericula reperiuntur etiam in his cognitionibus, & quidem longè magis in iſtis. Hinc magna cautela & diligentia adhibenda eſt, ut rejiciantur, & ut pergatur ad Deum ſola directione ac ductu fidei. Confeſſarii provideant, ut animæ in iis ſe non detineant, ſed celeriter prætereant, ne inhæreant memoriæ, utpote parum immo nullatenus utiles ad unionem cum Deo.

Regula 19. Non ſolùm abſolutè rejiciendæ ſunt omnes viſiones & revelationes intellectuales, quæ continent apparenter contraria verbo DEI, ſed etiam, quæ in materia fidei continent aliquid novi. Ratio eſt, quia nec eſt neceſſitas, nec utilitas in ejusmodi revelationibus, & quia credens ſe exponit manifeſto periculo, inter tot revelationes recipiendi etiam falſas, cum conſtet dœmonem ſe in his frequenter ac ſubtiliſſimè immiſcere, ita ut plerumque nullum detur certum criterium, diſcernendi veras à falſis, præſertim alienas. Propriæ enim quandoque per indicia & effectus, experimentalemque notitiam diſcerni poſſunt. Hunc eſſe diſcurſum Joannis à S. Cruce ex ſequentibus patebit: L. CC. C. 27.

Digitized by Google

C. 27. ſic habet: Secundum genus revelationum verſatur circa myſteria & alia occulta. Myſteria autem ſunt duplicis generis; alia enim tangunt DEum, ut eſt in ſe, & SS. Trinitatem: reliqua verò concernunt alios articulos fidei revelatos; huc referri poſſunt caſus particulares regnorum, urbium, familiarum, ac perſonarum, qui aliquando revelantur à Deo. Hoc ſecundum genus revelationum etiam noſtris temporibus confert Deus, quibus vult. Aliquibus enim revelat reſiduos dies vitæ, adverſitates ingruentes, aut fata aliorum hominum, & regnorum imminentia. Similiter ſingulari quodam lumine ac attentione ſolet nonnullis explicatius pandere myſteria fidei. In his nunc memoratis revelationibus dœmon ſe poteſt plurimùm immiſcere & magnam in iis habere partem. Nam cum tales revelationes communiter fiant per verba, imagines, & figuras ſymbolicas, dœmon facile poterit ſimilia effingere. Hinc ſi aliquo præfatorum duorum modo aliquid nobis revelaretur novi in materia fidei & diverſum, non debemus accommodare fidem. Ita enim docet Apoſtolus. Gal. 1. Sed licet nos aut angelus de cœlo Evangelizet vobis, præterquam Evangelizavimus vobis, anathema ſit. Itaque nihil prorſus admittatur, quod revelatur cuipiam, ad fidem pertinens, præter illud, quod ipſi utile eſt, partim ex motivo cautelæ neceſſariæ, ne cum ejusmodi revelationibus ſubintrent etiam doctrinæ Verbo Dei contrariæ, partim ne diſcedatur à via tuta obſcuræ fidei. Anima non facile credat, aut intellectum inclinet ejusmodi rebus noviter revelatis, ſi nolit decipi. Dœmon enim, ut decipiat, & inſpergat mendacia, ab initio allicit proponendo veritatem, aut res veroſimiles, ut animam reddat ſecuram & perſuaſam; ſicut qui conſuit corium, ab initio illud perforat ſubula, dein transmittit filum, quod tranſire non poſſet niſi prius aperta via. Itaque cautiſſimè in hac re verſandum eſt. Nam quamvis forte in particulari cauſa non foret deceptionis periculum, animæ tamen convenit, non quærere talium rerum claram ſcientiam, ut retineat me-

ritum fidei. Adeo neceſſarium & magni momenti eſt, tenere oculos clauſos ad ejusmodi novas revelationes, ut & S. Petrus voluerit potius attendi Prophetias veteres, quàm ſuas proprias viſiones, quamvis veras. *Habemus firmiorem propheticum ſermonem, cui benefacitis attendentes.* 2. Pet. 1. Quod ſi ex præfatis motivis non decet curiosè aperire oculos ad ejusmodi novas revelationes, quæ concernunt fidem, quanto magis neceſſarium erit, nullam adhibere fidem novis aliis revelationibus, ſpectantibus ad alias diverſas materias, in quibus magis ſe immiſcet dœmon, & in quibus tantam adhibet decipiendi induſtriam, ut exiſtimem impoſſibile eſſe, cum in multis rebus non decipi, qui non adhibet diligentiam ad eas abjiciendas & fugandas; adeo magna eſt ſpecies veritatis & certitudinis, quam fingit dœmon. Tantas enim conglomerat authoritates, veroſimilitudines, paritates, & congruentias, & imprimit eas tam fortiter ſenſui & imaginationi, ut videatur, rem indubitatò ſic eventuram. Quod ſi anima non ſit humilis, difficulter illi eximi poterit opinio tam profundè impreſſa. Igitur anima pura, ſimplex, cauta & humilis ejusmodi revelationibus aliisque apparitionibus reſiſtat, easque rejiciat, cum nulla ſit neceſſitas, eas deſiderandi, bene tamen eas recuſandi.

Regula 20. **Quando verba in aliqua exiſtimata revelatione ſe habent per modum ordinati diſcursûs, poſt applicationem animi per contemplationem, poſſunt ſimul ad eundum diſcurſum concurrere DEUS, naturalis ratio, & dœmon. DEUS per infuſionem ſupernaturalis luminis** ad bene intelligendam materiam pro materia contemplationis aſſumptam, adeoque per modum cauſæ generalis; naturalis ratio per applicationem principiorum generalium in illo lumine cognitorum ad illationes particulares, & per proſecutionem diſcursûs;

dœmon

dæmon verò commovendo ſpecies & objecta ad falſam ratiocinationem idonea. Interim anima ſemper poteſt intendere illis verbis ac diſcurſibus tanquam ab alio dictis, ſicque incidere in errores plurimos, maximè cum anima ſemel contemplationi intenta connaturali ſerie affectuum poſſit inflammari ad amorem Dei, & alios conſuetos virtutum actus; adeoque ne quidem ex effectibus bonis diſcerni poſſit, an allocutio exiſtimata ſit totaliter à DEO, an verò etiam à ratione naturali, & dæmone.

Regula 21. Itaque circa tales allocutiones internas ad animam ordinatas per modum diſcurſûs nec ex natura bonorum effectuum ſeu motionum cognoſci poteſt, an ſint à DEO.

Regula 22. Itaque revelationes factæ per modum allocutionis divinæ internæ ad animam, ſi ſunt ordinatæ per modum diſcursûs, & poſt applicationem animi ad contemplationem, univerſim rejiciendæ ſunt tanquam dubiæ, & ex ſuo genere innumeris deceptionibus obnoxiæ. Hæ tres Regulæ continentur in ſequenti doctrina S. Joannis à Cruce. L. CC. C. 28. & C. 29. ſic habet: Tertius modus, quo formantur ſupernaturaliter imagines in imaginativa nullo mediante ſenſu corporeo, fit per allocutiones internas ad animam. Ipſa autem hæc allocutio fit triplici modo; primò per verba ordinata ac connexa in forma diſcursûs, quo modo anima ſecum loquitur in collectione interna. Secundò per verba formalia quibus alia perſona nos ſolet alloqui etiam dum non ſumus collecti nec diſcurrimus ipſi nobiſcum. Tertio per verba practica, quæ id ipſum in anima

anima operantur, quod ſignificant. Verba ordinata in forma diſcurſus ſolent ſe invicem conſequi, quando anima cogitationibus intra ſeipſam collecta, & in contemplatione profundè abſorpta eſt. Tunc de ea materia, quam aſſumpſit conſiderandam, ſecum loquitur, diſcurrit ab uno ad alterum, & facillimo labore invenit rationes. Ipſa facilitas occurentium rationum contribuit, ut videatur eas rationes ab alio accipere, non invenire propria induſtria; ſeque aſcultanti ſimiliorem eſſe, quàm loquenti. Et id quidem non ſine ratione; tum quia revera ſic ſecum per modum duarum colloquentium diſcurrit, ac etiam, quia ſæpe Spiritus Sanctus adjuvat proferre ejusmodi diſcurſus, verba, & ratiocinationes. Nam cum anima in contemplatione unita ſit Spiritui Sancto, eatque per diſcurſum ab una veritate ad aliam, fit, ut & Spiritus Sanctus ad novas veritates januam aperiat, lumenque conferat. Dum ergo intellectus ſic à divino lumine colluſtratus, & in principiis inſtructus eas veritates particulares ſcrutatur, format proprio marte ea verba, diſcurſus & concluſiones circa illas veritates de quibus jam prius generali cognitione fuerat inſtructus aliunde. Itaque hìc verum eſt, vocem eſſe Jacob, manus autem Eſau. Ille autem, cui iſta contingunt, nunquam credet, reverà ſic eſſe, quæ dicimus; ſed exiſtimabit, verba & diſcurſus revera eſſe alicujus perſonæ tertiæ, ignorans, quàm facile intellectus formet diſcurſus circa veritates ab alio propoſitas. Verum quidem eſt, in ejusmodi illuſtrationibus intellectus ſecundum ſe nullam eſſe deceptionem; poteſt tamen eſſe, immo etiam plerumque eſt deceptio in verbis & diſcurſibus, ab intellectu circa illas veritates formatis. Nam cum lumen illud divinitus collatum quandoque ſit valde ſubtile, ita ut ab intellectu non bene agnoſcatur; intellectus verò ex ſemetipſo deſuper formet ſuas ratiocinationes, contingit eas ſæpe effingi falſas, interdum verò tantùm veroſimiles, aut aliunde imperfectas. Nam, licet ab initio arripuerit filum veritatis, ſtatim tamen aſſociat ſuam induſtriæ

peri-

peritiam, ſeu potius imperitiam, & ſic contingit fingi diverſa juxta variam intellectûs capacitatem, quæ tanquam prolata ab alio attenduntur. Cognovi aliquam perſonam, quæ habuit ejusmodi ordinatos diſcurſus, in quibus continebantur aliquæ propoſitiones ſatis veræ & operativæ bonorum effectuum in anima; aliæ autem continebant graves errores. Vehementer admiror, quod his noſtris temporibus quælibet anima, quæ parumper progreſſa ultra limen contemplationis, quamprimum in aliqua collectione animi in ſe ſentit talem quampiam allocutionem, mox eam nomine divinarum operationum honeſtet, dicatque intrepidè ſine dubitatione ulla: Deus hoc mihi dedit; Deus mihi reſpondit, cum tamen revera non ita ſit; ut enim ſupradictum eſt; ipſæ animæ in ſeipſis ea verba efformant, & ipſæ in ſemetipſis operantur. Deſiderium ac propenſio ad tales allocutiones plurimùm contribuit, ut reſpondeant ſibiipſis, dum credunt, reſpondere Deum. Exinde conſequitur, tales animas incidere in multa inconvenientia, niſi ſe contineant, & à ſuis Directoribus adſtringantur ad omnimodam abjectionem talium allocutionum. Nam exinde nil aliud contrahunt, quàm loquacitatem & impuritatem animæ; non verò humilitatem, & mortificationem Spiritûs. Exiſtimant, magnam rem hoc eſſe, quod ſecum loquatur Deus, cum id totum nihil ſit, immo paulo minus nihilo. Nam quid eſſe poteſt, quod non producit humilitatem, amorem, ſanctam ſimplicitatem, mortificationem, ſilentium? dico proin, talia plurimùm impedire, ne anima pertingat ad unionem cum Deo, ad quem proficiſcendum eſt ductu obſcuræ fidei & amoris ſine multis ratiocinationibus. Quod ſi quis objiciat; non poſſe ejusmodi veritates eſſe rem malam, cum ad illas à Spiritu Sancto divino lumine illuſtretur; non igitur videri, eas eſſe abjiciendas? Reſpondeo, quod Spiritus Sanctus animæ recollectæ juxta modum ſuæ recollectionis etiam conferat illuſtrationem; cum ergo major recollectio animæ dari non poſſit, niſi per viam fidei, etiam Spiritus Sanctus non ſolet alia via majo-

rem illuſtrationem conferre, quàm iſtâ. Verum quidem eſt, quod in illuſtratione ad veritates illas generales Deus animæ aliquod lumen conferat, & quod aliquando in hoc lumine unam, duas, tresve veritates aperiat, ſed lumen illud in via fidei eſt perfectius, generalius, & ſimplicius. Hinc ſi anima in illis veritatibus ſe affectu detinet eoipsò jam ſibi nocet, dum æſtimando id quod eſt vilius, ſinit ſe impediri à perfectioribus. Cavendum, ne in ejusmodi allocutionibus internis ordinatis per modum diſcursûs ex inſtituto intendatur intellectus; nam ſi in ejusmodi operationibus divinis ſupernaturalibus, in quibus anima ſe tantùm habet paſſivè, facultas activa intellectûs aut alterius potentiæ animæ ſe adjungat, contingit, quod anima eas operationes divinas ſuo modo accommodet, minuat, ſicque immutet. Sic autem anima ſe exponet manifeſto periculo erroris, & pro judicii proprii beneplacito componet varias ratiocinationes, quod totum jam non eſt amplius aliquid ſupernaturale, aut aliquid rei ſupernaturali ſimile, ſed valde naturale & vile. Reperiuntur tamen tam vivacia & acuta ingenia, quæ, dum vacant recollectioni contemplationis, naturaliter, modoque facillimo excurrunt in varios diſcurſus, quos proponunt verbis internis, & raticinationibus acutiſſimis, ita ut credant, ea ſibi dici à Deo, cum tamen ea omnia non excedant facultatem naturalem intellectûs ope luminis naturalis adjuti, quando relinquitur ſibi liber ab operationibus ſenſuum, nec ullo ad hoc indigeat lumine ſupernaturali. Multi in hoc decipiuntur, exiſtimantes id eſſe operationem divinam magnam. Hinc omnia, quæ intus in animo contingunt, ſcribunt, aut curant ab aliis ſcribi, cùm omnia tamen non ad virtutem ſolidam ſerviant, ſed præcisè ſint fomentum vanitatis. Nec ſolùm ratio in hoc genere allocutionum internarum ſe immiſcet, ſed etiam dœmon, præſertim apud eas perſonas, quæ gerunt affectum aut propenſionem ad illas allocutiones; nam eo tempore, quo tales perſonæ ſe intus in animo ſolent recolligere, dœmon illis ingerit ingentem materiam diſcur-

Digitized by Google

diſcurſuum; dein ſuis inſpirationibus ei intellectui ſuggerit argumentationes & verba, quo efficit, ut abducantur ad propoſitiones veroſimiles, & aſtutiſſimè decipiantur. Ex dictis patet, allocutiones internas ordinatas per modum diſcursûs poſſe conſurgere ex triplici cauſa; videlicet à Spiritu Sancto, qui movet intellectum & illuſtrat; ex naturali lumine rationis, & ex inſpirationibus dæmonis. Difficile quidem eſt aſſignare ſigna infallibilia, ex quibus certò cognoſci poſſit, ex quanam harum trium cauſarum illæ allocutiones proveniant, poſſunt tamen dari iſta generalia. Si anima in illis allocutionibus internis ſimul amat, amorque conjungitur cum humilitate & reverentia erga Deum, ſignum eſt, præſentem eſſe Spiritum Sanctum. Quando verò ſolùm proveniunt ex naturali habilitate ac operatione intellectus, poteſt quidem voluntas ex naturali cognitione talium veritatum amare, ſed poſt contemplationem voluntas manet arida, utut non inclinata ad malum, niſi dæmon animam de novo tentet; quæ tamen ariditas non relinquitur, ſi allocutiones ordinatæ ſunt à Deo, ſaltem regulariter; quia nonnunquam etiam Deus immittit ariditatem. Hinc anima non ſemper ſentiet bonos motus ad virtutem, etiamſi allocutiones fuerint à Deo. Ex hac proin cauſa difficulter dignoſci poteſt, an allocutiones illæ ſint à Deo, vel à natura. Similiter quoque difficulter agnoſci poſſunt, quæ proveniunt à dæmone. Nam quamvis iſtæ regulariter voluntatem relinquant aridam ad amorem Dei, econtra mentem faciant propenſam ad vanitatem, propriam æſtimationem ac complacentiam, nonnunquam tamen excitat in anima falſam humilitatem cum fervida excitatione voluntatis, quæ tamen in amore proprio fundata eſt; ita ut quandoque id intelligi ac diſcerni non poſſit, niſi à perſona valde ſpirituali. Id autem dæmon operatur, ut fraudem melius tegat; hinc & ſolet in ejusmodi affectionibus internis ex oculis elicere Lachrimas, ut exinde implantet animæ propenſiones, quas intendit. Semper tamen facit, ut eas allocutiones ac impreſſiones internas magni

æſtimet, ut illis ſe dedat, utque ſe in ejusmodi rebus occupet, quæ non ſunt exercitia virtutis, ſed potius occaſio perpendi ea bona exigua, quæ habet. Itaque in omnibus his allocutionibus ea cautela adhibenda eſt, ne decipiamur, ut videlicet eas non magni faciamus, ſed contenti ſimus iis veritatibus, quas proponit Eccleſia. Alioquin ſi his curioſitatibus nos intromittamus, periculum, niſi per miraculum, deeſſe non poterit.

Regula 23. Alterum genus allocutionis internæ conſiſtens in verbis diſtinctis ac formalibus, quod imprimitur, ſive animus ſit collectus ſive non, neceſſariò eſt à DEO, aut dæmone. Difficulter tamen agnoſci poteſt, à quonam ſit, quia regulariter non relinquunt in anima effectum, ſed tantùm dantur ad inſinuandam aliquam veritatem. Illud tamen ſolet contingere, ut ſi DEUS incitet ad opera grandia ac ſublimia, ſimul conferat horrorem, & in abjectis alacritatem; econtra ſi dæmon incitet ad opera ſublimia, ingerat promptitudinem ex motivo ſuperbiæ, ad abjecta autem horrorem.

Regula 24. Impoſſibile eſt, animam, quæ has allocutiones internas non horret, non frequenter decipi.

Regula 25. In hoc allocutionum internarum genere, quando ſunt à dæmone, imperfectiores animæ

Digitized by Google

animæ quandoque ſentiunt fortiores motus ad bonum, quàm perfectæ. Hæ tres regulæ continentur L. CC. C. 30. ubi ait: Alterum genus allocutionum internarum fit verbis diſtinctis ac formalibus, quod aliquando ſupernaturaliter cauſatur ſine cooperatione ſenſuum, inprimiturque ſive animus ſit collectus, ſive non ſit collectus. Dico id fieri verbis formalibus, quia anima advertit, ea ſibi dici ab alia perſona, ſine ulla ſua cooperatione. Diſtinguitur hoc ſecundum genus allocutionis internæ à primo, quia iſta confertur, ſive anima ſit collecta ſive non; econtra prior ſemper verſatur circa eam materiam, quam anima pro objecto ſuæ contemplationis habuit; & ex hoc etiam differt, quia in iſta non cooperatur anima, ut in priore. Hæc autem verba non ſemper ſunt clara, ſed habent ſe aliquando inſtar ſimplicis cogitationis inſpiratæ; aliquando ſunt pauca; aliquando verò multa, & quidem coordinata. Effectus talium verborum formalium in anima non eſt valde magnus, quia diriguntur plerumque ad inſtructionem in aliqua re, quæ obtinetur ſine ulteriori effectu. Verum quidem eſt, quod Deus ad ea exequenda, quæ præcipit, communiter ſoleat conferre alacritatem; non tamen id fit univerſaliter, quia, dum præcipit magna & glorioſa ſolet poſitivè pro exercitio humilitatis immittere horrorem & difficultatem; & econtra, quando præcipit abjecta ac vilia, ſolet inſpirare alacritatem. Contrario modo operatur dœmon. Quando excitat ad magna & glorioſa, inſpirat alacritatem; & dum animat ad abjecta, immittit horrorem. Hæc verba, quæ anima ſentit ac ſcit non proferri à ſe ſed ab alio, non ſunt ullatenus ab illa æſtimanda; alioquin facile poterit decipi à dœmone, interdum enim difficulter diſcerni poterit, utrum ſint à Deo, vel à Dœmone. Nam cum hæc verba non relinquant effectum, ut dictum eſt, non poterunt diſcerni ex effectibus; immo hæ allocutiones, quando proveniunt à dœmone, habent interdum ſenſibiliorem effectum in imperfectis, quàm provenientes à Deo in perſonis virtuoſis. Illud

lud præterea, quod ejusmodi allocutiones præcipiunt, non eſt ſtatim mandandum executioni, ſive proveniant à DEO, ſive à dœmone. Sed conſulendus eſt prius aliquis expertus Director ſpiritualis; qui, ſi conſulatur, ſuadeat, ut anima ſe ad eas allocutiones tantùm habeat paſſivè, & recuſanter. Si verò non poſſit haberi talis expertus Director, tutius eligendum eſt, videlicet eæ allocutiones ſervandæ ſecretò, nec æſtimandæ ſunt. Alioquin talis anima facile poſſet incidere in Directorem, qui plus damni afferret, quam lucri, cum non omnes habeant gratiam dirigendi animas. Nunquam proprio arbitratu ſine maturo conſilio tales allocutiones exequendæ ſunt, quia in hac materia reperiuntur fraudes ſubtiles & inſolitæ, ita ut credam, eam animam, quæ tales allocutiones non proſequitur poſitivo odio, evitare non poſſe, quin in multis earum allocutionum decipiatur.

Regula 26. Allocutiones practicæ, quæ in anima operantur illud bonum, quod ſignificant, & de cætero nil aliud ſignificant, niſi quod operantur, carent periculo. v. g. Si allocutio dicat, ama DEUM, vel; ne timeas; & ſubitò in animo naſcatur amor, aut quies. Ratio eſt, quia bonum animæ certum non poteſt eſſe ab alio, niſi à DEO, dum anima ſe ad illud habet paſſivè. L. CC. C. 31.

Regula 27. Viſiones illuſoriæ ſunt frequentes in proficientibus, ſi non horrent illas viſiones, & eas omni conatu fugiunt. L. 2. Noctis obſcuræ C. 2. ait: Dum tales proficientes in ſemetipſis experiuntur multas viſiones partim imaginarias, partim intellectuales, aliasque ſua-

ſuaves ſenſationes, facile decipiuntur, niſi ab iis ſe liberare ſatagant. In his enim frequentiſſimè decipit dœmon, aut phantaſia. Dœmon quidem plurimas falſas ejusmodi viſiones repræſentat, ut animam, dum illis credit, moveat ad ſuperbiam, & præſumptionem. Inde tales animæ fiunt audaces ac præſumptuoſæ ad DEUM, amittuntque timorem ſanctum, qui eſt clavis virtutum. In nonnullis earum accreſcunt & inveteraſcunt tot falſitates & deceptiones, ut eorum reverſio ad viam puram reddatur valde dubia.

Regula 28. Eodem tempore, quo immittuntur viſiones à bono angelo, etiam decipit nonnunquam ſuis illuſionibus dœmon.

Regula 29. Idque verum eſt non tantùm circa viſiones imaginarias, ſed etiam intellectuales ac purè ſpirituales. Has Regulas tradit Joannes à S. Cruce L. 2. Noctis obſcuræ, C. 23. ubi ſic habet: Solet interdum dœmon conturbare animam, quando DEUS animæ confert gratias. DEUS hoc ita permittit juxta ordinem ſuæ juſtitiæ, ne videlicet dœmon poſſit conqueri, ſibi non dari facultatem animas decipiendi easque ſuperandi, ſicut conqueſtus eſt contra Job. Hinc convenit, ut à DEO permittatur quædam æqualitas inter bonum angelum & malum eo fine, ut victoria magis æſtimetur, & anima magis prœmietur. Ubi advertendum, quod DEUS interdum dœmoni permittat animam tentare in eodem genere donorum, in quo dirigitur à DEO. v. g. Quando habet apparitiones operà angeli boni, permittit dœmoni, ut repræſentet ſimiles apparitiones falſas, ita ut anima incauta facile poſſit decipi, prout multis contigit. Hujus exemplum habemus in miraculis Moyſis & illuſionibus

bus Magorum Ægypti. Nec ſolùm imitatur dœmon angelos bonos quoad apparitiones corporales, ſed etiam quoad operationes ſpirituales, quando illi conceditur, eas agnoſcere. Omnia ergo imitatur, & quantum poteſt, ſe ubique immiſcet. Illas tamen operationes ſpirituales, quæ ſunt ſine figura & imagine, utpote quæ in ſpiritu non reperiuntur, non poteſt tam facile imitari, ſicut cæteras, quæ habent figuram. Ut ergo tales operationes ſpirituales impugnet, eas repræſentat cum terrore & perturbatione eodem tempore, quo bonus angelus animæ largitur intellectualem contemplationem. Poteſt tamen anima ſe hac conturbatione brevi liberare ſe recolligendo, interdum tamen DEUS permittit, quod iſta perturbatio diu duret. Quando autem DEUS ipſemet operatur in anima, non permittit dœmoni agnoſcere, quæ ipſemet operatur.

CAP.

CAP. XVII.

Regula à S. Thoma Aquinate Ord. Præd.

R*Egula.* Revelationes veræ ut dignoſcantur à falſis, neceſſaria eſt diſcretio ſpirituum, aut exſpectandus finis, quem ultimatò cauſant, utrum bonus vel malus ſit. in 2. ad Cor. C. 11. Lect. 3. ad illa verba: *Ipſe enim Satanas transfigurat ſe in angelum lucis* ſic habet: Notandum, quod Satanas aliquando ſe transfigurat viſibiliter, ſicut B. Martino, ut deciperet eum; & hoc modo multos decepit. Sed ad hoc valet & neceſſaria eſt Diſcretio ſpirituum, quam ſpecialiter Deus contulit S. Antonio. In hoc tamen poteſt cognoſci, quod Sathanas ſit, quia bonus angelus in principio hortatur ad bona, & perſeverat in eis. Sed malus in principio quidem prætendit bona, ſed poſtmodum volens explere deſiderium ſuum inducit & inſtigat ad mala. Et ideo Joſue cum videret angelum in campo ſuo, dixit: *noſter es an adverſariorum?* Aliud etiam ſignum eſt, quod bonus angelus, etſi terreat in principio, tamen ſtatim conſolatur, & confortat, ſicut Zachariam Luc. 1. *Ne timeas Zacharia.* Et ad B. Virginem dixit: *Ne timeas Maria.* Malus autem angelus ſtupefacit, & deſolatum dimittit; & hoc ideo, ut ſtupefactum facilius decipiat, & perſuadeat ſibi. Aliquando autem ſe transfigurat inviſibiliter, & hoc, quando ea, quæ in ſe mala ſunt, facit apparere bona, pervertendo ſenſus hominis, & inflammando concupiſcentiam. Sic decepit Monachum quendam, qui

cum propoſuiſſet in animo ſuo nunquam exire cellam, ſugeſſit ei diabolus, quod bonum eſſet, quod exiret ad Eccleſiam, & reciperet corpus Chriſti. Cui ſuggeſtioni conſentiens mutavit propoſitum vadens ad Eccleſiam. Poſtmodum cognoſcens eum fuiſſe diabolum gloriatus eſt monachus, quod non deceperat eum, quia ad bonum iverat; & tamen eum jam removit à propoſito continuè perſeverandi in cella. Poſtmodum verò iterum ſuggeſſit ei, quod Pater ſuus eſſet mortuus, & reliquerat ſibi multas divitias diſtribuendas inter pauperes, quod iret ad civitatem; ad quam cum iret, nunquam rediit ad cellam, & mortuus eſt in peccato. Unde valde difficile eſt, quod homo caveat ſibi; & ideo recurrendum eſt ad adjutorium divinum. Job. 41. *Quis revelabit faciem indumenti ejus?* Quaſi dicat, nullus niſi DEUS.

CAP.

C A P. XVIII.

Regulæ R. P. Joſephi Auguſtini Orſi, Ord. Prædic, S. Congregationis Indicis Secretarii.

R. P. Joſephus Auguſtinus Orſi Ord. Prædic. anno 1728. Florentiæ edidit contra Baſnagium Diſſertationem Apologeticam pro Orthodoxia SS. Perpetuæ, Felicitatis, & Sociorum Martyrum. In ea Diſſertatione, quam ſummopere admiror, tanquam opus juxta exactas Criticæ leges in ſuo genere perfectum, varia eruditiſſimè diſputantur de earum SS. Martyrum revelationibus, quæ reduci poſſe exiſtimo ad ſequentes Regulas.

R*Egula* 1. Fiducia petendi à DEO revelationes non eſt ſemper ſignum, ſubſecutas revelationes eſſe à phantaſia aut dœmone, tunc videlicet, quando interno inſtinctu petens ſcit, ſe habere donum prophetiæ illimitatum, aut ſaltem limitatum ad certum genus eventuum. Dixi, *ad certum genus eventuum*, nam ad rimandas abſtruſas veritates præſertim myſteriorum fidei in articulo generali, aut non neceſſario nulli unquam Sanctorum donum ſcientiæ in eo ſenſu aut illimitatè in omni ſcientiarum genere, aut limitatè in genere determinato collatum eſt, ut poſſet pro libitu à DEO petere manifeſtam revelationem, niſi forte pro inſtructione propria, aut amicorum, deficiente inſtructione alia circa articulos fidei primarios,

aut circa applicationem ad caſum particularem. Aliàs enim Prophetæ Veteris Teſtamenti clariorem in multis de futuro Meſſia notitiam, Apoſtoli in controverſia circumciſionis, D. Cyprianus in quæſtione de hæreticorum baptiſmo, & Patres priorum Conciliorum ejusmodi veritates, Eccleſiæ inprimis neceſſarias à DEO requirere non omiſiſſent. Itaque donum illud Prophetiæ, quo nonnulli Sanctorum eriguntur in fiduciam, petendi à DEO revelationes, ſolùm ſe extendit ad determinatum genus eventuum, eorum videlicet, quorum notitiam à ſe peti poſſe DEus inſinuat prævio inſtinctu, notiſſimo familiaribus DEI. Cæterùm Regulam in præfato Opere Eruditiſſimus Author C. 3. & 4. his verbis demonſtrat. Eo ſe modo, inquit Baſnagius, Perpetua gerit, quaſi Spiritum Sanctum, quaſi monile quoddam in arca ſua incluſum haberet ad nutum, ejus illuſtrationibus, quando vellet, uſura ad libitum. Audiantur verba ejus: Dixit mihi frater meus: *Domina Soror, jam in magna dignitate es, & tanta, ut poſtules viſionem, & oſtendatur tibi, an paſſio ſit, an commeatus? Et ego, quæ me ſciebam fabulari cum Domino, cujus beneficia tanta experta eram, fidenter repromiſi ei dicens: Craſtina die tibi renuntiabo.* Miram ſanè fiduciam, & ſolâ Montani familiâ dignam? Hoc Baſnagi argumento facile me expedirem, ſi innumera huc adferrem ſimilia, ſi non etiam majoris fiduciæ exempla, non modo ex Recentiorum Sanctorum hiſtoriis; ſed è Theodoriti quoque Hiſtoria Religioſa; è Gregorii Dialogis; ex Joannis Moſchi Prato Spirituali, & aliis hujusmodi quinti, ſexti, ac ſequentium ſæculorum voluminibus coacervata. At quoniam mihi cum ejusmodi hominibus quæſtio eſt, qui id generis monumentis omnem temerè fidem abrogant, hæc in præſentiarum miſſa faciem, & ad alia me exempla teſtimoniaque convertam, quibus ii tantùm refragari audeant, qui aut Chriſtianam Religionem ludibrio habent, aut nullam penitus Religionem colunt. Non eſt tamen, cur à me aliquis expectet, ut omnia huc conferam cœleſtium viſionum, Pro-

Propheticarum revelationum, aliorumque divinorum chariſmatum exempla, quibus Eccleſia plurimùm fuit tribus prioribus ſæculis illuſtrata; quanquam enim id multum juvaret, ut intelligeremus, unde Perpetuæ animum tanta fiducia inceſſerit, (ex ſumma videlicet per ea tempora cœleſtium donorum ubertate, & pene quotidiano & communi, ac quibusvis juſtis expoſito divinorum chariſmatum uſu) attamen, quia bene longam eruditamque *de viſionibus* ad Epiſtolam VIII. Cypriani Diſſertationem texuit Henricus Doduvellus inter Proteſtantes non infimi ſubſellii Theologus, in qua veterum Patrum initio ſumpto ab Apoſtolicis ad Cyprianum usque, loca omnia, in quibus de Viſionibus agunt, adverſus eos adſeruit, ac vindicavit, *qui*, ut ait, *quæ legunt in illius ſæculi authoribus de viſionibus, ea ad Montanum trahunt, atque Montaniſtas.* Ideo hoc ego labore in præſentia ſuperſedebo, ſed ea duntaxat cum ex antiquorum Patrum Scriptis ſeligam teſtimonia, tum ex Martyrum ſinceris Actis probatisque Hiſtoriis exempla, quæ ad meum inſtitutum propius accedere videbuntur, & ex quibus facile poſſit intelligi, Montaniſtarum familiæ propriam non fuiſſe miram illam Perpetuæ fiduciam, qua futuri eventus revelationem Fratri ſpopondit.

Notanda ſunt autem inprimis quædam Juſtini Martyris loca ex Dialogo cum Tryphone, in quo, ut Euſebius advertit, (L. 4. Hiſt. C. 8.) *Prophetiæ dona adhuc ſua ætate in Eccleſia viguiſſe ſcribit.* Sed quomodo viguerint, productis S. Martyris teſtimoniis, compertum magis habebimus atque exploratum. Ita enim ait: *Apud nos huc usque etiam Prophetica exſtant dona; unde & vos intelligere debetis, quæ olim in genere veſtro fuêre, ea eſſe in nos translata.* Et infra; quam perſpicuum eſſe docet, & in omnium oculis poſitum, nullum tum amplius extare in Judæorum gente Prophetam; tam palam eſſe omnibus ac manifeſtum, eſſe revera inter Chriſtianos non viros tantùm, ſed etiam

fœminas Prophetiæ Spiritu ſecundum Johelis Vaticinium adflatos. - Id utique argumento eſt, non minori copia atque ubertate ſeſe novis hiſce Prophetis quam antiquis Prophetiæ ſpiritum infudiſſe. Jam verò, an non eo ſe modo Veteris Teſtamenti Prophetæ gerebant, quaſi Spiritum Sanctum quaſi monile quoddam in pectore ſuo, ut in arca ſua incluſum haberent ad nutum, ejus illuſtrationibus uſuri ad arbitrium? Annon de futuris eventibus à populo requiſiti eadem planè fiduciâ, qua Perpetua, ſe illi craſtina die aut poſt breve tempus renuntiaturos ſpondebant? Quid ergo mirum, ſi Novi Teſtamenti Prophetis, ut Agabo, Silæ, Quadrato, Polycarpo, & Prophetiſſis, ut filiabus Philippi, Ammiæ Philadelphenſi, & deinde Perpetuæ, adeo familiarem fuiſſe dicamus, ut à Chriſtianis interrogati hac fiducia reſponderint: *Cras vobis renuntiabimus?* Prophetæ ſcilicet, aut Prophetidis appellationem non illi olim, aut illæ tuliſſe videntur, qui ſemel tantùm aut iterum prophetica fudiſſent oracula, ſed qui prophetico ſpiritu familiariter, & pene dixerim, ad arbitrium uterentur. Alioquin cum Prophetica dona tanta olim copia in Eccleſia exundarent, cur aliqui tantum, nec magno ſane numero, Prophetæ κατ' ἐξοχὴν dicti fuiſſent, ut quos Aſterius apud Euſebium loco ſæpius laudato recenſet, & Polycarpus Eccleſiæ Smyrnenſis Doctor Apoſtolicus & Propheticus? (Euſ. L. 4. C. 15.) Non longè poſt Juſtini Martirium Montaniſticæ factionis initia videntur eſſe collocanda. Principio, ut ex Euſebio conſtat, varia eorum fuit fortuna: alii eos, ut veros Prophetas celebrabant, alii quid de illis ſtatuerent, ancipites hærebant, adeo, ut aliarum quoque Eccleſiarum & præſertim Gallicanæ de hac nova Prophetia ſententiam per litteras Aſiani rogarint. Cauſam verò cur non ab omnibus ſtatim repudiarentur, hanc fuiſſe tradit Euſebius, quod cum adhuc in Eccleſia divinæ gratiæ charismata adfluerent, haud inſolens videbatur, eos quoque, qui auſterum vivendi genus extrinſecus confectabantur, cœleſtibus charismatis abundare. *Cum Montanus*

Digitized by Google

tanus, inquit Euſebius, *& Alcibiades ac Theodotus tunc primum in Phrygia opinione hominum tanquam Prophetæ celebrari cœpiſſent, (multa quippe divinæ gratiæ miracula in pluribus Eccleſiis etiam tum fieri ſolita fidem plurimis faciebant, eos quoque prophetare) cumque illorum hominum cauſa diſſenſio orta eſſet, qui in Gallia erant fratres ſcripſerant.* &c. Hæc de Montaniſtarum initiis Euſebius; ex quibus nemo non facile intelliget, eam per hæc tempora in Eccleſia fuiſſe divinorum chariſmatum ubertatem, ut ex eo firma conjectura capi non poſſet, aliquos ex Albo Prophetarum expungendos eſſe, quod cum magna fiducia propheticum ſpiritum uſurparent. Ejuſdem Libri C. 16. aliquot illius ævi Scriptores memorat, qui Montaniſtas graviſſimis Scriptis exagitarunt, & ex quibusdam longas bene χρήσεις affert, in quibus cernere eſt, quo ſignorum genere veteres illi Patres adulterinum Montani ſpiritum deprehenderint. Præter pravos eorum mores, & vaticinorum falſitatem illud inprimis novis hiſce Prophetis objecerunt, quod velut arreptitii ſubito quodam furore ac mentis exceſſu concuſſi inſana quædam ac importuna atque aliena proloquerentur, præter morem atque inſtitutum Eccleſiæ à Majoribus traditum, & continua deinceps ſucceſſione propagatum. Nullibi autem id illis oppoſuiſſe legimus, quod cœleſtes revelationes cum magna fiducia præſtolarentur.

His eidem temporibus pietatis & eruditionis laude florebat inprimis Irenæus. Ex ſecundo illius adverſus hæreſes libro inſignem locum adfert Euſebius, in quo divinæ, inquit, admirandæque virtutis ſpecimina adhuc ſua ætate in quibusdam Eccleſiis ſuperfuiſſe teſtatur his verbis: *Tantum abeſt, ut mortuum excitent per orationem, quemadmodum Dominus & Apoſtoli fecerunt. Sed & ſæpenumero inter fratres tota ſimul unius loci Eccleſia ob aliquam neceſſitatem id flagitante cum jejuniis multis & orationibus reverſa eſt in corpus anima defuncti, & ſancto-*

rum

rum precibus hominis vita donata eſt. Et aliquando poſt. Quod ſi, inquit, ſimulatione quadam ac præſtigiis hæc Dominum feciſſe dicturi ſunt, ad Prophetarum oracula eos deducentes ex illis demonſtrabimus, cuncta de ipſo ita prædicta & geſta eſſe certiſſimè, eumque eſſe Filium Dei. Unde etiam in ejus nomine, quotquot ſunt veri ejus diſcipuli, accepta ab eo gratia ad ſalutem atque ad utilitatem reliquorum omnium ea faciunt, prout unusquisque ipſorum ab eo munus acceperit. Alii enim dœmones expellunt certiſſimè ac veriſſimè. Alii præſcientiam futurorum & viſiones ſortiti ſunt, & propheticas prædictiones. Alii infirmos per impoſitionem manuum curant, ac priſtinæ ſanitati reſtituunt. Sed & mortui aliquoties, ut ſupra diximus, excitati ſunt, & pluribus deinceps annis nobiſcum permanſerunt. Quid plura? non poteſt numerus iniri donorum, quæ per univerſum orbem Eccleſia à DEO accipiens in nomine JESU quotidie ad opitulationem gentium operatur. Idem, inquit Euſebius, in alio loco ita ſcribit: *Sicuti multos ex fratribus audimus in Eccleſia, qui prophetiæ dona conſecuti ſunt, & omni linguarum genere per ſpiritum loquuntur, & ad hominum utilitatem occulta in lucem proferunt, atque arcana DEI myſteria exponunt.* Ex his igitur apparet, imprudenter illos facere, qui res Chriſtianorum illius temporis ex præſenti rerum ſtatu metientes tantopere mirantur, quod SS. Fœmina, *vera Chriſti Diſcipula,* quæ *ſciebat ſe fabulari cum Domino*, cunctis jam terrenis affectibus exſoluta, & in ipſa Martyrii expeditione eam ſibi ſumpſerit de divina dignatione fiduciam, *cujus beneficia tanta experta erat*, ut fidenter ſe fratri renuntiaturam ſpoponderit, an paſſio futura eſſet an commeatus? Id Basnagii judicio longè eſt ab iſtorum temporum moribus. Sed an non longius eſt etiam ab hodierna conſuetudine, quod tunc *ſæpenumero* inter fratres factum eſſe teſtatur Irenæus, quod tota ſimul unius loci Eccleſia ob aliquam neceſſitatem id flagitante cum jejuniis multis & orationibus reversa ſit in corpus anima

anima defuncti, & Sanctorum precibus hominis vita donata ſit?

Sed ut intelligat Basnagius, qua fiducia veteres Chriſtiani divina hæc chariſmata & virtutes adminiſtrarent, audiat, quæ Tertullianus jactet de illorum in dœmones imperio: *Edatur hìc aliquis ſub tribunalibus veſtris, quem dœmone agi conſtet. Juſſus à quolibet Chriſtiano loqui ſpiritus ille tam ſe dœmonem confitebitur de vero, quàm alibi DEUM de falſo. Æquè producatur aliquis ex iis, qui de DEO pati exiſtimantur, qui aris inhalantes numen de nidore concipiunt, qui ructando conantur, qui anhelando profantur. Iſta ipſa Virgo cœleſtis pluviarum pollicitatrix; iſte ipſe Æſculapius.* &c. *Niſi ſe dœmones confeſſi fuerint, Chriſtiano mentiri non audentes, ibidem illius Chriſtiani procaciſſimi ſanguinem fundite. Quid iſto opere manifeſtius? quid hac probatione fidelius?* An non hæc magna fiducia, de cujusvis Chriſtiani ſanguine cum tyrannis tranſigere, ſi non ad arbitrium, & quam maluerit, in dœmones exerceat poteſtatem? An iſtam quoque fiduciam ſola Montani familia dignam Basnagius dicere audebit, quod huic Sectæ Tertullianus fuerit addictus? At nullus hìc ejusmodi cavillationibus locus; non hìc de occultis privatisque viſionibus aut revelationibus agitur, ſed de re, cujus publicum & ſub ipſis ethnicorum Magiſtratuum tribunalibus exhibetur experimentum; & Chriſtianæ Religionis decus & Chriſtiani hominis ſanguis in diſcrimen vocatur, niſi ſignum oblatum ex ſententia proceſſerit. - Non minori quàm Tertullianus fiducia magnus hac de re loquitur Athanaſius, quamvis quarto ſæculo non eadem, qua tertio ineunte ubertate - hæc Spiritus Sancti chariſmata redundarent. (L. de Incarn. N. 48.) *Hæc autem*, inquit, *non in ſolis verbis conſiſtunt, ſed ipſa etiam experientia præclarum veritati dat teſtimonium. Accedat itaque quisquis voluerit ac virtutis inſignia in Chriſti virginibus, nec non in adoleſcentibus, qui caſtimoniam profitentur, immortalitatisque fidem in tanto Chriſti Mar-*

tyrum Choro contempletur. Veniat, & quiſquis ea, quæ diximus, experiri cupit, atque in mediis ipſis dæmonum præſtigiis, & oraculorum fallaciis ac magiæ prodigiis ſigno crucis, quæ apud ipſos ludibrio eſt, utatur, ſolumque Chriſtum nominet, mox videbit, quàm cito per ipſum fugentur dæmones, ceſſent oracula, ars omnis magica, veneficiaque evaneſcant. Si non eſt incredibile, veteres Chriſtianos tantam exercuiſſe ádverſus dœmones poteſtatem, & ad malignos ſpiritus coercendos Spiritûs Sancti virtutem veluti gladium à femore pendentem habuiſſe ad nutum, eum quando vellent exerturos ad arbitrium; cur incredibile videbitur, fœminam divino Spiritu plenam ita ſe geſſiſſe quaſi ipſum veluti monile quoddam in pectore ſuo ut in arca incluſum habuiſſet ad nutum, ejus illuſtrationibus, quando vellet, uſura ad arbitrium? Non video, quid huic argumento reponi poſſit.

Eadem perſecutione S. Potamiæna inter Alexandrinos Martyres ſublata eſt, cujus non ſolùm extat apud Euſebium illuſtris apparitio, ſed inſignis in DEUM fiduciæ exemplum, non minus, quàm illud Perpetuæ admiratione dignum. Euſebii verba pro more ſubjiciam: *Igitur judicis ſententia damnatam Baſilides unus ex apparitoribus ad ſupplicium abducit. Cumque vulgus eam vexare & obſcœnis verbis illudere ei conaretur, Baſilides quidem eos qui contumeliam virgini faciebant, abſterrens propellebat, multaque miſericordiæ & humanitatis erga illam præbebat indicia. Illa verò benignitatem hominis erga ſe libenter amplectens bono animo eum eſſe juſſit; ſe namque poſt obitum ſalutem ipſius à Domino impetraturam, & collata in ſe beneficia brevi remuneraturam eſſe. - Et hujusmodi quidem certamen nobiliſſima virgo decertavit. Brevi autem poſtea Baſilides Chriſtianum ſe eſſe, idque palam profiteri. - Cumque quidam Fratres in Domino eum adiiſſent, & cauſam ſubitæ illius atque inſperatæ converſionis interrogarent, dixiſſe fertur: Potamiænam tertio poſt Martyrium die noctu ſibi adſi-*

adſiſtentem coronam capiti ſuo impoſuiſſe, dixiſſeque, ſe ipſius cauſa Dominum oraſſe, atque id, quod petierat, impetraſſe; nec diu poſtea eum ad Superos migraturum. Poſthæc Signaculo à Fratribus accepto poſtridie Chriſtum glorioſè confeſſus capite truncatus eſt. An minori fiducia Baſilidi ſalutem & beneficiorum certam remunerationem Potamiæna ſpopondit, quàm Perpetua Saturo futuri eventûs prædictionem? An non ita quoque Potamiæna ſe gerit, quaſi divinæ Prædeſtinationis ordinationes in numerato haberet, aut poſt mortem divinorum conſiliorum arbitra futura eſſet, gratiæ per ſe victricis auxiliis uſura ad arbitrium?

Ad Cyprianum veniam, quo nemo magis ita ſe geſſit, quaſi Spiritum Sanctum veluti monile quoddam in arca ſua incluſum habuiſſet ad nutum, ejus illuſtrationibus, quando vellet, uſurus ad arbitrium. Duo autem in ejus revelationibus ac viſionibus ſpectanda ſunt; earum videlicet varietas atque frequentia; & quam inde concepit de divina dignatione & familiaritate fiduciam. Ut autem hæc diligentius Lector atque commodius animadvertat, eas hìc S. Martyris viſiones exponere viſum eſt iisdem verbis, quibus ab ipſo iisdem in Epiſtolis referuntur. Epiſt. 11. ſcribit: *Quod ſuaſit, & compulit, ut has ad vos* (Clericos ſuos) *literas ſcriberem, ſcire debetis, ſicut Dominus oſtendere & revelare dignatur, dictum eſſe in viſione; petite & impetratis. Tunc præceptum plebi adſiſtenti, ut pro quibuſdam perſonis deſignatis ſibi peterent, in petendo autem fuiſſe diſſonas voces. - Immo verò nec veniſſent fratribus hæc mala, ſi in unum fraternitas fuiſſet animata; nam & illud oſtenſum eſt, quod ſederet Paterfamilias ſedente ſibi ad dexteram juvene &c. Hoc prius longè oſtenſum eſt, quàm tempeſtas vaſtitatis hujus oriretur. Et vidimus impletum, quod fuerat oſtenſum.* Sicut pacis tempore futuram perſecutionem,

ita ſæviente perſecutione brevi futuram pacem in viſione pariter intellexit, de qua in eadem Epiſtola ita ſcribit: *Denique, ad famulum ſuum mandare dignatus eſt; Dic illi, inquit, ſecurus ſit, quia pax ventura eſt. Sed quod interim morula eſt, ſuperſunt adhuc aliqui qui probentur.* Neque tantum de fundendis aſſiduè precibus, ſed & aliis pietatis operibus admonitum ſe fuiſſe revelationibus teſtatur: *Sed & de victu parco, & ſobrio potu divinis dignationibus admonemur.* Adeo verò de Vaticinorum ſuorum futuris eventibus SS. Præſul ſecurus erat, ut quamvis nullus adhuc tranquillitatis optatæ radius appeteret, juſſerit tamen has Literas promulgari, & per Clerum, ad quem ſcriptæ fuerant, Plebi quoque communicari. Diſſimulare hæc ſingula, & apud conſcientiam meam ſolus occultare non debui. Nec ipſi utique hanc Epiſtolam apud vos teneatis occultam, ſed legendam fratribus ſuggeratis. Sed ab omni pacis ſpe tam longè aberat afflictæ plebis animus, ut nullam plerique graviſſimi Paſtoris litteris fidem accomodârint, quam eorum incredulitatem poſt redditam Eccleſiæ pacem L. de Lapſis reprehendit.

Non minus viſionibus abundat Epiſtola 16. *Præter nocturnas viſiones per dies quoque impletur Spiritu Sancto puerorum innocens ætas, quæ in Ectaſi videt oculis, audit & loquitur ea, quibus nos Dominus monere, & inſtruere dignatur. Et audietis omnia, quando ad vos me reducem Dominus fecerit, qui, ut ſecederem, juſſit. Interim temerarii & tumidi quidam inter vos ſi ultra in iiſdem perſeveraverint, utar ea admonitione, qua me uti Dominus jubet, ut interim probibeantur offerre.* Itaque Cyprianus, ut plebem ſuam ad futurum bellum expediret, longe antequam exardeſceret, divina illud revelatione præſenſit. Indicto bello, ut latebras quæreret, & perſecutionem declinaret, DEUM authorem habuit. Orta tempeſtate, quibus virtutum exercitationibus ſuperanda eſſet, divina item revelatione cognovit.

vit. Futuram pacem divina pariter revelatione prænovit. Qua erga lapſos Diſciplina uti deberet, & nocturnis ipſe viſionibus & diurnis innocentum puerorum raptibus intellexit. Qua in temerarios quoſdam presbiteros cenſura deberet animadvertere, à DEO per apertam admonitionem accepit. Interim antequam Carthaginem remearet, Aurelium & Celerinum gloria Confeſſionis inſignes in Clerum cooptavit. Id verò non ſine conſuetis viſionibus ac divinis revelationibus factum eſt (Ep. 38.) Sublatis Deciis ſecundam Cypriani temporibus Eccleſiæ perſecutionem Gallus & Voluſianus intulerunt. Hanc quoque S. Cyprianus, antequam ſæviret, immo & antequam decerneretur, non una aut altera, ſed multis & crebris & manifeſtis oſtenſionibus ac viſionibus futuram intellexit, & per Synodicas ſecundi Concilii Carthaginenſis Litteras non ſuæ tantùm, ſed etiam Romanæ Eccleſiæ ſignificavit (Ep. 57.) Vidimus hactenus, quàm frequentes & familiares Cypriano fuerint cœleſtes viſiones; videamus modo, in quam S. Martyr fiduciam ex earum frequentia fuerit adductus. Epiſtola illa, qua Florentium virum ſeditioſum objurgat, ei tandem veniam, ſi reſipiſcat, hac conditione promittit, ſi DEUS id permittat, & aliquo ſenſibili ſigno ſuam hac de re ſententiam, voluntatemque ſignificet. *Si inſolentiæ tuæ agere vel ſero pœnitentiam cœperis, communicationis tuæ poterimus habere rationem; manente tamen apud nos divinæ cenſuræ metu, ut prius Dominum meum conſulam, an tibi pacem dari ſua oſtenſione & admonitione permittat. Memini enim, quid jam mihi ſit oſtenſum* &c. Iterum de Presbyteris, qui ſe inconſulto Lapſis communicaverant, *Utar*, inquit, *ea admonitione, qua me Dominus jubet, ut interim prohibeantur offerri.* Annon igitur videatur, Cyprianum Spiritum Sanctum in pectore ſuo quaſi in arca incluſum habuiſſe, qui in Diſciplinæ etiam Eccleſiaſticæ exercitio viſiones exſpectabat, & nihil ſtatuere audebat, niſi Dominum antea conſuluiſſet,

 luiſſet,

luiſſet, & niſi manifeſto aliquo indicio voluntatis ejus certior factus fuiſſet?

Regula 2. Viſionum copia amplior fuit initio Eccleſiæ, quàm poſterioribus ſæculis. Ibid. C. 4. *Origenes* L. 7. c. Celſum ait: *Signa Spiritus Sancti initio Doctrinæ JESU & poſt ejus Aſcenſionem plurima oſtenſa ſunt, deinde verò pauciora. Sed & nunc ipſius adhuc apud paucos exſtant veſtigia, qui animas & verbo & congruentibus actionibus expurgarunt.* Veſtigia verò qualia eſſent, his luculentius verbis declarat L. 1. *Etiamnum*, inquit, *veſtigia ſancti illius Spiritus apud Chriſtianos ſuperſunt. Excantant dæmones, multas curationes perficiunt, & vident quædam ſecundum voluntatem Verbi de futuris.*

Regula 3. Allegoriæ receptæ jam à Scriptura aut communi ſenſu fidelium nil continent abſurdi, ut DEUM non deceat apparere ſub illa forma. Sic Chriſtus S. Perpetuæ apparuit ſub ſpecie Paſtoris mulgentis oves, ſub qua forma etiam reperitur pictus in Cœmeteriis Romanis. Eadem ſibi viſa eſt luctari cum Æthiope, & in ipſo certamine viſa ſibi eſt ſe eſſe mutatam in maſculum. Ib. C. 5.

Regula 4. Si omnes circumſtantiæ tales ſint, quales rariſſimè inveniuntur cùm falſitate conjunctæ, viri prudentis eſt, morigerum ſe præbere, & aſſenſum facile accommodare. Quod ſi econtra hæ circumſtantiæ ejusmodi ſint, quæ ſæpiſſi-

ſæpiſſimè adjunctam falſitatem habent; ratio exigit, ut vel aſſenſum noſtrum inhibeamus, vel ut falſum judicemus, quod narratur, cum nullatenus appareat illud verum eſſe, quamvis aliunde, quin fieri potuerit, abſolutè non repugnet, aut etiam reapſe factum non eſſe, ea certitudine non conſtet, quam metaphyſicam vocant, & qua mathematicæ facultates gaudent. Hominis enim imprudentiſſimi & nullius judicii eſſet, ejusmodi evidentiam & certitudinem requirere in rebus contingentibus & particularibus factis, quæ in hiſtoriis narrantur, & hominum teſtimoniis & vide humana nituntur. Ibid. C. 7.

CAP.

Digitized by Google

CAP. XIX.

Judicium S. Philippi Nerii
De Viſionibus.

N. 1. IN ejus Vita authore Gallonio ad 26. May C. 4. ſic habetur: Illud frequenter monebat Alumnos, ne viſiones curarent, quandoquidem quisque facile in his rebus, cum angelus Sathanæ boni angeli ſpecie hominibus appareat, labi turpiſſimè poteſt. Hinc ille ita ab omni viſionum ac revelationum lubrica quadam, ac ſpiritualibus hominibus maximè periculoſa curioſitate abhorrebat, ut qui talibus delectarentur, acri ſermone corriperet, liquido affirmans, nihil eſſe in laqueis diaboli piis hominibus pernitioſius, quam veſana hæc dœmonum ludibria. In corrigendis moribus, vitiis extirpandis, virtutibus amplectendis, moderandis affectibus, & ſimilibus aſſiduam operam ponendam inculcabat; ergo viſiones reſpuendas eſſe docebat, nec dedignari Dominum, ſi id fiat, etiamſi ille ipſe verè appareat.

N. 2. In vita verò à P. Bernabæo ſcripta eadem C. 26. ſic referuntur. Cum longo jam experimento divinitus didiciſſet, quid inter veras falſasque viſiones intereſſet, quoties de iis ſermo incidebat, commune illud Sanctorum Patrum effatum inculcabat; viſionibus non temere fidem habendam eſſe. Et quamvis ipſe mentis illuſtrationibus atque in DEUM elationibus frequentiſſimè frueretur, tamen cum in aperto hæc fierent, minus laudabat, ſiquidem, ut ipſe ajebat, periculi plena res eſſet. Quamobrem eadem, ſi à DEO immittantur, remotis arbitris optanda eſſe in cubiculo, & quàm occultiſſimè tegenda. Illud quoque adjiciebat,

Digitized by Google

ſiciebat; viſiones tum veras tum falſas iis etiam interdum accidere, qui eas minimè optarent; quapropter neminem, quantumvis animo ab iis alieno, ab illuſionibus tutum eſſe. Ajebat præterea difficile eſſe, divinas viſiones accipere quemquam, nec intumeſcere; difficilius verò, ſe iis parum dignum putare; difficillimum denique, ſe iis omnino indignum exiſtimare, nec earum ſuavitatem patientiæ, humilitati, obedientiæ præponere. Eas porro viſiones & revelationes nihili prorſus faciendas eſſe, quæ aut Eccleſiæ, aut iis ipſis, quibus accidunt, aut aliis quibusque minimè profuturæ viderentur. Quicunque verò auſcultandis confeſſionibus præeſſent, eos præſertim admonitos voluit, ut ne pœnitentium, maximè autem fœminarum revelationibus facile crederent, ſæpe enim maximum ſpiritus fervorem præſeferre, ſed plerumque effluere & evaneſcere, multosque ſpiritualia hujusmodi oblectamenta ſectantes miſerrimum naufragium feciſſe.

Digitized by Google

CAP. XX.

Regulæ ex documentis Fœminarum famâ Sanctitatis aut pietatis illuſtrium.

1. B. Margarita Ravennatenſis docet, nulli revelationi muliebri credendam, niſi illam credendam proponat Eccleſia. In ejus Vita C. 2. apud Bollandum ad 23. Jan. dicitur: Non omittam hîc aliquod ejus documentum, omnibus vitæ ſpiritualis ſtudioſis apprimè neceſſarium; quod quamvis ei plurima divinitus revelarentur, nunquam tamen ea magni fecerit, neque ullam eis fidem habuerit, ne hac ratione incauta à Diabolo falleretur, qui transfigurat ſe in angelum lucis, ut facilius imprudentes fallat. Idcirco clarè diſertèque præcepit Diſcipulæ, ne fidem cuicunque demum rei adhiberet, niſi quam Eccleſia credendam proponeret, quo uno documento evaneſcunt omnes illuſiones diaboli, quæ ut plurimùm alioqui redundant hoc tempore, adeo ut vix decima eorum pars, qui ſupernaturalibus revelationibus facile credunt, callidi aſtutique inimici fraudes poſſit evadere. Cujus rei periculum utinam cum magno animarum detrimento quotidie non fieret! cum nimirum homines tam multa hodie inutilia & periculoſa paſſim credunt, ut quæ neceſſaria ſunt, penitus obliviſcantur. Ita Seraphinus Firmanus Canonicus Lateranenſis in Vita B. Margaritæ.

2. Idem

2. Idem judicium tulit Beata Gentilis Diſcipula B. Margaritæ. De illa idem Author apud Bollandum in ejus Vita C. 4. ad 28. Januarii ait : Hoc illuſtre indicium eſt animi ejus excelſi, & generoſi, quod cum quotidie majoribus ſemper revelationibus abundaret, omnes parvi fecerit, vehementer metuens, ne ſibi accideret, quod multis, qui nimium ejusmodi dona expetunt, ut datoris aliquando oblivi-ſceretur.

3. In Vita S. Catharinæ Senenſis ad 30. Aprilis C. 5. narratur, quod Chriſtus illi in aliqua Viſione tradiderit hanc regulam. Vis, inquit, ut doceam te, quatenus poſſis diſcernere viſiones meas à viſionibus inimici? Illaque hoc inſtantiſſimè ſupplicante, reſpondit: Facile foret per inſpirationem animam tuam informare, quod ſtatim diſcerneret inter unam & alteram, ſed ut proſit tam aliis quàm tibi, volo te verbo docere, quia Doctores, quos ego docui, dicunt, & verum eſt, quod viſio mea incipit cum terrore, & ſemper in proceſſu dat majorem ſecuritatem; incipit cum aliqua amaritudine, ſed ſemper magis dulceſcit; cujus oppoſitum habet pro ſua conditione viſio inimici; dat enim in principio, ut videtur aliqualem lætitiam, ſecuritatem, ſive dulcedinem; ſed ſemper in proceſſu timor & amaritudo in mente videntis continuò creſcit. Hoc eſt veriſſimum, quia etiam viæ meæ à viis ejus eadem differentiâ differunt. Via enim pœnitentiæ & mandatorum meorum in principio apparet aſpera & difficilis, ſed quanto plus proceditur in ea, tanto plus dulceſcit, & magis eſt facilis; via autem vitiorum in principio apparet valde delectabilis, ſed ſemper in proceſſu amarior fit & damnoſior. Sed ego volo tibi dare aliud ſignum infallibilibus & certius. Habeas pro certo, quod cum ego ſim veritas, ſemper ex viſioni-

Digitized by Google

bus meis reſultat in anima major cognitio veritatis; & quia veritatis cognitio magis ei neceſſaria eſt circa me, & circa ſe, ut ſcilicet cognoſcat me, & cognoſcat ſe, de qua cognitione egreditur ſemper, quod ſe contemnit, & me honorat, quod eſt proprium officium humilitatis, neceſſarium eſt, quod ex viſionibus meis anima efficiatur magis humilis magisque ſeipſam ſeu vilitatem ſuam cognoſcens pariter & contemnens. Oppoſitum autem accidit de viſionibus inimici. Cum enim ſit pater mendacii, & Rex ſuper omnes filios ſuperbiæ, ſemper ex viſionibus ejus reſultat in anima quædam propria reputatio ſeu præſumptio de ſeipſa, quod eſt proprium officium ſuperbiæ, remanetque turgida & vento inflata. Tu igitur in teipſa ſemper examinando diligenter perpendere poteris, unde proceſſit viſio, à veritate ſcilicet an à mendacio; quia veritas ſemper animam humilem, mendacium autem facit eam ſuperbam. Hucusque Chriſtus ad S. Catharinam.

CAP.

Digitized by Google

CAP. XXI.

Judicium Bollandiſtarum de Revelationibus Mulierum.

1. DE *Revelationibus B. Veronicæ de Binaſco* Bollandus ad diem 13. Januarii Diſſert. prælim. N. 4. ait: Multa in Eċtaſi vidiſſe memoratur Veronica, quæ viri docti reſpuunt, ut ſuſpecta falſitatis circa Vitæ Chriſti myſteria. Verum iſthæc fortaſſis obſcurius enarrata ita Scriptor expoſuit; aut ipſa ex rerum iſtarum præceptis animo imaginibus retulit, cum immenſam vim divinæ lucis & dulcedinis, quarum nullas habebat in phantaſia ſpecies, exprimere non poſſet. Atque id in aliorum quoque Sanctorum raptibus & revelationibus licebit ſubinde obſervare. Ibidem L. 4. C. 1. cum narraſſet, B. Veronicam in Ectaſi vidiſſe, quod B. Virgo Bethlemii jam nomen ſuum dederit ante partum; quod in partu loco linteaminum velo ſui capitis uſa ſit; quod S. Joſephus tres obſtetrices adduxerit; & quod in Nativitate Chriſti in toto orbe ceciderit ros inſtar nivis, Romæ fons oleum emanarit, templum dirutum ſit. &c. Hæc addit: Haudquaquam, quod hìc innuitur, exploratum habetur, Joſephum ac Virginem Sponſam ante hujus partum profeſſos eſſe; cum præſertim multorum Patrum teſtimonio conſtet, Chriſtum ipſum hoc cenſu fuiſſe deſcriptum. - De faſciarum defectu idipſum quidem & alii tradidêre. At quæ ſocordia ea fuiſſet divinæ parentis, apta lintea non præparaſſe? profecto nec in vulgari fœmina toleranda. Munda ac nitida præparaſſe variæ revelationes, Doctorumque virorum conſenſus perſuadet. - De portentis in Nativitate Chriſti ſcripſere idem Patres nonnulli, quod ex Apocryphis hauſtum cenſet Baronius. Plura hoc capite,

 immo

immo & toto libro objecta Veronicæ narrantur, quæ fidem non reperient. Fortaſſis vel Author, vel quæ primò Veronicæ vitam complexa eſt *Benedicta* Monacha, non aſſecuti, quæ obſcurius narrabantur, immutavere ornando, vel attexuêre ex propria ratiocinatione; aut potius, cum rapta eſt Veronica, externis ſenſibus violentia infundentis ſe divini luminis aut conſolationis oppreſſis ſopitisque, internis intellectum ad cœleſtia absque ullis phantaſmatis ſpeculanda raptum quoquo modo ſubſequentibus, phantaſia earum rerum propria ratione quadam expreſſit imagines, quarum inſitas antea ſpecies habebat. Unde ſibi reddita, cum ſciret, ſe divinitùs admiranda paſſam eſſe, neque jam obnoxio phantaſmatis intellectu ea poſſet aut exponere, aut explicitè meminiſſe, quorum reminiſcentiam phantaſia ingerebat, retulit. - De portentis in Nativitate Chriſti patratis lege Baronium anno 1. quædam ſolidè refutantem. Idem ad C. 2. L. 4. dum B. Veronica vidit Chriſtum fuiſſe circumciſum in Templo à Sene, & eidem oblata eſſe duo paria columbarum, duoque turturum, addit: Probabilius eſt, Chriſtum fuiſſe circumciſum in ipſa ſpelunca, quod S. Epiphanius tradit L. 1. Hæreſi. 20. Purificationis & circumciſionis myſteria confudit aut prima ſcriptrix, aut Veronica. Idem ad C. 7. ubi B. Veronica vidit, S. Eliſabetham ſimul cum S. Anna & B. Virgine quæſiiſſe filium in templo perditum, addit: Citius vita functam Eliſabetham vulgo exiſtimant; Annam quoque prius mortuam probabile eſt. Ad C. 8. ubi B. Veronica teſtatur, Columbam Chriſtum in baptiſmo claris verbis allocutam eſſe, addit: Hanc columbæ locutionem haud putamus ejusmodi fuiſſe, quæ audiri ab hominibus, nedum intelligi poſſet. Ad C. 13. ubi B. Veronica dicit, Chriſto cœnante ex Apoſtolis ſolum Joannem recubuiſſe, addit: Id ſibi imaginata erat Virgo ex peculiari fortaſſis in Joannem pietate. Ad C. 18. ubi B. Veronica dicit, Longinum in apertione lateris Chriſti lumen oculorum recepiſſe, ſubjungit: An veroſimile ſit, Longinum cœcum militaſſe & deſtinatum vul-

nus

nus inflixiſſe, dicemus infra 15. Martii ad ejus vitam. Ad C. 11. L. 5. ubi B. Veronica vidit aliquam ſolennitatem in cœlo vix ſeptem horarum ſpatio perfectam eſſe, addit: Horæ ad Virginis mentem ſunt referendæ, quibus imagines propria imaginatione præceptas, ſed vel ab angelo nunc commotas, vel ex Sympathia, divina patiente intellectu & voluntate, ultro excitas decucurrit.

2. In Vita B. Margaritæ de Cortona ad diem 22. Februarii C. 5. narratur illius viſio de Longino his verbis: Nunc, ait in Ectaſi, videt anima mea Longinum cœcum ad Crucem duci, & lanceam poni in manibus ſuis, & illuminatur modo pretioſo ſanguine Dei mei. Addit in Notis Bollandus: Ita quidam pii homines arbitrantur. De S. Longino agemus 15. Martii. Hoc vero die in vita S. Longini §. 2. ait: Quod de oculis mentis dictum, ad corporeos oculos & ſenſibilem divini ſanguinis aſperſionem paulatim rudis vulgi ignorantia detorſit. Quare merito Cardinalis Baronius redarguendos cenſuit, qui ex Apocryphis quibusdam ſcriptis tradunt cœcum fuiſſe militem, qui lancea latus Domini aperuit. Alii quod ipſum auditu ſatis eſt abſonum, unius duntaxat oculi cœcitat, ipſum deformant.

3. In Vita S. Franciſcæ Romanæ, quæ abundat Revelationibus, ad 9. Martii §. 2. approbant Continuatores Bollandi judicium Anquillariæ, ſub cujus nomine magna earum Revelationum conſcripta eſt. Sic autem habet: Multa ex iis, quæ Sancta à ſenſibus alienata vidit, habenda tantùm ſunt ut mediationes piæ & contemplationes ipſius propriæ, eaque potiſſimum, quæ myſteria vitæ ac paſſionis Dominicæ ſpectant; idque ipſum facile inter legendum cognoſcetur. Non tamen negari poteſt, quin iis admixtæ ſint veræ aliquæ revelationes; nos autem diſcriminis hujus judicium vel pio Lectori vel ſuperiori arbitro relinquentes in-

ſuos genitos, ſcilicet Jacobum Majorem & Joannem Evangeliſtam. Et in hac apparitione S. Anna manifeſtavit ei, quod quamvis pluries fuerit matrimonio copulata, tamen Eccleſia per ejus progeniem fuerit adornata. Ad hanc revelationem Laurentius Portellus, Minorita Luſitanus, in Reſponſionibus Moralibus Caſu 63. Tom. 2. ait: Hanc revelationem ego populo non prædicarem, quia ex tot Doctoribus & claris conjecturis hæc hiſtoria de triplici matrimonio Beatæ Annæ falſa eſt. P. Cuperus verò L. CC. dicit: Si plane contendas iſtam apparitionis narrationem cum omnibus circumſtantiis admittendam eſſe, non magnoperè refragabor; ſed tunc ſequar ſententiam Papebrochii noſtri, qui in Reſponſionibus ad articulum 20. num. 8. de hac ipſa materia ſic diſſerit: Quinimmo in Vita S. Coletæ. 6. Martii. num. 68. obſervaſſe memini, Deum humanæ curioſitatis inutilia ſcrutinia declinantem quandoque natos ex eis errores tolerare, niſi quatenus forte incommodant potiori, quod à ſic errantibus requirit, bono: cum enim illa, eorum qui virginitatem coluerant, amantior S. Annam vix aut nunquam invocaret, quod pluribus ſucceſſivè viris nupſiſſe crederet, talem opinionem non modo non exemit Deus, ſed permittendo, ut illi appareret S. Anna in glorioſo comitatu earum, quas ex priori marito filias fuiſſe multi præſertim ex Franciſcanis docebant, ſatis habuit eam ad ipſius, quam coli volebat, venerationem incitare ejusmodi viſione; etſi id Coleta poſſet aliter accipere, ſicut de facto accepit, dedocta quidem errorem ſuum, quatenus devotioni oberat, in eodem tamen, quatenus ad bonum animæ erat indifferens, potius confirmata. Hucusque verba Papebrochii. Immo de ſimilibus etiam ſanctarum mulierum viſionibus, nonnunquam ſibi repugnantibus, cum Papebrochio ibidem num I. concludam; In talibus nihil eſſe præſidii ad quæſtiones purè hiſtoricas, ſeu ſacræ illæ, ſeu profanæ ſint, prudenter dirimendas; proinde nihil ipſis Sanctis detrahi, cum talium veritas citra ullum ad illas reſpectum, vocatur in controverſiam, aliunde probanda vel infirmanda. Ita P. Cuperus.

Digitized by Google

C A P. XXII.

Summarium earum Regularum, quæ in hac materia ſunt præcipuæ, ac veræ.

Cùm non omnes, quas hucuſque ex Authoribus recenſui Regulas, recipiam indiſcriminatim; colligendas duxi in Summarium præſens eas, quas meo etiam probem calculo. Itaque Summarium hoc non ſolùm continet totam ferme doctrinam, fusè hucuſque ex Authoribus traditam, ſed & meam additâ explicatione, aut limitatione, ubi opus fuerat. Singulis Regulis appono initialibûs litteris citationes Authorum, ut ſequitur.

1.	LAur.	Lauræa. P. 1. C. 5.
2.	Caſt.	Caſtaldus C. 8.
3.	Reg. Fœm.	Regulæ ex documentis fœminarum. C. 10.
4.	Pic.	Franciſcus Picus C. 7.
5.	Syb.	Sybille. C. 13.
6.	Script.	Scriptura. C. 1.
7.	Pat.	Patres. C. 2.
8	Thyr.	Thyræus. C. 14.
9.	S. Ther.	S. Thereſia. C. 15.
10.	Grav.	Gravina C. 3. Regulæ Generales, aut practicæ.
11.	Gers.	Gerſon C. 4.
12.	Joa. à Cruc.	Joannes à Cruce. C. 16.
13.	Boll.	Bollandiſtæ C. 21.
14.	Bon.	Bona C. 6.
15.	Hen.	Henricus ab Vrimaria C. 10.
16.	Rus.	Rusbrochius. C. 9.

§. 1.

§. 1.

De Revelationibus genuinis, earumque ſignis certis.

R*Egula.* 1. Nulla ullius mulieris revelatio recipienda eſt ſine indiciis aliunde certis. Ita P. Gravina Reg. 1. Pract. Laur. Reg. 21. Caſt. Reg. 10. 17. Reg. Fœm. N. 1.

Hæc ampliſſima Regula ſic intelligenda eſt, ut nullius mulieris etiam ſanctiſſimæ determinata in particulari revelatio poſitivo aſſenſu recipiatur tanquam vera, aut tanquam vera ſcribatur, prædicetur, uſurpetur. &c. Niſi in particulari probetur vera ex ſignis indubitatis. Hinc quia pauciſſimæ mulierum revelationes habent ejusmodi indubitata ſigna, pauciſſimæ ſanè poſitivo aſſenſu tanquam veræ recipiendæ, aut commendandæ ſunt.

Regula. 2. Nulla ullius perſonæ ſanctæ revelatio tanquam falſa rejicienda eſt ſine indiciis aliunde certis. Pic. Reg. 6.

Hæc Regula ſic intelligenda eſt, ut illæ revelationes, de quarum veritatē non habentur indicia indubitata, non eoipſo ſtatim poſitivo judicio habeantur aut proclamentur pro falſis. Ut enim demonſtravi in Arte Critica; quodlibet objectum in ſuo gradu probabilitatis ac credibilitatis collocandum eſt; adeoque, ubi nec reperiuntur certa argumenta veritatis aut falſitatis, judicium in re probabili non præcipitandum, ſed, ne ſe temerè exponat periculo erroris, ſuſpendendum eſt. Hinc ſequitur

Digitized by Google

Regula 3. Circa revelationes probabiles præciſè, adeoque dubias, judicium tamdiu ſuſpendendum eſt, donec tempus, aut examen melius certiora retegat. Syb. Reg. 3. Caſt. Reg. 5. 7. Pic. Reg. 7. 17.

Ratio eſt, quia prudentia dictat, intellectum non eſſe temerè exponendum erroris periculo, quali tamen ſe exponeret, ſi hac in materia aſſentiretur alterutri contradictionis parti præciſè probabili. Dixi: *in hac materia*, quia inprimis nulla cogit rerum agendarum neceſſitas, ut agamus dependenter à veritate revelationum, atque ex eo fine connaturaliter judicium ſpeculativum conformemus judicio practico; neque eſt ea harum veritatum conditio, ut ea regulariter vera ſint, quæ ſecundum curſum ordinarium cauſarum videntur probabilia; eò quod in hac materia frequentiſſimè concurrant cauſæ præternaturales, videlicet ſecreta operatio dæmonum. Hinc ſi quis objiciat, quod in aliis materiis, v. g. civilibus, moralibus, theologicis. &c. non ſuſpendatur circa veritates probabiles judicium, Reſpondetur, id ſolùm locum habere in eo objectorum genere, in quo vel dirigimur ad actiones, vel in quo non ſolet cum authoritate & ratione de ſe probabili intervenire tam frequens deceptio dæmonum.

Regula 4. Non eſt certum ſignum, revelationem eſſe à Deo, ſi eſt conjuncta cum prænuntiato futurorum contingentium eventu. Ratio eſt, quia & dæmon futura contingentia aliquando præſcit, quando videlicet ea dependent à curſu cauſarum ſecundarum; aliquando ea cauſat cauſas naturales commovendo & liberas ſollicitando, aliquando verò ea valde probabiliter conjicit, ordinaria Decreta voluntatis divinæ aut humanæ pro ſimilibus circumſtantiis cognoſcendo. Script. Reg. 1. SS. Pat. Reg. 13. 15. Thyr. Reg. 3. 5.

Dantur

Dantur tamen ab hac regula exceptiones, tunc videlicet, quando futurorum contingentium eventus verſatur in materia reſervata unicè imperſcrutabili divinæ providentiæ, & abyſſo judiciorum divinorum impenetrabili, v. g. myſteria religionis, quæ pertinent ad ordinem præſtabilitum à Deo dœmoni ſpecialiter occultatum; aut quando illa futura ſunt adeo remota, ut necdum ſint præparata in ſuis cauſis, v. g. actiones humanæ primùm ponendæ poſt quinquaginta annos, ad quas variandas intercedere interea poſſunt innumera media partim divina, partim humana dœmoni imperſcrutabilia, maximè ſi eventus ille prænuntiatus involvit complexum circumſtantiarum nondum in ſuis cauſis præparatarum, quarum ſingulæ ſunt contingentes & fallibiles. Quia concurſus centum aut mille circumſtantiarum contingens, uti poſita eadem præparatione cauſarum inter milliones conſimilium caſuum vix ſemel contigeret, ita nec prænuntiari poteſt. Sic utique dœmon prænuntiare non poteſt, aliquando ex contingenti concurſu litterarum formandam novam Iliadem, aut poſt quadraginta annos hunc infantem in determinato Ordine fore alterum D. Xaverium, aut D. Antonium. Quia complexum hujus eventus involvit innumeros actus voluntatis humanæ aut divinæ, quorum uno ſolo non poſito non ſequetur illud complexum.

Regula. 5. Non eſt certum ſignum, revelationem eſſe à Deo, ſi præcisè ſit conjuncta cum Ectaſi, aut etiam cum elevatione corporis à terra. Ratio eſt, quia Ectaſis ſeu alienatio à ſenſibus poteſt fieri naturaliter etiam ſine operatione dœmonis; elevatio autem corporis à terra fieri poteſt, & facta aliquando eſt illius ope. Pat. Reg. 13. 14. Laur. Reg. 4. 5. 13. 15. Syb. Reg. 1. 2. S. Ther. Reg. 2.

Regula. 6. Non eſt certum ſignum, revelationem eſſe à Deo, ſi conjuncta eſt cum manifeſtatione cogitationum aut Secretorum, quæ verſantur in alienis cordibus. Ratio eſt, quia paucæ

ſunt cogitationes aut volitiones in homine, quæ fiunt ſine cooperatione phantaſiæ, aut ſine aliqua locutione interna in imaginatione. Hæc autem cognoſcere poteſt & dœmon, unde & ab experientia conſtat, eum ſæpe propalaſſe ſecreta cordium. Pat. Reg. 16.

Ab hac tamen Regula excipiendi ſunt illi caſus, in quibus poſitivîs causîs excluditur omnis cooperatio dœmonis, prout ex legibus divinæ providentiæ excludi debet in operibus propriè divinis v. g. in ſtabilitione veræ Religionis ſervato præſcripto divinitus ordine, aut in executione ſpecialium divinæ providentiæ operum v. g. fundatione Ordinum, extinctione hæreſum, ſanctificatione perſonarum in Domo Dei illuſtrium. &c. &c.

Regula. 7. Non eſt certum ſignum, revelationem eſſe à Deo, ſi conjuncta eſt viſioni purè intellectuali circa objecta intellectualia alioquin capacitatem noſtri intellectus ex ſuo genere non excedentia. Sic actus & affectus noſtri interni, v. g. amor, fides, gaudium, triſtitia, voluptas, dolor, ſapientia, cognitio, &c. ſunt objecta purè intellectualia, quæ non requirunt ullam ſpeciem phantaſticam ad ſui cognitionem, prout in Philoſophia Pollingana ex S. Auguſtino & D. Thoma & ex ratione manifeſtè demonſtravi Append. Q. 1. Si itaque ejusmodi objecta purè intellectualia in aliqua viſione aut revelatione animæ proponantur, non eſt ſignum certum, id provenire à Deo. Dixi, *ex ſuo genere*, quia poſſunt cognoſci etiam alia objecta purè intellectualia noſtris actibus internis ſimilia aut analoga, v. g. Decreta divina, & perfectiones divinæ, Sapientia, bonitas. &c. Idem dicendum de lumine quodam majore, in quo cognoſcuntur clarius aliquæ veritates, quia eſt lumini rationis ſimile aut analogum. Neque ſolùm hujusmodi cognitiones intellectuales poſſunt oriri ex habitu infuſo aut acquiſito, ſed etiam ſaltem mediatè à dœmone, qui commovere poteſt eas ſpecies phantaſticas aut affectiones, ad

quas

Digitized by Google

quas ordine connaturali ſolent in perſonis contemplationi aſſuetis conſequi ejusmodi viſiones ſeu cognitiones intellectuales. Pat. Reg. 13.

Regula. 8. Non eſt certum ſignum, revelationem eſſe à Deo, ſi in illa contineantur multa vera, ſancta, ac præclara. Ratio eſt, quia dœmon aliquando proponit doctrinas ſanctiſſimas, ac utiliſſimas, ut ſibi aut perſonæ viſionariæ conquirat authoritatem & fidem, quibus ſemel ſtabilitis poſſit immiſcere peſtilens erroris virus. Imitatur in hoc luſores fraudulentos, qui ab initio colluſori inexperto permittunt ingens lucrum, ut tractu temporis inferant centuplo majus damnum. Pat. Reg. 19.

Regula. 9. Non eſt certum ſignum, revelationes alicujus perſonæ ſanctæ omnes eſſe à Deo, ſi ſint publica authoritate Antiſtitum Eccleſiæ, aut Doctorum eximiorum in forma communi approbatæ. Ratio eſt, quia approbationes in forma communi fieri ſolitæ ſolùm teſtantur, in ejusmodi revelationibus nil manifeſtò relucere contrarium veritatibus fidei hactenus definitis, aut ſanctitati morum; idque maximè locum habet, ſi ejusmodi approbationes afficiant integrum aliquod corpus ſeu librum revelationum, in quo utique non omnes propoſitiones præſumi poſſunt fuiſſe exactæ ad Regulas ac notas characteriſticas genuinarum revelationum indubitatò talium; aut ſi etiam forent expenſæ, præcisè permitterentur legi reſpective ad loca, tempora, & circumſtantias, in quibus re nondum melius diſcuſſa apparet major utilitas, quàm nocumentum legentium. Grav. Reg. Gen. 4. Gers. Reg. 15.

Aliud dicendum foret, ſi aliqua revelatio particularis agnoſceretur pro reverà divina per conſenſum omnium Doctorum totius Eccleſiæ, videlicet in Italia, Gallia, Hiſpania. &c. Ille enim conſenſus fundaret haud dubiè præſumptionem moraliter certam, ſaltem,

ſaltem, ſi conſenſus perſeveraret ſæculis etiam doctis poſt diſcuſſiones plurium Criticas, prout contigit circa Revelationem factam SS. Perpetuæ & Felicitati.

Regula. 10. Non eſt certum ſignum, revelationem eſſe à Deo, etiamſi illam comitetur, aut ſequatur intenſiſſima affectio amoris erga Deum. Ratio eſt, quia hæc affectio oriri poteſt etiam naturaliter. Gers. Reg. 12. Grav. Reg. Gen. 15.

Regula. 11. Non eſt certum ſignum, revelationem eſſe à Deo ex eo, quod ſit facta perſonæ jam aliàs ſæpius donatæ gratiâ verarum revelationum. Ratio eſt, quia etiam perſona jam aliàs experta veras revelationes poteſt decipi. Gers. Reg. 13. 21. Syb. Reg. 3. Boll. N. 1. Joa. à Cruc. R. 7.

Aliud dicendum foret, ſi perſona, cui aliàs conſtat factas eſſe aliquando veras revelationes, teſtaretur intrepidè de aliqua revelatione determinata, quod in illa experimentaliter ſenſerit modum illum ſingularem cognoſcendi ſolis veris revelationibus proprium, & à Doctoribus unanimiter agnitum pro tali; aut ſi teſtetur, ſe in ſemetipſa ſenſiſſe illos effectus, quos Doctores unanimiter agnoſcunt ſupernaturales. *Dixi*, ſi Doctores agnoſcant, modum aut effectum illum, de quo talis perſona teſtatur, reverà eſſe ſupernaturalem, & ſolis veris revelationibus proprium. Quia in hoc ipſo illa perſona poteſt errare, ut putet modum illum aut effectum, quem ſentit, eſſe ſolis veris revelationibus proprium, aut eundem cum veræ revelationis modo, cujus non amplius habet exactam ſpeciem, ut Gerſon Reg. 21. obſervat. Quem vide

Regula. 12. Non eſt certum ſignum, revelationem eſſe à Deo, ſi conjuncta ſit cum viſione Dei purè intellectuali ſine omni phantaſmate, & ſine omni diſcurſu. Ratio eſt, quia datur contemplatio Dei naturalis ſine omni diſcurſu & phantaſmate. Laur. Reg. 3. 4. S. Joa. à Cruce. Reg. 10. 14. 29.

Regu-

Regula. 13. Non eſt certum ſignum, revelationem eſſe à Deo, etiamſi conjuncta ſit cum viſione Dei purè intellectuali ſub conceptu negativo aut poſitivo. Ratio eſt, quia Deus tam conceptu poſitivo quàm negativo poteſt intellectualiter cognoſci etiam per ſolam contemplationem naturalem. Laur. Reg. 7.

Regula. 14. Priores duæ Regulæ locum habent etiam in perſonis rudibus. Quia nulla perſona eſt abſolutè incapax ejusmodi contemplationis naturalis. Laur. Reg. 8.

Regula. 15. Non eſt certum ſignum, revelationem eſſe à Deo, ſi conjuncta ſit cum ſtatu quietis, ac unione tranquilla cum Deo. Ratio eſt, quia datur ejusmodi oratio ac ſtatus quietis etiam naturalis. Laur. Reg. 9. 10.

Regula. 16. Prior Regula majori ratione vera eſt in perſonis ſanctis, quia ejusmodi ſtatus contemplationis, quietis, & unionis eſt connaturalis proprietas aut effectus ſanctitatis. Laur. Reg. 11.

Regula. 17. Non eſt certum ſignum, revelationem eſſe à Deo, ſi ad illam in anima conſequantur affectiones valde ſanctæ, videlicet tranquillitas animæ, contemptus rerum temporalium & deſiderium æternorum, tolerantia laborum & afflictionum hujus vitæ, libertas ſpiritus & ſuperioritas ad omnia mundana, colligatio cum Deo, virtutum variarum cumulus, dilectio Dei dulcis & delectabilis. Ratio eſt, quia omnes hi effectus etiam ſunt proprietates contemplativi ſtatûs naturalis. Laur. Reg. 12. 24.

Regula. 18. Idem dicendum, etiamſi cum revelatione ſimul conjuncta ſit clarior cognitio myſteriorum, quàm aliàs haberi ſolet per lumen fidei. Ratio eſt, quia & hæc cognitio eſt connaturalis effectus contemplationis naturalis. Laur. Reg. 12.

Regula 19. Non eſt certum ſignum, revelationem eſſe à Deo, ſi inſtiget ad promovendum honorem Dei, procurandam converſionem animarum, aliaque opera eximia. Ratio eſt, quia ad iſta etiam dœmon movere poteſt eo fine, ut perſonam turbet curis, quas aliunde prævidet fore fruſtraneas, aut exigui fructus. Laur. Reg. 20. 23. Caſt. Reg. 4.

Regula. 20. Non eſt certum ſignum, revelationem eſſe à Deo, ſi is qui apparet incitet ad opera ſpiritualia, aut ipſemet ea efficiat, v. g. recitando Litanias, aut Officium divinum. &c. Laur. Reg. 30. Caſt. R. 4. Joa. à Cruce R. 15.

Regula. 21. Non eſt certum ſignum, revelationem eſſe à Deo, ſi in ejus confirmationem fiant apparentia miracula, vires dœmonis non excedentia v. g. ſi infligantur morbi illis, qui tali revelationi non adhibent fidem, ſi ejusmodi increduli affligantur lue, grandine &c. Si prædicantur futura, ſi quæpiam perſonæ inſtigentur ad amorem vel odium, ſi transferantur corpora ab uno loco ad alium, ſi fiant celeres ſanationes, ſi manifeſtentur aliqua cum phantaſia connexa ſecreta cordium, & juxta eam notitiam alteri inſpiratam efficiantur operationes, v. g. reſtitutio perſonæ Ectaticæ ad uſum ſenſuum juxta imperium mentale Superioris. Ratio eſt, quia hæc omnia poteſt efficere dœmon in caſu, quo id ſibi permittitur à Deo. Laur. Reg. 31. 32. Vide etiam Regulam 6. ſupra adductam.

Regula. 22. Non eſt certum ſignum, revelationem eſſe à Deo, ſi conjuncta ſit cum invocatione divini nominis, v. g. JESU, aut cum formatione ſeu geſtatione ſigni crucis. Ratio eſt, quia etiam Magi his utuntur. Caſt. Reg. 1.

Regula 23. Non eſt certum ſignum, revelationem eſſe à Deo, ſi eam pro tali habeat ipſa perſona, cui fit revelatio, quantumvis alias cautiſſima & timoratiſſima. Ratio eſt, quia & cau-

tiſſimi

Digitized by Google

tiſſimi in hoc genere quandoque decipiuntur. Caſt. Reg. 8. Boll. N. 1.

Regula. 24. Non eſt certum ſignum, revelationes eſſe à Deo, eò quod ſint alicujus perſonæ, quorum vita & doctrina ab Eccleſia probata eſt. Caſt. Reg. 12. Ratio eſt, quia revelationes etiam talium perſonarum, quarum ſanctitas & doctrina fuit ab Eccleſiæ Doctoribus ac Prælatis approbata, v. g. S. Brigittæ, S. Gertrudis, S. Catharinæ Senenſis ſibi invicem contradicunt; & quia conſtat, intentionem approbantium non fuiſſe, eas revelationes obtrudendi tanquam certò divinas. Boll. N. 1. 2. 3.

Regula. 25. Non eſt certum ſignum, revelationem eſſe à Deo, ſi conjunctam habeat ſuavitatem quandam internam inexplicabilem. Ratio eſt, quia & dœmon infundere poteſt jucundiſſimam conſolationem, ac placorem animi inexplicabilem, de quibus perſona illam experiens dicere poteſt: *Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit.* Caſt. Reg. 18.

Regula. 26. Non eſt certum ſignum, revelationem eſſe à Deo, non verò à dœmone, ſi facta ſit durante actuali colloquio perſonæ piæ cum Deo. Caſt. Reg. 19. Ratio eſt, quia etiam durante colloquio cum Deo poteſt dœmon inſpirare erronea. Vid. infra Regulam 32. & 33.

Regula. 27. Non eſt certum ſignum, revelationem eſſe à Deo, ſi perſona, cui fit, ſit valde pia. Ratio eſt, quia etiam Sancti ſæpius fuerunt deluſi à dœmone. Caſt. Reg. 20. S. Philippus Nerius. Num. 2. Joa. à Cruc. R. 7. Bon. R. 3.

Regula. 28. Non eſt certum ſignum, revelationem eſſe à Deo, ſi perſona, cui fit, eam intelligat. Caſt. Reg. 21. Ratio eſt, quia & dœmon aliquando loquitur intelligibiliter.

Digitized by Google

Regula. 29. Non eſt certum ſignum, revelationem eſſe à Deo, ſi pro tali enuntietur à perſona, quæ aliquando fuit prædita dono diſcretionis ſpirituum. Ratio eſt, quia hoc donum diſcretionis ſpirituum non ſe habet per modum habitûs permanentis, ſed per modum doni tranſeuntis; adeoque non eoipſo, quod aliquando extiterit in eadem perſona, certum eſt, illud perſeveraſſe. Bona. Reg. 6.

Regula. 30. Non præbet ſignum certum revelationis divinæ. 1. Forma apparentis. 2. Majeſtas rerum, quæ revelantur. 3. Finis bonus. 4. Teſtimonium illius, qui apparet v. g. ſe eſſe Chriſtum. 5. Modus aliquis ſpecialis, quo in ſenſibus internis afficiuntur, qui accipiunt revelationem. 6. Rerum prænuntiatarum eventus. 7. Sanctitas loci, in quo fit. 8. Specierum nunquam antea habitarum novitas. 9. Singularis animi præparatio. Ratio eſt, quia iſta omnia dœmon poteſt imitari, aut in ſuum uſum convertere. Thyr. Reg. 3.

Regula. 31. Non ſunt certum ſignum revelationis divinæ miracula præcedentia revelationem. Thyr. Reg. 5.

Regula. 32. Non eſt certum ſignum, revelationem eſſe à Deo, etiamſi fiat in Ectaſi verè ſupernaturali. Quia in tali Ectaſi non ligatur activitas phantaſiæ. Ut docet S. Ther. Reg. 1. Vide & Regulam ſequentem.

Regula. 33. Etiamſi aliqua revelatio ſit verè divina, non tamen certum eſt, nullam ſimul conjungi falſitatem ex operatione dœmonis, aut phantaſiæ propriæ. Ratio eſt, quia ſicut inſpiratio Dei ſtat ſimul cum inſpiratione dœmonis aut affectionibus naturæ, ita revelatio Dei ſtat cum ſuggeſtione dœmonis aut phantaſiæ. Pic. Reg. 3. 10. S. Ther. Reg. 1. Joa. à Cruce Reg. 5. 28. 29. 30. Eadem Regula expreſsè traditur à Ven. Maria de Agreda part. 1.

Num. 24. 75. & part. 2. Num. 1306. 1308. Vide infra Part. 2. Propos. 16. Reg. 4.

Regula. 34. Non datur certum Criterium diſcernendi veras revelationes à falſis niſi. 1. Ex effectu ſupernaturali, quem operantur. 2. Ex notitia experimentali per comparationem certam revelationis ad præcedentem ſimilem vel ſubſequentem indubitatò divinam. 3. Per lumen ſupernaturale demonſtrativum evidenter hujus veritatis, ſeu per diſcretionem ſpirituum. Hoc lumen non relinquit libertatem dubitandi in oppoſitum, quia non tantùm illuminat intellectum, ſed etiam neceſſitat voluntatem ad aſſenſum. Pat. Reg. 13. Gerſ. Reg. 3. 4. 14. Laur. R. 6. Caſt. R. 5. 10. 16. Laur. R. 29. Pic. R. 2. 9. 19. Bon. R. 1. Thyr. Reg. 2. 4. 7. S. Ther. R. 4. Pat. R. 5.

Hæc tamen Regula ſic limitanda eſt, ut perſona, quæ ſe fundat in notitia experimentali, ſit diu exercitata in viſionibus verè divinis, ac revelationibus; & ut illæ revelationes, ad quas fit comparatio, habeant diſtinctivum intrinſecum evidens à revelatione naturali, ex ipſo videlicet modo tendendi; & ut perſona habeat judicium bonum aut lumen ſupernaturale neceſſitans ad diſtinguenda intrinſecè naturalia à ſupernaturalibus. Deficiente una harum conditionum aut ea non ſufficienter demonſtrata quoad nos, poterit quidem perſona, cui fit revelatio, eſſe certa quoad ſe, videlicet per lumen neceſſitans ad aſſenſum, non tamen poterit facile certos reddere alios; niſi hoc ipſum, quod verè habuerit hoc lumen, probet per effectus manifeſtò ſupernaturales. Gerſ. Reg. 21. Laur. R. 21. Vide etiam ſupra Regulam 11.

Regula. 35. Effectus manifeſtò ſupernaturales ſunt, qui aut ſecundum ſe nunquam in ullis circumſtantiis producuntur à dœmone, ut eſt reſuſcitatio mortuorum, totalis immutatio totius

hominis ac omnium potentiarum ad bonum, eaque repentina in momento, & conſtans; aliaque miracula primæ claſſis aut qui ſaltem nunquam producuntur à dœmone in tali complexo circumſtantiarum, utpote ſpecialiter ſubſtante divinæ providentiæ protectrici adverſus fraudes dœmonis, v. g. dum conſtat, talem revelationem fuiſſe uſurpatam ad finem à Deo intentum maximi momenti, in eaque fuiſſe omnes modos ſervari ſolitos ac conditiones decentes DEum obſervatos. Laur. R. 29. Pic. R. 2. 9. 19. Bon. R. 1. Thyr. R. 2. 4.

§. 2.

De Revelationibus dubiis.

R*Egula*. 1. Circa revelationes dubias ſuſpendendum eſt tamdiu judicium, donec tempus, aut accuratius examen veriora retegat. Vide Reg. 3. §. 1. præcedente.

Regula. 2. Revelationes dubiæ non debent ſervire ad regulandum cultum publicum in Eccleſia. Pat. Reg. 1.

Hinc, quia DEUS non intendit finem ſine mediis congruis, nunquam ordinat aliquam revelationem ad introducendum novum cultum in Eccleſiam, niſi eam revelationem faciat credibilem ſignis certis ac indubitatis. Adeoque, ſi revelatio aliqua intendat regulare cultum publicum in Eccleſia, & ea non fuerit à Deo collocata extra omne dubium per ſigna indubitata, clarum indicium eſt, eam non eſſe à Deo.

Regula. 3. Revelationes dubiæ, ſi conjunctum habeant actuale periculum introducendi errorem aut perturbationem in Eccleſiam, ſunt publica authoritate prohibendæ. Actuale periculum voco, dum aliqui jam actu inclinant ad errorem

vel perturbationem occaſione ejusmodi revelationis. Pat. Reg. 2.

Regula. 4. Quando duæ revelationes perſonarum etiam ſanctarum invicem pugnant, ambæ pro dubiis haberi debent, niſi pro una dentur ſigna aliunde certa. Grav. Reg. 25. Caſt. R. 7.

Regula. 5. Univerſim omnes revelationes, quæ in particulari non habent ſigna aliunde certa, pro dubiis habendæ ſunt, præſertim ante perſonæ, cui fiunt, mortem. Gerſ. R. 1.

Regula. 6. Univerſim omnes revelationes, etiam illæ, quæ videntur habere ſigna certa, pro dubiis habendæ ſunt, niſi prius examinata fuerint omnia acta, dicta, & ſcripta ejus perſonæ, cui fiunt, & quidem, niſi dentur effectus revelationis palam miraculoſi, usque ad ejus perſonæ mortem. Ratio eſt, quia omnis alia certitudo fundatur in teſtimonio perſonæ, cui revelatio fit; authoritas autem perſonæ irrefragabilis ſine manifeſtis miraculis ante ejus mortem & ſine probitatis conſtantia probari non poteſt. Gerſ. R. 2.

Regula. 7. Revelationes, de quibus illa ipſa perſona timet, ne ſint à dœmone, haberi debent pro dubiis, nisi in particulari indubitatis miraculis confirmentur. Gerſ. Reg. 4. Hæc regula intelligenda eſt pro caſu, quo timor ille eſt anxius, & diuturnus

Regula. 8. Vita Chriſtiana nunquam ab ullo hominum debet dirigi ex revelationibus dubiis. Leo. R. 2. Pat. R. 1. Joa. à Cruce. paſſim.

Regula. 9. Revelationes dubiæ nec in concionibus nec in libris, nec alio modo publicentur, nisi prius à Sede Apoſtolica examinentur. Caſt. R. 9. Hæc regula certè locum habere debet

Digitized by Google

bet in revelationibus majoris momenti, & copioſis, quæ introducere videntur nova dogmata, novos cultus &c. præſertim cum Leo IX. in Bulla: *Supernæ*, id requirat.

Regula. 10. Revelationes etiam virorum, quorum vita & doctrina ab Eccleſia probata eſt, tantùm habent authoritatem probabilem, cui abſque fidei periculo, abſque temeritatis nota, & abſque peccato mortali duritiei ſeu incredulitatis refragari licet. Caſt. Reg. 12. Pic. Reg. 4. 5. Excipiendus tamen caſus, quo revelatio privata probaretur miraculis aut aliis ſignis indubitatis; tunc enim temerè negans, quamvis non peccaret contra virtutem fidei Theologicam, quam DEO debemus circa objecta pertinentia ad fidem univerſalem totius Eccleſiæ, peccaret tamen graviter contra virtutem fidei moralem, quam debemus etiam in aliis objectis veracitati divinæ.

Regula. 11. Idem dicendum de Revelationibus ab Eccleſia tantùm in forma communi approbatis. Caſt. Reg. 26. Ratio eſt, quia ejuſmodi approbationes in forma communi plus non intendunt, quàm ut tales revelationes habeantur & tractentur tanquam probabiles, in quibus nil occurrat manifeſtè contrarium fidei & bonis moribus.

§. 3.

§. 3.

De Revelationibus probabilius falſis.

R*Egula.* 1. Revelationes probabilius falſæ, practicè pro abſolutè falſis habendæ ſunt in ordine ad hunc effectum, ut ad nullum adhibeantur uſum, nec allegando eas pro aliorum inſtructione, nec vitam per eas dirigendo. Ratio eſt, quia ut patet ex § præcedente, id Doctores ſtatuunt circa revelationes dubias, à fortiori ergo id locum habet circa revelationes probabilius falſas. Gers. Reg. 20. Syb. R. 2.

Regula. 2. Revelationes probabilius falſæ ſunt, in quibus continentur circumſtantiæ aut proprietates frequentius conjunctæ cum deceptione ſaltem indeterminata, quàm cum earum veritate. Ad eandem claſſem referri debent revelationes, in quibus continentur circumſtantiæ proniores ad deceptionem aliquam indeterminatam per ſeriem plurium conſimilium, quàm ad operationem divinam. Utrumque patet ex Regulis Artis Criticæ à me in Philoſophia Pollingana demonſtratis. Dixi, *ad deceptionem ſaltem indeterminatam per ſeriem plurium conſimilium.* Quia ſi v. g. perſona ſit ſuperba, vana, revelationum appetens, non poteſt quidem inferri quaslibet hujus perſonæ revelationes eſſe probabilius falſas, poteſt tamen rectè inferri, ſi illa perſona habuerit plures revelationes conſimiles, unam vel alteram ex iis eſſe falſam; adeoque ſimpliciter verum erit, corpus illarum revelationum probabilius eſſe falſum, cùm ad falſitatem plurium propoſitionum copulative ſumptarum ſufficiat falſitas unius propoſitionis. Hinc ſi diſpoſitiones in aliqua perſona proniores ſunt ad illuſionem, una ſaltem talis illuſio inter multas ejus perſonæ revelationes præſumi debet; *quod enim pronum eſt fieri, regulariter fit*, ſaltem una vel altera vice per ſeriem plurium caſuum conſimilium.

Digitized by Google

Regula 3. Revelationes probabilius falſæ ſunt earum perſonarum, quæ merentur illudi, illarum videlicet, quæ nolunt conſulere verbum Dei ex Scriptura, traditione, & ſenſu univerſali Eccleſiæ. Script. R. 2.

Regula 4. Revelationes probabilius falſæ ſunt, quæ fiunt perſonis quidem piis, ſed ad inſtantiam perſonarum revelatione indignarum. Ratio eſt, quia in tali caſu ipſæ etiam perſonæ piæ merentur illudi. Script. R. 6.

Regula. 5. Revelationes probabilius falſæ ſunt, quæ fiunt perſonis deſiderantibus habere revelationes. Pat. R. 3. 7. Ratio eſt, quia tales merentur illudi. S. Ther. R. 3. Joa. R. 27. Excipe, niſi ex circumſtantiis, effectibus, & judicio generali ſapientum conſtet, deſiderium ejusmodi habitum eſſe ex DEO movente aut approbante.

Regula. 6. Revelationes probabilius falſæ ſunt, quæ petuntur à Deo circa veritates, aliunde humanâ induſtriâ cognoſcibiles. Pat. R. 7. Ratio eſt, quia petens ejusmodi revelationem à DEO, meretur illudi à dœmone.

Regula. 7. Revelationes probabilius falſæ ſunt, quæ fiunt mente emota, geſtibus diſtortis, & elocutione non ſana. Ratio eſt, quia tales revelationes non ſunt ſimiles iis, quas ex Scriptura conſtat eſſe veras. Pat. R. 17.

Regula. 8. Revelationes earum perſonarum, quæ aſſumunt munus divinandi, probabilius ſunt falſæ. Ratio eſt, quia tales perſonæ merentur illudi à dœmone. Pat. R. 18.

Regula. 9. Revelationes perſonarum habentium viſum vel auditum debilem, & imaginationem fortem, probabilius ſunt falſæ, niſi conjunctæ fuerint cum aliunde certis indiciis. Ratio eſt, quia in talibus perſonis reperiuntur diſpoſitiones pronæ ad deceptionem. Grav. Reg. Pract. R. 2.

Regu-

Digitized by Google

Regula. 10. Idem dicendum de revelationibus perſonarum habentium cum imaginatione forti extraordinariam ſubtilitatem viſus vel auditûs. Ibid. R. 3.

Regula. 11. Idem dicendum de revelationibus perſonarum ſimul cum imaginatione habentium naturam immoderatè melancholicam, aut ſi viri ſint, muliebrem. Ibid. R. 4.

Regula. 12. Idem dicendum de revelationibus mulierum, quas conſtat eſſe inconſtantes in bono, & pronas ad aucupandam vanam gloriam. Ib. Reg. 5.

Regula. 13. Idem dicendum de revelationibus perſonarum, quæ nondum tranſierunt per viam purgativam mortificando paſſiones, ſed per ſaltum acceſſerunt ad montem contemplationis, præſertim ſi ſe non ſubjecerunt Directori ſpirituali ſimul probo & docto. Ib. Reg. 9.

Regula. 14. Idem dicendum de revelationibus perſonarum, quæ ſunt præſumptuoſæ, & confidentes in ſuis meritis, ita ut è cœlo exſpectent revelationes, & inſtructiones angelicas. Ibid. Reg. 14. Vide ſupra Reg. 5.

Regula. 15. Idem dicendum de revelationibus perſonarum, quæ non ſunt radicatæ in ſolida humilitate, ſeriò ex agnitione ſui & mundani nihili comparati ad DEum quærendo abſcondere favores, & fugere famam. Ib. R. 16. Gers. R. 7. 8.

Regula. 16. Idem dicendum de revelationibus perſonarum, quæ in via ſpirituali adhuc ſunt tyrones. Ib. Reg. 17. Gers. Reg. 9.

Regula. 17. Idem dicendum de revelationibus nec antecedenter, nec concomitanter, nec ſubſequenter conjunctis cum cruce, perſecutione, tolerantia, & vita mortificata. Ib. R. 18.

Regula. 18. Idem dicendum de revelationibus perſonarum, quæ revelationes habere optent, aut habitas paſſim evulgent, aut communicent. Ibid. Reg. 19. Vide ſupra limitationem ex Reg. 5.

Regula. 19. Idem dicendum de revelationibus perſonarum, quæ jam aliàs deprehenduntur fuiſſe illuſæ à dœmone. Ibid. Reg. 20.

Regula. 20. Idem dicendum de revelationibus, quibus introducitur novus modus vivendi, non conſuetus obſervari à populo Dei. Ib. Reg. 22.

Regula. 21. Revelationes de futuris eventibus amphibologicæ, neque veſtitæ circumſtantiâ aliquâ characteriſticâ perſonarum, vel locorum, aut temporum, probabilius ſunt falſæ. Ib. R. 26. Ratio eſt, quia veritatis prædictio debet eſſe determinata ſaltem per aliquam circumſtantiam, ad hoc ut ſit prudens. Sic & prædictiones prophetarum non erant amphibologicæ, quia exprimebant aliquam circumſtantiam, ſuo tempore extituram, ex cujus exiſtentia poterat dein formari argumentum de eventu. Econtra oracula dœmonum ſæpe præter ambiguitatem verborum nullam determinant circumſtantiam cognoſcibilem à nobis, unde formari poterit argumentum de eventu. Sic illud: *Ibis, redibis non morieris in bello.*

Regula. 22. Revelationes circa quæſtiones indifferentes, philoſophicas, Theologicas, aut Hiſtoricas, inter Doctores controverſas, probabilius ſunt falſæ. Quia Deus non ſolet ſervire curioſitati hominum circa materias ad cultum ſuum ac Religionem impertinentes. Ib. R. 27.

Regula. 23. Revelationes multiplices in eadem perſona, præſertim repetitæ circa eandem veritatem, probabilius ſunt permixtæ falſis. Ratio eſt, quia Deus non ſolet idem repetere, nec multiplicare miracula ſine neceſſitate. Ib. R. 31. Rus. R. 2.

Regula. 24. Revelationes, quæ recedunt à principiis & conſuetis modis divinæ ſapientiæ, probabilius ſunt falſæ. Ratio eſt, quia Deus ſolet inſiſtere ſemper iiſdem principiis & modis. Gerſ. Reg. 5.

Regula.

Regula. 25. Revelationes perſonæ, quæ aut per ſuperbam curioſitatem, aut ob vanam laudem, aut ob præſumptionem ſanctitatis cupida eſt habere revelationes inſolitas, probabilius ſunt falſæ. Signum autem ejusmodi diſpoſitionis eſt, ſi ſe talibus revelationibus dignam reputet, aut in iis enarrandis gloriabunda delectetur, aut ſine neceſſitate feſtina illas proferat. Ib. R. 7. 8.

Regula. 26. Revelationes perſonarum, in quibus concurrit tenacitas proprii judicii cum indiſcretione jejuniorum & vigiliarum, probabilius ſunt falſæ. Gerſ. Reg. 10. Ratio eſt, quia in his perſonis dœmon reperit aptas diſpoſitiones ad illuſionem.

Regula. 27. Revelationes, in quibus aliqua continentur probabilius contraria Scripturæ, aut rationi, eoipſo etiam probabilius falſæ ſunt. Ib. R. 11.

Regula. 28. Revelationes doctrinales, quarum objectum probari non poteſt ex Scriptura & traditione, probabilius ſunt falſæ. Ib. R. 16. Ratio eſt, quia Scriptura & traditio eſt regula ſufficiens in materia fidei & morum. Leo R. 2.

Regula. 29. Revelationes doctrinales, quæ introducunt novum modum loquendi & terminos non uſitatos à Doctoribus Eccleſiæ, probabilius ſunt falſæ. Ibid. Reg. 17. Ratio eſt, quia nec Deus, nec ratio favet novitati terminorum, ubi nulla eſt neceſſitas.

Regula. 30. Revelationes mulierum præſumentium dirigere ſua Doctrina Clericos, ac Principes, eosque docere magiſtraliter velut ex officio, probabilius ſunt falſæ. Ib. R. 18. Ratio eſt, quia Deus noluit mulieres conſtituere in Magiſtras Eccleſiæ deputatione ac vocatione ſtabili. Leo R. 2. Caſt. R. 24. Joa. R. 12.

Regula. 31. Revelationes, ſi nil contineant ſpecialis utilitatis, quàm hauriri poſſit ex aliis Theologorum aut Aſcetarum libris, probabilius falſæ ſunt. Ib. R. 19. 23. Ratio eſt, quia revelationes, uti & miracula, non fiunt ſine neceſſitate. Laur. R. 16. Pat. R. 7.

Digitized by Google

Regula. 32. Revelationes, eoipsò quod ſint alicujus mulieris, ſi nullum habeant poſitivum characterem veræ revelationis, inter probabilius falſas habendæ ſunt. Syb. Reg. 2. Ratio eſt, quia in illis dantur poſitivæ diſpoſitiones ad Ectaſes naturales. Caſt. R. 17. Grav. R. 1. pract. Marg. N. 1. 2.

Regula 33. Revelationes privatæ, quæ in eadem perſona ſemper ac conſtanter fiunt ſub ſpeciebus rerum ſenſibilium, probabilius ſunt falſæ. Rus. Reg. 1. Ratio eſt, quia Deus non ſolet conſtanter operari modo imperfecto pro inſtructione privata; aut enim imperfectum perficit, aut derelinquit.

Regula. 34. Revelationes de objectis curioſis probabilius ſunt falſæ. Pic. R. 11. Ratio eſt, quia revelationes, ut miracula, non fiunt ſine neceſſitate.

Regula 35. Revelationes perſonarum, in quibus reperiuntur cauſæ propinquæ fraudum, aut illuſionum, probabilius falſæ ſunt. Pic. R. 14. Ratio eſt, quia juxta Artem Criticam Phil. Poll. *quod pronum eſt fieri, regulariter fit*, in ſerie videlicet caſuum conſimilium.

Regula. 36. Revelationes, quæ recedunt à conſueta revelationum formula, probabilius falſæ ſunt. Pic. Reg. 16. Pat. Reg. 17.

Regula. 37. Revelationes, quæ non manifeſtè præferunt utilitatem communem aut propriam, probabilius falſæ ſunt. Pic. Reg. 18.

Regula. 38. Revelationes circa res leviſſimi momenti, aut circa veritates aliunde notas, probabilius falſæ ſunt. Thyr. R. 1.

Regula. 39. Revelationes, quæ nullum poſt ſe relinquunt effectum ſupernaturalem, v. g. pacem internam, & alacritatem ad virtutes &c. probabilius ſunt falſæ. S. Ther. Reg. 2. Joa. Reg. 11. 14.

Regula. 40. Idem dicendum, ſi revelationes ſunt frequentes, & tamen nulla revelantur myſteria. Ib.

Regula.

Regula. 41. Idem dicendum, ſi non inprimunt animæ quandam certitudinem, quod ſint à Deo. Ib.

Regula. 42. Idem dicendum, ſi ſint blandæ ac conſolatoriæ, & tamen non inprimant ſimul ſenſum profundæ humiliationis, contemptûs videlicet proprii, contritionis. &c. Ib. Joa. R. 11.

Regula. 43. Idem dicendum, ſi ſecum quidem ferant incitamenta ad bonum, ſed non conſtantia; immo cum incitamentis ad vitium conjuncta, ſicque perturbativa pacis internæ. Ib.

Regula. 44. Idem dicendum, ſi fuerint conjunctæ cum viſione Chriſti diu perſeverante. Ibid.

Regula. 45. Idem dicendum, ſi veritates revelatæ non inhæreant diſtinctè memoriæ. Ib. & Joa. R. 11.

Regula. 46. Idem dicendum, ſi poſt ſe relinquunt tentationes contra fidem. Ib.

Regula. 47. Revelationes privatæ, quæ in materia fidei invehunt aliquid novi, quamvis id non ſit contrarium doctrinæ fidei, probabilius falſæ ſunt. Joa. R. 19. Ratio eſt, quia Deus non vult Eccleſiam ejusque fidem dirigere per media de ſe incerta, ut ſunt revelationes privatæ.

Regula. 48. Revelationes ordinatæ per modum diſcurſus poſt applicationem animi ad ſimilia objecta, probabilius ſunt falſæ. Joa. Reg. 22. Ratio eſt, quia earum invenitur cauſa vicinior & certior in phantaſia. Hæc tamen omnia, quæ in hoc paragrapho dicta ſunt, intelligi velim, niſi præſumptio falſitatis purgetur, & elidatur per indicia veræ revelationis aliunde certa.

§. 4.

De Revelationibus certò non divinis.

R*Egula.* 1. Revelationes certò non ſunt divinæ, quarum circumſtantiæ nunquam conjunctæ ſunt cum verè divinis. Patet ex definitione certitudinis juxta Artem Criticam.

Regula.

Digitized by Google

Regula 2. Complexum plurium circumſtantiarum ſeorſim tantùm probabilium poteſt aliquando eſſe tale, ut pariat certitudinem abſolutam contra veritatem revelationis; tunc videlicet, quando nunquam ſolet eſſe conjunctum cum revelatione genuina. Gers. R. 22.

Regula. 3. Revelationes ejuſdem perſonæ & iisdem ſignis præditæ falſæ ſunt, in quibus continetur vel unica falſitas. Script. Reg. 2.

Regula. 4. Revelationes, quæ in particulari ſuis doctrinis aut promiſſis diſponunt peccatores ad protrahendam pœnitentiam, eatenus non ſunt à Deo. Ib. R. 4.

Regula. 5. Revelationes præſertim mulierum, quæ occupando homines in devotiunculis tribuunt vanam ſecuritatem & torporem in peccatis, non ſunt à Deo. Ib. R. 5.

Regula. 6. Si ea, quæ in viſione cernuntur, nil ſignificant, aut ſi ea, quæ ſignificantur, non ſunt utilia, eſt certum ſignum, quod viſio non ſit à Deo, ſed à phantaſia aut à dœmone. Pat. Reg. 9. Hæc regula intelligenda eſt de utilitate per ſe in revelatione intenta; quod enim attinet utilitatem per accidens, haud dubiè ex qualibet re otioſa v. g. feſtuca, ope meditationis poterit elici aliqua utilitas.

Regula. 7. Revelationes, quæ reddunt viam ad cœlum latam, eatenus falſæ ſunt. Pat. R. 20.

Regula. 8. Revelationes, quæ tantum ſerviunt ad paſcendam curioſitatem, non verò ad emendandam vitam, eatenus falſæ ſunt. Pat. R. 23.

Regula. 9. Si forma, modus, circumſtantiæ, aut effectus apparitionis continent aliquam deformitatem, vanitatem, ſuperbiam, turpitudinem; certum eſt, viſionem eſſe à dœmone potius, quàm Deo. Grav. Reg. Gen. 6.

Regula.

Regula 10. Revelationes eorum, qui aliàs ſunt læſi capitis, aut obſeſſi à dœmone, nullam merentur fidem. Grav. R. Pract. 5.

Regula 11. Si perſona, cui tribuuntur revelationes, fuerit imbuta pravis moribus, præſertim ſubdita vitiis carnalibus, & irretita curis ſuperfluis, judicandum eſt, eam eſſe deceptam aut deceptricem. Ib. R. 6.

Regula 12. Rejiciendæ revelationes eorum, qui utuntur ſuperſtitioſis mediis ad ſcienda recondita. Ib. R. 8.

Regula 13. Idem dicendum de revelationibus perſonæ aſſuetæ mendaciis. Ib. R. 10.

Regula 14. Idem dicendum de revelationibus perſonæ, cui deficit vera fides. Ib. R. 13.

Regula 15. Idem dicendum de revelationibus, in quibus prætenditur fuiſſe cum aliqua perſona diſpenſatum in aliqua lege naturali aut Eccleſiaſtica. Ib. R. 24.

Regula 16. Revelationes, quæ non congruunt divinæ ſapientiæ quoad objectum aut modum, eatenus non ſunt à DEO. Ib. R. 28. Gerſ. R. 5. 6.

Regula 17. Idem dicendum de revelationibus, quarum objecta ſunt curioſa aut inutilia. Ib. R. 29. Gerſ. R. 9.

Regula 18. Revelationes perſonarum, quæ ſectantur ſequentia principia, ad illuſiones dœmonum referendæ ſunt. 1. Hominem contemplativum ita finalem beatitudinem cum omni perfectionis gradu poſſe in hac vita acquirere, ſicut obtinebit in patria. 2. Hominem poſſe per contemplationem ad talem gradum perfectionis aſcendere, ut reddatur impeccabilis, & qui ad talem gradum pervenerit, non tenetur ulla bona opera facere. 3. Hominem in oratione mentali quoad intellectum debere eſſe alienum ab omni cogitatione rerum corporalium & ſpiritualium, exſpectando, quas cogitationes immittat Deus. 4. Homines Orationi mentali deditos non eſſe adſtringendos ad laborem manuum, & exercitia corpora-

Digitized by Google

lia. 5. Orantem ita ſe debere recolligere in præſentia Dei, ut nec diſcurrat nec meditetur, nec in Chriſti paſſione, multo minus in ejus Humanitatis cognitione immoretur. 6. Nullo modo unquam eſſe utendum imaginibus, ut quis ſe in orationem recolligat. 7. A quovis ex eorum Illuminatorum numero ſemper ac ſingulis horis id videri poſſe, quod ab ipſo jam ſemel in oratione viſum eſt. 8. Non eſſe obediendum Epiſcopo aut alteri Superiori, ſi alicui Orationem mentalem prohibeat; nequidem, ſi id ſub Excommunicatione inhibeat. 9. Quo tempore facienda eſt Oratio mentalis, uxorem non teneri obedire viro præcipienti aliquid, quod orationem impediat. 10. Orationi mentali vacantes vel peccare non poſſe, vel difficillimum eſſe, quod peccent. Laur. R. 1.

Regula 19. Quando poſt revelationem homo nil aliud boni experitur, niſi quod experiebatur in aliis contemplationibus non exſtaticis, nec cum majori devotione ab ea revertitur, ſignum eſt, non fuiſſe divinam. Ib. R. 16.

Regula 20. Revelationes, in quibus aliquid conſulitur non ordinatum ad bonum, non ſunt à Deo. Ib. R. 17.

Regula 21. Revelatio, quæ in animo excitat motus ſuperbiæ, non eſt à Deo. Ib. R. 25.

Regula 22. Revelationes, quæ inducunt delectationem ſenſibilem in carne, non ſunt à Deo. Ib. R. 26.

Regula 23. Revelationes, in quibus non intercedit honeſta gravitas, non ſunt à Deo. Ib. R. 27.

Regula 24. Quando revelatio impellit ad aliquid cum præcipitantia, inquietudine, ac quadam impatientia de eventu, non eſt à Deo. Ib. R. 28.

Regula 25. Revelationes, quæ non excitant ad ſpiritualem profectum, ſed tantùm ad temporalia, non ſunt à Deo. Ib. R. 34.

Regula 26. Idem dicendum, ſi aliquid conſulant contra fidem, aut contra bonos mores. Ib. R. 34.

Regula 27. Idem dicendum, ſi invitant ad ſuperbiam. Ib. R. 34.

Regu-

Digitized by Google

Regula 28. Idem dicendum, ſi ad eas obtinendas adhibeatur medium ſuperſtitioſum. Ib. R. 34.

Regula 29. Revelatio, in qua intervenit inordinatio naturæ, vel ſpecies mali, non eſt à Deo. Caſt. R. 22.

Regula 30. Revelationes ſunt à dœmone, 1. ſi inſtigant ad aliquid quod reipſa eſt contra exempla Chriſti & Sanctorum. 2. Si illud, ad quod inſtigant, hominem elevat ad tumorem mentis. 3. Si id, ad quod inſtigant, hominem elongat à corde proprio. 4. Si id, ad quod inſtigant, hominem in virtutibus extenuat, donis Dei gratuitis exuit, & ad creaturas abjicit. 5. Si ab initio conſolantur ac delectant; poſtmodum verò affligunt & cruciant. 6. Si ab initio afferunt ſecuritatem; in fine autem diffidentiam, & dubietatem ac perplexitatem. 7. Si nituntur extinguere bonam voluntatem & charitatem. Hen. R. 3.

Regula 31. Revelationes, in quibus continentur promiſſiones exorbitantes à legibus juſtitiæ, æquitatis, aut ſapientiæ præſtabilitis à Deo, non ſunt à Deo. Vide Reg. 4. 5. Hæc Regula non ſic intelligenda eſt, ut ſtatim rejiciantur omnes revelationes, in quibus continentur promiſſiones generales ſemper exaudiendi ſupplicantium preces, quia hæ promiſſiones ſunt tacitè conditionatæ, & ſunt veræ in ſenſu accommodo, ſi videlicet non fiant contra Ordinem præſtabilitum ex legibus divinæ æquitatis, nec circa objecta nunquam concedi ſolita. Præſupponitur enim in omni petitione congrua proportio inter meritum petentis, meritum recipientis, & inter bonum univerſi à Deo intentum in ſyſtemate naturæ vel gratiæ, ob quam cauſam non poteſt à quolibet peti quodlibet, ne quidem à B. Virgine aut Chriſto. Illas verò promiſſiones voco exorbitantes, quæ verſantur in determinato genere conceſſionum, nunquam à Deo generaliter concedi ſolito, aut ſi præbeant occaſionem delinquendi, aut ſi ſint ita generales, ut etiam poſitivè videantur excludere præfatas conditiones & clauſulas. Vide Part. 1. C. 15. Reg. ult.

ERRATA.

Prior numerus denotat folium, poſterior lineam.

Parte I. 68. 29. *referentur.* reverentur. 71. 26. *acceſſi.* accede. 78. 29. *expendendo.* expendendæ. 83. 9. *quando.* quanto. 89. 3. *erubeſcat.* erubeſcebat. 92. 14. *facillatio.* vacillatio. 99. 22. *continus.* continuis. 103. 16. *retracttatio.* retractio. 122. 17. *crucium.* crucum. 129. 15. *univerſitatis.* univerſitas. 132. 32. *cecudit.* cæcutit. 173. 24. *audiantur.* audiant. 192. 27. *nolo.* noli. 199. 16. *conſilium.* conſimilium. 212. 18. *rever.* reverà. 228. 2. *perpendi.* perdendi. 255. 20. *cecitat.* cæcitate. 255. 23. *magna.* magna pars. 255. 25. *mediationes.* meditationes.

Digitized by Google

bk2 285

PARS II.

Applicatio Regularum ad quasdam Revelationes in particulari per modum Exempli.

Digitized by Google

Digitized by Google

PRÆFATIO
PARTIS SECUNDÆ

De ingentibus damnis, quæ ex Revelationibus falſis quovis tempore redundarunt in Eccleſiam.

Sicut Religio fundatur in verbo Dei revelato, ita fieri nequit, ut non concutiatur vehementer per Revelationes falſas. Id callidè advertens Serpens ille antiquus ex eo tempore, quo ſub mentita amicitiæ larva Protoparentem incautam cum toto humano genere perdidit, nunquam deſtitit, per Revelationes falſas turbare puritatem fidei, & publicam tranquillitatem Eccleſiæ.

Habuit hujus ſuæ nequitiæ inſtrumenta inſignia non ſolùm inter Gentes per Vatum & Idolorum Oracula, ſed in ipſo populo

Digitized by Google

Dei per Pſeudoprophetarum ſomnia. Hinc tamen frequentes ea de re commonitiones divinæ; hinc iteratæ clades; hinc ut ex Joſepho de bello Judaico liquet tandem ipſe gentis alioquin feliciſſimæ interitus. Commonet Deus ſuum populum de cavendis ejusmodi fictis aut à dœmone immiſſis ſomniis in Deuteronomio C. 13. ubi ait: *Si ſurrexerit in medio tui Prophetes, aut qui ſomnium vidiſſe ſe dicat, & prædixerit ſignum atque portentum; & evenerit, quod locutus eſt, & dixerit tibi: Eamus, & ſequamur Deos alienos; non audies verba Prophetæ illius aut ſomniatoris; quia tentat vos Dominus, ut palam fiat, utrum diligatis eum. Propheta autem ille, aut fictor ſomniorum interficietur.* In Threnis C. 2. Cauſa lamentationum aſſignatur, quod creditum fuerit viſionibus falſis: *Prophetæ tui viderunt tibi falſa, & ſtulta, nec aperiebant iniquitatem populi ſui.* Idem inſinuatur in Ezech. C. 13. *Vident vana, & divinant mendacium, dicentes: ait Dominus; cum Dominus non miſerit eos.* Similia loca de Pſeudoprophetis Hebræorum plura occurrunt in Scriptura.

In nova Lege Gratiæ ſimul cum ortu lucis Evangelicæ ſuffuſæ fuerunt tenebræ mendacium viſionum. Id teſtantur varii libri temporibus Apoſtolicis editi ſub titulo: *Apocalipſis* ſeu *Liber viſionum.* Huc pertinet *Apocalipſis Petri Apoſtoli.* Hyer. de Script. Eccleſ. Clemens Alexandrinus L. 6. Strom. ex hac Apocalipſi recenſet etiam fragmenta; uti & Origenes in Periarchon. immo in aliquibus Eccleſiis Palæſtinæ in die Paraſceves quædam ex hac Apocalipſi prælegebantur publicè. Gelaſius in Decreto damnat alium librum ſub titulo: *Apocalipſis S. Pauli.* Sozomenus L. 7. C. 19. teſtatur: Revelationes S. Pauli denuò apparuiſſe tempore Theodoſii. Epiphanius aſſerit Gnoſticos uſos eſſe quodam libro, cui titulus: *Aſcenſus Pauli.* Nomine Joannis Apoſtoli editas fuiſſe alias *Revelationes* diverſas ab ejus Apocalipſi teſtis eſt Cajus in Dial. Diſput. confictas videlicet à Cherintho. *Apocalipſis* publicata nomine S. Thomæ rejicitur à Gelaſio in Decreto; uti

&

& liber *Revelationum* S. Stephani. Hieronymus in Iſaiam C. 64. mentionem facit aliarum Revelationum ſub titulo: *Aſcenſio Iſaiæ;* & *Apocalipſis Eliæ*. Quid autem frugis hæc omnia Eccleſiæ tulerint, teſtatur idem L. CC. dicens: *Apocryphorum teſtimonia conticeant, quæ ex occaſione hujus teſtimonii ingeruntur Eccleſiis Chriſti. De quibus verè dici poteſt, quod ſedeat Diabolus in inſidiis cum divitibus in Apocryphis, ut interficiat innocentem - per hanc occaſionem, multaque hujusmodi Hiſpaniarum & Luſitaniæ deceptæ ſunt mulierculæ oneratæ peccatis.* Huc ſpectat illud S. Leonis Epiſt. 93. ad Turibium C. 15. *Apocryphæ Scripturæ, quæ ſub nomine Apoſtolorum multarum habent ſeminarium falſitatum, non ſolùm interdicendæ, ſed etiam penitus auferendæ ſunt, atque ignibus concremandæ. Quamvis ſint in illis quædam, quæ videantur habere ſpeciem pietatis, nunquam tamen vacua ſunt venenis; & per fabularum illecebras hoc latenter operantur, ut mirabilium narratione ſeductos laqueis cujuscunque erroris involvant.*

Aliam perturbationem in Eccleſiam induxerunt Revelationes ſeu Viſiones Hermetis, editæ ſub titulo *Paſtoris.* Laudatæ illæ fuerant à variis antiquis Scriptoribus, ab aliis autem reprobatæ; donec tandem à Gelaſio inter Apocrypha repoſitæ authoritate *exutæ ſint.* De diſſenſione authorum veterum circa has Revelationes, adeoque de confuſione teſtatur Origenes in Periarchon. L. 4. C. 4. his verbis: *Id etiam in Libello Paſtoris, qui à nonnullis contemni videtur, reperimus.* Idem Hom. 9. in Numer. C. 14. ait: *In Libello Paſtoris, ſi cui tamen Scriptura illa recipienda videtur, ſimilia deſignantur.* Euſebius L. 3. Hiſt. C. 3. dicit: *Apoſtolus inter alios etiam Hermæ cujusdam, cujus opus eſſe ferunt, qui Paſtoris Libellus inſcribitur, mentionem facit. Sciendum, iſtum, tametſi à nonnullis in quæſtionem vocatur, ac propterea Scripturis omnium conſenſu approbatis nullo modo annumerandus ducitur, ab aliis tamen neceſſarium, iis præſertim, qui primis fidei elementis imbuendi ſunt, judicatum eſſe. Unde hoc quidem tempore*

Digitized by Google

re eum modo in Eccleſiis palam pervulgatum, ac etiam ejus teſtimonia à nonnullis veterum Scriptorum in ſuis libris citata animadvertimus. Et quis tandem fructus harum Revelationum? nullus alius, niſi Hæreſis Novatiana, cui ſubminiſtraverunt ſemina & fundamenta. Ita Sixtus Senenſis, Biblioth. L. 2. ubi ait: *Hermes citatur à Clemente Alexandrino, Origene, Irenæo, Caſſiano.* &c. *Demum tamen rejectus eſt à Gelaſio inter fidei dubiæ Scripturas, ut arbitror ad ſubverſionem Novatianorum, quibus initium videtur dediſſe; quia non ſemel ait, non eſſe ſecundam pœnitentiam.* Joannes Maria Braſichellus, Magiſter S. Palatii, in ſuo Indice Expurgatorio, impreſſo Romæ 1607. dicit: *Dubitandum nullo modo eſt, Libellum hunc Paſtoris, ut modo ſcriptus habetur, ab Herma Pauli diſcipulo non eſſe conſcriptum, cum & hæreſibus & fabulis ſit oppletus. Eum S. Gelaſius in Romano Concilio inter Scripta Apocrypha abjicit. Item & S. Proſper. L. Cont. Caſſianum C. 3. nullius authoritatis eſſe pronuntiat.* Ex his tria Colligo. Primò, quod tempore S. Proſperi, & S. Gelaſii unus tantùm notus fuerit Libellus, *Paſtoris* titulô, non duo. Non enim potuit fieri, ut Concilium Romanum, cui ſine dubio plurimi intererant in libris græcis verſatiſſimi, ſine ulla diſtinctione prohiberet librum ſub eo titulo, ſub quo extaret, vel uſpiam adhuc extare timeretur alius liber utiliſſimus tam celebris Authoris nec vitioſus in fonte, nec interpolatus in Exemplaribus. Secundò, quod is ipſiſſimus liber, qui à Clemente Alexandrino, Origene, Irenæo, & Euſebio fuerat citatus, ſine ulla alia interveniente interpolatione, fuerit condemnatus. Quia alioquin diverſæ editiones non potuiſſent eſſe ignotæ tum ipſis Authoribus, tum ipſi Concilio; adeoque debuiſſent laudes & vituperia diſſentientium referri ad diverſas illas editiones. Tertiò, quod revera hæ viſiones, cujuscunque ſint authoris, ſint antiquæ aut deceptiones hominis, aut illuſiones diaboli, quæ cauſarunt magnam perturbationem in Eccleſia. Qamvis enim forte dici poſſet, illum authorem ſcripſiſſe in aliqua Orientali

tali Eccleſia, ubi juxta particularem loci Diſciplinam nōn viguerit ſecunda pœnitentia publica etiam in Laicis, ſed tantùm *Remiſſio* ſeu abſolutio ſimplex; ea tamen Diſciplina non potuiſſet à Spiritu Sancto dictari inſtar Dogmatis & Legis pro univerſali Eccleſia, prout fit in his Viſionibus.

Sæculo tertio ineunte pacem Eccleſiæ vehementer turbavit nimium facilis ad Revelationes Mulierum fides. Cum enim Montanus teſte Euſebio L. 5. C. 3. ab initio ſibi comparaſſet famam Prophetæ, atque ab ipſo ſummo Pontifice communicatorias obtinuiſſet, tandem mutare pellem cœpit. Adſcivit enim in Societatem duas fœminas, Priſcam ſeu Priſcillam & Maximillam, quæ tanquam Spiritu Sancto afflatæ ſuas Revelationes divulgabant. Cùm verò hæ contrariæ eſſent receptis hucusque opinionibus Eccleſiæ præſertim in materia Diſciplinæ v. g. quoad jejunia, ſecundas nuptias, &c. Inde diſſenſiones in Eccleſia non exiguæ ſubortæ ſunt. Apollinaris Epiſcopus Hierapolitanus de hac diſſenſione ſcribens ait: *Nonnulli* (Montanum) *acriter increpabant; alii de eo, velut Spiritu Sancto & dono prophetiæ imbuto ſeſe gloriosè extulerunt.* Et Hieronymus contra Pelagianos: *Montanus multas Eccleſias per Priſcam & Maximillam hæreſi polluit.* Perturbationem adaugebat, quod Montaniſtæ v. g. Tertullianus, quamvis à Catholicis excluſi fuerint, nec ſe nec Catholicos inter hæreticos habuerint, eò quod tantùm de puncto Diſciplinæ ſalvâ fidei regulâ diſceptari crederent, prout P. Orſi Ord. S. Dom. in ſua *Perpetua & Felicitate* contra Basnagium pro more ſuo eruditè obſervat.

Sumente paulatim incrementa Luce Evangelii illuſiones dœmonum in Eremicolis potiſſimùm, & abſtractioris vitæ amantibus ad ſera usque tempora perdurarunt, de quibus varia reperiuntur exempla in Vitis Patrum, & Actis Sanctorum. Illud tamen celebre

lebre eſt, quod ſæculo undecimo contigit in grave damnum totius Chriſtiani populi. Erat quidem Monachus in Syria, nomine Petrus, qui viſionibus, ut ex eventu colligere eſt, falſis incitatus commovit totam Europam ad Bellum ſacrum contra Saracenos. Ipſe tamen in primo ſtatim cum hoſtibus congreſſu unà cum viginti quinque Chriſtianorum millibus periit; ut videri poteſt in Scriptoribus Belli Sacri, & Baronio.

Sæculo decimoquarto ingens erat Viſionariorum & Viſionariarum multitudo, præſertim inter Beguinas Germaniæ; contendebant, ſe in ejusmodi Ectaticis raptibus etiam pertingere ad Viſionem Dei beatificam; qui error, jam in Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. ante centum annos condemnatus, cùm repullularet, à Joanne 22. radicitùs extinctus eſt. Ut enim legitur in antiquo Manuſcripto Chronico noſtri Monaſterii, authoritate hujus Pontificis in Germania ferme trecenta talium Beguinarum millia extinctione eorum Inſtituti ſublata ſunt.

Quæ turbæ ſæculo decimoquinto in Germania per ejusmodi Viſiones excitatæ fuerint, narrat P. Joannes Nider Ord. Præd. in ſuo Formicario L. 3. ubi oſtendit, illud ipſum terribile Schiſma Eccleſiæ, quo ſimul erant tres Pontifices, magna ſui parte fundatum fuiſſe in Viſione falſa. Rem ſic narrat L. 3. C. 1. *Infiniti ſunt modi, quibus hoſtis antiquus deludere ſolet incautos, quibus nonnunquam viros maximos decepiſſe comperitur. Ante tempora Concilii Conſtantienſis Schiſmate jam diu continuato, cum Petrus de Luna* (unus trium Pontificum ſimul regnantium) *clam in Hiſpaniam per mare fugeret, Oppidani cujusdam Oppidi maritimi ab aliquo Abbate admonebantur, ut ſe pararent ad excipiendum Papam; Oppidanis rem cum riſu excipientibus, utpote nulla apparente veriſimilitudine de adventu Papæ, ſubitò ventus contrarius Galæam cum Papa, jam ſedecim milliaribus prætervecto, coegit intrare præfatum*

tum Oppidum. Cum poſtmodum inquireret, unde Abbas notitiam jam præviam de ſuo inſperato adventu habuiſſet, hic reſpondit, quod Prophetiam iſtam dudum in aliquo libro legiſſet, in quo ſimul contineretur, quod præfatus Papa poſt ſuperatas perſecutiones Romam rediturus eſſet, & reſtituendus in pacificam poſſeſſionem Sedis Apoſtolicæ. In hac prophetia Petrus de Luna, cum omnia præcedentia impleta videret, ita confidebat, ut citatus per Concilium generale Conſtantienſe contumax fieret, & ibidem deponeretur; ac tandem in exilio pertinax vitam finiret. Huic narrationi P. Nider L. CC. addit plura alia talium partim illuſionum partim deceptionum exempla. Cum itaque innumera hujusmodi damna conſequantur Eccleſiæ ex revelationibus falſis, in rem fuerit, afferre nonnulla revelationum falſarum, & genuinarum ſpecimina, ut ex applicatione Regularum ad caſus particulares cuivis ſternatur facilior via ad formanda ſolida in materia viſionum ac revelationum judicia.

Digitized by Google

Num. I.

Exempla illuſionum illuſtrium ex Vitis Patrum.

1. IN Vita S. Antonii apud Rosvveidum Num. 41. legitur, eum Sanctum ſuis Monachis inter alias doctrinas etiam hanc commendaſſe. Dœmones, inquit, etiam cum modulatione ſolent nonnunquam apparentes pſallere, prô nefas! ad hæc & impuro ore ſacra Scripturarum eloquia meditantur. Frequenter enim legentibus nobis, quaſi Echo ad extrema verba reſpondent. Dormientes quoque excitant ad orandum, ut totius noctis ſomnum eripiant. Pleroſque etiam, dum ſe in monachorum nobilium habitu transferunt, monachos coercent, & priſtina, de quibus conſcii ſunt, peccata imputant. Sed ſpernendæ ſunt eorum increpationes & admonitiones jejunandi, vigiliarum quoque fraudulenta ſuggeſtio. Ob id enim familiares nobis ſpecies aſſumunt, ut affinitate virtutum nocentes facilius virus interſerant, & innocentes quoſque per ſpeciem honeſtatis elidant. Impoſſibile poſtea durumque hoc ſtudium prædicant, ut dum oneroſum eſſe videtur, quod cœptum eſt, ex deſperatione tœdium, ex tœdio ſuccedat ignavia. Si ergo orare compellunt, ſi jejunia ſuadent, non ex eorum monitis, ſed ex noſtra conſuetudine id agamus.

2. In Vita S. Pachomii C. 9. hæc habentur: Una dierum, cum Palæmon & Pachomius vigilantes accenderent ignem, quidam frater ſuperveniens apud eos manere voluit. Qui cum ſuſceptus eſſet, inter verba ut fieri ſolet, erupit, & dixit: Si quis fidelis eſt ex vobis, ſtet ſuper hos carbones ignis, & orationem Domi-

Dominicam ſenſim lentèque pronuntiet. Quem beatus Palæmon intelligens ſuperbiæ tumore deceptum commonuit dicens: deſine frater ab hac inſaniâ, nec tale quid ulterius loquaris. Qui correptione Senis non ſolùm non profecit in melius, ſed plus elatione mentis inflatus ſuper ignem ſtare cœpit audacter, nullo ſibi penitùs imperante; eratque conſpicere, quomodo cooperante inimico humani generis, & Domino permittente nequaquam fuerit peruſtus ignis attactu. Hoc ipſum verò, quod geſſit impunè, ad augmentum profecit ejus inſaniæ. Poſtera die maturè proficiſcens ac velut eis exprobans ajebat: Ubi eſt fides veſtra? Poſt non multum verò temporis cernens diabolus eum ſibi per omnia mancipatum, & facile ad quæ vellet facinora eum ſe poſſe compellere, transfiguravit ſe in mulierem pulchram, ſplendidis veſtibus adornatam, & cœpit oſtium Cellæ ejus vehementer extundere. Qui cum aperuiſſet, ait ei Diabolus in habitum mulieris immutatus; Obſecro te, quia nimis à creditoribus urgeor, & metuo, ne me aliqua pericula comprehendant, recipias me in tuam cellulam, quia debitum ſolvere nequeo, quatenus per te ſalva facta gratias referam; Deus enim me direxit ad te. Qui à cœcitate mentis penitus obſcuratus, nec valens diſcernere quis eſſet, qui ſibi talia loqueretur, Diabolum in ſuum recepit exitium. Tunc dœmon immiſit ei turpem concupiſcentiam. Qui mox ceſſit inimici ſuggeſtionibus, & ejus quaſi muliebres petivit amplexus. Quem ſpiritus immundus invadens eliſit atrociter; & revolutus ſuper pavimentum veluti mortuus diu permanſit. Poſt aliquantos autem dies tandem in ſe reverſus & dementiæ propriæ ſerô pœnitens ad ſanctum Palœmonem venit, & cum magno fletu quid ſibi accidiſſet expoſuit, cumque ſanctus Palœmon & ſanctus Pachomius lachrimas pro eo funderent, ſubito correptus ab immundo ſpiritu de conſpectu eorum proſiliit, & per deſerta diſcurrens pervenit ad civitatem Panos, ubi in fornacem balnei per amentiam ſe præcipitans incendio protinus interiit.

3. Macarius Romanus in ſua Vita C. 20. de ſe hæc narrat: Poſthæc laqueus Diaboli affuit; nam die quadam è ſpelunca foras egreſſus faſciolum ſubtile juxta me in terra poſitum aſpexi. Ego verò in memetipſo cogitans dixi: Unde in hac ſolitudine faſciolum? æſtimans tamen, quia verum eſſet faſciolum oblitus ſum me crucis ſigno munire, miſi proin manum, & levans faſciolum reportavi in ſpeluncam. Altera die egreſſus calceos fœmineos reperi jacentes in terra; ſed nec tunc ego miſer inſidias diaboli advertens, nec ſigno crucis me muniens, calceos levavi & in ſpeluncam portans faſciolo junxi. Tertia die exiens diabolum in ſpecie mulieris, veſtibus pretioſis indutæ ſtantem inveni, ego verò miſerabilis ne ſic quidem laqueos diaboli advertens, nec aliquo modo me ſignans ajo ad illam: Unde huc veniſti? Illa flere continuò amariſſimè cœpit. Tunc ego miſellus cum illa veluti compatiendo valde ploravi. Poſt hæc reſpondens dixit: Ego miſerrima, o Pater ſanctiſſime, filia ſum viri Romani, qui cum me invitam deſponſaſſet juveni nobiliſſimo Romano in ipſa nuptiarum nocte ſponſus meus diſparuit; cumque omnes turbarentur, ego clam exii, & errando huc perveni. Hæc cum credidiſſem, ſimul & ſponſam meam, quam in ipſa nuptiarum nocte fugiens dereliqueram, fore ſperans per manus apprehendi illam, & in hanc introduxi ſpeluncam. Lachrimæ verò ab ejus oculis nullatenus ceſſabant. Tunc compatiens ſedere eam juxta me feci, & diutius colloquia invicem habuimus & glandes illi ad manducandum dedi. Tunc cœpi ſomno gravari; at illa manibus ſuis omnia mea membra palpavit, & eo amplius ſomno gravatus ſum. Quid morer? miſer ego, qui nunquam antea cum fœmina peccare conſenſi, in ſomnis peccatum me perpetraſſe cognovi; nam ſubitò expergefactus quaſi cum fœmina diſcoopertum me in terra jacentem inveni; ipſa verò jam non apparuit.

4. In

Digitized by Google

4. In vita Joannis Monachi hæc narrantur: Poſtquam multa nobis S. Joannes de jactantiæ vitio diſſeruit, ad ultimum intulit dicens: Erat quidám apud nos monachus, in hac vicina eremo commanens, cui habitaculum ſpelunca erat; vir ſummæ abſtinentiæ, quotidianum victum labore manuum quærens, in orationibus die noctuque perſiſtens, cunctisque animi virtutibus florens. Sed hic lætis ſucceſſibus elatus confidere quaſi in profectibus ſuis cœpit, & non Deo totum, ſed ſibimetipſi quod profecerat deputare. Hanc aútem intuens animi præſumptionem tentator continuò accedit & laqueos parat. Quadam namque die ad veſperam fingit ſpeciem decoræ mulieris oberrantis per eremum, quæ velut feſſa per nimium laborem accedens ad oſtium ſpeluncæ monachi ſe laſſabundam ſimulans ac fatigatam intrinſecus ſemetipſam projecit atque advoluta genibus viri, ut ſui miſereatur exorat. Nox enim me infelicem, inquit, me latitantem comprehendit; jube me requieſcere in angulo cellæ tuæ, ne forte efficiar nocturnis beſtiis præda. At ille primò miſerationis obtentu recepit eam intra ſpeluncam, requirens, quæ ei cauſa errandi per eremum fuerit? Illa cauſam fingit ſatis accuratè, & interim venena blandimentorum atque illecebræ virus per omnem textum narrationis interſerit; elegantia & ſuavitate ſermonis inclinat animam hominis, & in affectum ſui illecebroſo amore deflectit. Hinc jam inter blandiora colloquia jocus riſusque miſcentur, manus etiam procax ad mentum barbamque quaſi venerandi ſpecie protendit, tum verò palpare cervicem mollius, collumque levigare. Quid multa? ad ultimum captivum ducit militem Chriſti, continuo enim perturbari intra ſemetipſum, & libidinis fluctibus æſtuare cœpit, nequaquam laborum præteritorum, nequaquam profeſſionis ſuæ ac propoſiti memor. Paciſcitur cum cordis ſui concupiſcentia, & intra arcana cogitationum ſuarum fœdus cum falſa voluptate componit. Inclinat ſtultus latera ſua, & efficitur ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus. Atque ubi obſcœnos jam conabatur inire com-

complexus, illa ululatum teterrimæ vocis amittens, umbra ut erat tenuis, per manus amplectentis elabitur. Tunc multitudo dæmonum in aere clamat: O qui te usque ad cœlum extollebas, quomodo demerſus es usque ad infernum? Eadem Hiſtoria narratur in Lauſiaca C. 44.

5. In Hiſtoria Lauſiaca C. 31. dicitur: Fuit quidam Valens, qui in ſolitudine plures annos habitavit nobiſcum. Ipſe præclarè de ſe ſentiebat, tanquam cum eo verſarentur angeli. Quodam die cum operaretur in tenebris acum dimiſit, qua conſuebat ſportam; quem cum ipſe non inveniſſet, dæmon ei fecit lampadem, & invenit acum. Hoc nomine rurſus inflatus magnificam de ſe induit opinionem, & usque adeo elatus eſt, ut etiam contemneret ipſam Sacramentorum Communionem. Semel S. Macarius Presbiter miſit ad Valentem bellaria. Hic autem verberavit eum, qui attulit, dicens: Dic Macario, non ſum te deterior, ut tu ad me mittas benedictiones. Cum ergo ſibi perſuaſiſſet dæmon, eum ejus deceptioni maximè fidem habuiſſe, abit, & figuram Servatoris induit, & noctu accedit in phantaſmate, mille angelis lampadas tenentibus, & rotam igneam, in qua viſus eſt figuram exprimere Servatoris; unusque eum præcedit & dicit: Chriſtus dilexit tuum inſtitutum, & venit, ut te videat; egredere ergo è cella, & cum procul eum videris, procumbens eum adora. Egreſſus ergo Antichriſtum adoravit. Alio itaque die adeo fuit emotæ mentis, ut ingrederetur Eccleſiam, & fraternitate Congregata diceret: Ego non habeo opus Communione; Chriſtum enim vidi hodie. Tunc Patres eum uno anno in compedes ferreos conjecerunt, & curarunt, precibus ejus contemptione, vitaque auſteriore detrahentes ejus perſuaſionem. Nam, ut dicitur, ſunt contrariorum contraria medicamenta

Num.

Digitized by Google

Num. II.

Exempla illuſionum illuſtrium ex variis authoribus.

1. IN Vita S. Simeonis Stylitæ juxta editionem Rosvveidi legitur Diabolus apparuiſſe in ſpecie angeli. Sic habet: Tunc invidus diabolus transformavit ſe in ſpeciem angeli fulgens in ſplendore cum equis igneis, & currus igneus apparuit juxta columnam, ubi ſtabat B. Simeon. Et dixit diabolus blandis ſermonibus; Simeon, audi verba mea, quæ tibi Dominus mandavit. Miſit me angelum ſuum cum curru igneo, & equis igneis ut rapiam te, quomodo rapui Eliam. Tempus tuum jam eſt, & tu ſimiliter aſcende mecum in currum, quia Dominus cœli & terræ tranſmiſit hunc. Aſcendamus pariter in cœlos, ut videant te angeli & archangeli cum matre Domini, cum Apoſtolis & Martyribus, Confeſſoribus, & Prophetis, quia gaudent videre te, ut ores Dominum, qui te fecit ad imaginem ſuam. Simeon completa oratione dixit: Domine, vis rapere me peccatorem in cœlum? & elevans dexterum pedem, ut aſcenderet in currum, levavit dexteram manum, & fecit ſignaculum Chriſti. Cum feciſſet ſignaculum crucis, continuò diabolus nusquam comparuit.

2. In Vita B. Jordani Generalis Ordinis Prædicatorum ad 13. Febr. authore Cantipratano N. 5. dicitur: Jordanus per juga Alpium digreſſus acutam febrem graviſſimam labore itineris fatigatus incurrit. Epiſcopus civitatis, ad quam divertit, ut audivit tanti Patris adventum, hoſpitio recepit infirmum, & violenter in lectum proprium collocavit. Habebat autem

autem Magiſter Priorem ſecum ſui Ordinis, Litteratum valde, in moribus probatum & Phyſicum, qui ſciens Magiſtri propoſitum etiam in infirmitate duriſſimum dixit: Oportet, ut mihi ſis ſubjectus. Cui Magiſter humiliter, fiat, inquit. Mox ergo contra conſuetudinem Ordinis ſuaviter in plumis ſtratum eſt infirmanti. Nocte Magiſtro ſolo in thalamo quieſcente apparuit diabolus transfiguratus in angelum lucis dicens: Eſtne hic Magiſter Jordanus? O quàm impudens factus es, qui quaſi Dominator terræ in lecto plumeo & ſericis requieſcis. O miſer, quale exemplum Ordini tuo & fratribus relinquis? Sed non eſt Deus tui oblitus in finem, qui ad redarguendum te miſit me. Et tu igitur ſurge, & terræ ſupplex incumbas. Nec mora, diabolo diſparente territus Magiſter in terram corruit, & ſic jacens mane à Priore dicto & fratribus invenitur. Quem Prior ſeverè valde corripuit, & per obedientiam in lecto jacere coegit. Sequenti nocte Satan iteravit audaciam, durius quam prius inobedientem ſibi redarguit, & Magiſtro ad terram deſcendere mox præcepit. Quem cùm mane Prior iteratò inveniſſet ad terram indignatus dixit: Miror veſtram ſtultitiam, qui in periculum non ſolùm corporis, ſed etiam animæ contra obedientiam hoc facere voluiſtis. Et ego teſtor altiſſimum, quod nollem pro toto mundo ita graviter contra Deum & Ordinem exceſſiſſe. Et hæc dicens flere cœpit uberrimè; quod ut vidit, collachrimatus eſt & Magiſter & procidens ad pedes ejus confeſſus eſt, qualiter ei diabolus illuſiſſet. Tunc Prior præcepit, ut lectum aſcenderet. Tertia nocte non deſtitit diabolus triplicare veſaniam. Prævenit autem eum vir beatus, & dixit: O nequam, quomodo ſimplicitatem meam illudere voluiſti &c. his dictis in faciem exſpuit diſparentis.

Aliud per illuſionem dœmonis in Bononia contigit. Celebravit idem beatus vir Miſſam die quadam in ſecreto. Senſit autem tam mirifici odoris fragrantiam in ſuſceptione Dominici Sacramenti, ut nulli dubium eſſe poſſet, hanc non eſſe niſi à DEO,

Digitized by Google

DEO, niſi forſitan alicui, qui diſcretionem ſpirituum habuiſſet. Os mirè odoriferum per longum tempus habebat, & manus, ita ut vix ei cibus ſaperet ore ſumptus. Palato tamen cordis interius diſcernebat, quia odor ille recreationem ſpiritui non præſtabat. Adiit ergo Dominum deprecari, quid ſibi vellet odor ille reſperſus in vanum, revelatumque eſt ei, quia dœmonis arte ſit geſtum, & facto crucis ſignaculo mox ceſſavit.

In eadem Vita authore Gerardo C. 5. dicitur: Cum eſſet Pariſiis infirmus, tentavit eum malignus ſub mira fraudulentia ſanctitatis. Veniens enim ad portam in forma venerandæ perſonæ petiit ſe ad Magiſtrum Jordanum deduci. Cum ergo deductus cum eo habuiſſet aliquos ſermones familiares poſtulavit Fratres ſecedere, quaſi ſecretò locuturus cum eo. Quo facto ſic ait: Magiſter tu es caput tui ſanctiſſimi Ordinis, & quaſi in te reſpiciunt oculi univerſorum Fratrum; quod ſi parvum vel grande de te exierit contra Religionis fervorem relaxationis veſtigium, cum natura humana prona ſit ad declinandum, tu exinde pœnam reportabis à Domino, & in tanto ordine relinques exemplum diſſolutionis. Es infirmus, ſed non tantum ut non poſſis carere culcitra & à carnibus abſtinere. Quod ſi cras vel poſt cras non fiat eadem diſpenſatio Fratri plus vel æquè infirmo, fiet murmur & turbatio. Unde rogo & conſulo, ſicut hactenus fuiſti Religionis exemplum in aliis, ita eſt te præbeas in iſtis. Sic ergo verſipellis ille receſſit ruminando aliquid, ac ſi diceret pſalmos. Credidit homo Dei ſimpliciter verbis, & abſtinuit multis diebus ab illis. Unde in tantum crevit ejus debilitas, quod vix ſubſiſtere valebat. Revelatum autem eſt ei à Domino, quod, qui illa ſuggeſſerat, diabolus erat, qui ejus prædicationibus invidebat. Hæc illuſio dœmonis aliter refertur ſupra part 1. C. 8.

3. In Vita S. Catharinæ Bononienſis ad 9. Martii C. 2. narratur ſequens illuſio: In adoleſcentia die noctuque orationem frequentabat, & operam dabat enixè, ut quamlibet virtutem, quam in alio quovis eſſe vidiſſet aut audiſſet, aſſequeretur. Cumque multiplici gratiæ cœleſtis dono abundaret, magnas tamen adhuc tentationes paſſa eſt. Die quadam, cum illam invaſiſſet quædam mentis ſuggeſtio, diabolum audacter allocuta eſt dicens: Scito, nullam mihi à te tentationem inferri poſſe, quam non noverim. Quare volens illi Deus nimiam fiduciam infringere, ac oſtendere, adverſarium eſſe illa multo callidiorem, ut ſubtiliſſima eam fraude aggrederetur, videlicet ſub forma B. Virginis, permiſit; qui eam alloquens dixit: Si amorem à te vitioſum arceas, virtuoſum amorem tibi immittam, & his dictis evanuit. Cumque ipſa crederet, verè illam fuiſſe Dei genitricem, quia tunc orationi intenta eam maximè precabatur, ut ſibi concedere dignaretur, ut ejus filium ardenter poſſet amare, cogitare cœpit, cur B. Virgo ſibi dixiſſet, ſi à ſe fugaret vitioſum amorem, fore ut virtuoſum immitteret. Quare illi per occultam hoſtis fraudem in mente dicebatur, ut proprii appetitûs ac judicii à ſe amorem fugaret. Hac igitur de cauſa decrevit, multo magis omni ſtudio ſuæ Præfectæ abſque ullo diſcrimine obtemperare. Diabolus autem ſtuduit, per hanc ipſam obedientiæ virtutem, quam ab initio ſuæ converſionis ſupra cæteras dilexerat, illam decipere. Itaque cœpit quotidie cordi ejus cogitationes immittere, ut ferme omnia dicta & facta ſuæ Præfectæ pravo judicio interpretaretur, ac in illam inmurmuraret. Qua ex re magnam patiebatur pœnam, & ſuam culpam apud ipſam Matrem ſæpe magno ſuo pudore fatebatur; nec tamen pugna ceſſabat. Hinc in magna detinebatur animi ſollicitudine, cum ſe infenſam habere Virginem Mariam putaret; dicebat enim ſecum: Ipſa Virgo mihi dixit, ut à me propriam voluntatem repellerem, & quotidie contrarium cogito. Itaque ad magnam deſperationem redigebatur. Cum tamen hoſtis

mali-

malignus cerneret, quod nihilominus ſpem non deponeret, aliam adhuc ſubtiliorem fraudem excogitavit. Nam cum quodam mane ingreſſa eſſet Eccleſiam, ut oraret, ſtatim illi ſub forma Chriſti cruci affixi adfuit, brachia tenens aperta, & coram illo tanquam ſuſpenſo ſimilis, & quodam amicabili ac benigno adſtans modo, ut videretur eam velle blandè capere ſic allocutus eſt: O fur, tu cor mihi ſuffurata es; redde, quod mihi ſurripuiſti. Illa, cum crederet eſſe Chriſtum, magna cum reverentia reſpondit: Et quomodo factum eſt, Domine, quod dicis? Ille autem; Cum votum obedientiæ mihi voveris, id nunc mihi adimis. Illa autem, cum putaret, hoc à Chriſto dici propter cogitationes, quas contra Præfectam ſuam agitaverat, ait: Mi Domine, quomodo facere debeo, cum non valeam obſtare cogitationibus, quando in me inſiliunt. Reſpondit ille: tuam captiva voluntatem, memoriam ac intellectum, nec ulla in re exerceas, niſi ad tuæ nutum Præſidis. Tunc illa: At quo modo facere debeo, quæ intellectum impedire nequeo, ut non diſcernat; memoriam ut non recordetur? Ait ille: Subjice illius voluntati tuam, nec ulla in re tuam memoriam ac intellectum exerce, niſi ubi tua moderatrix velit. Ipſa verò dicebat; ſe non poſſe, quia in ſua poteſtate cor non haberet. Ille autem; fac prout tibi dicam: Dormi, vigila, & quieſce. Ait illa; neſcio, Domine, quid ſibi iſta verba velint. Ait ille: Dixi, dormi, id eſt, ut te præſentibus hujus mundi rebus non immiſceas. Dixi, vigila, ut omni ſtudio parata ſis ad obediendum. Dixi, quieſce, ut in omnibus tuis operationibus ſemper de mea paſſione mediteris. Cumque hæc & alia multa dixiſſet, quibus illam ad obedientiam hortaretur, evanuit. At illa credens revera Chriſtum fuiſſe, mente remanſit admodum ſuſpenſa; nec tamen cor liberum habebat à priori certamine, ſed potius magnam ſentiebat ſibi importunitatem ſuboriri, quoties illi ſua Præfecta, ut aliquid faceret, jubebat. Aut ſi quid illa dicebat, ſtatim innumerabilia pene judicia in mentem illi veniebant, ſecumque dice-

 bat:

bat: Melius hoc eſſet; illud melius ita fieret; & multæ refragandi ac contradicendi cogitationes illius animum ſubibant, quarum tamen omnium poſtmodum illam pœnitebat, ſeque apud ipſam Præfectam accuſabat, & veniam petebat, idque multo cum pudore & animi cruciatu faciebat; affirmatque, quod niſi hoc remedium fuiſſet, ſuam videlicet accuſandi culpam, ſæpe ſuggeſtioni conſenſiſſet, & Præfectæ rebellis extitiſſet. Procedente tempore creſcebat illi ſemper hoc certamen, non tamen ob id deſiſtebat, Præfectam revereri, & obtemperare. Cruciabatur proin inenarrabili dolore, præcipuè cum cerneret ſe privatam divini amoris flamma, qua tam copiosè antea ſolebat accendi; in tantam etiam devenerat capitis ſiccitatem, ut nec poſſet orare, nec horarium officium abſque ingenti cruciatu dicere. Ob hanc cauſam augebatur illi mœror metuenti, ne quadam proprii ſenſus indulgentiâ id accideret. Itaque intellectu penè deſtituebatur. Hac de cauſa cœpit aliquam admittere quietem, nec tantum, ut conſueverat, nocte vigilare. Præterea tunc impoſſibile ei videbatur exercere virtutes, quas antea magno cum ardore, & ſine ſegnitie exercebat, niſi quod patientiæ virtus illi proponebatur. Cum autem diabolus poſt longum tempus cerneret, ſe nondum prorſus eam proſtraviſſe, illi apparuit, aſſumpta iterum B. Virginis formâ, filium in amplexu parvum tenentis, & illam accuſans dixit: Noluiſti amorem vitioſum à te repellere; nec ego virtuoſum, hoc eſt, filii mei amorem tibi dabo. Et his dictis tanquam irata evanuit. Ipſa verò arbitrata, verè Chriſti Matrem fuiſſe, ingenti dolore correpta eſt, credens, ſe Matrem & filium graviter offendiſſe. Exinde ad tantam triſtitiam redacta eſt, ut ſpem omnem depoſuiſſet, niſi ſciviſſet, deſperationem eſſe peccatorum maximum. Certamen hoc in quinque circiter annos protractum eſt, quo tempore etiam communitas religioſa, in qua fuerat, ſiniſtro caſu diſſoluta eſt. Tandem verò finito quinquennio lux clarior, & conſolatio divina ſuborta eſt, in qua didicit agnoſcere fallacias dæmonis,

monis, rediit prior ardor & hilaritas cordis. Itaque per experientiam edocta diſcretionem ſpirituum dicebat, ſe tribus indiciis fallacias præfatarum viſionum deprehendiſſe. Primò enim eo tempore, quo erant apparitiones, nullo momento illi in mentem venit dubitatio, an malus eſſet ſpiritus; immo absque ullo, qualis revera eſſet, experimento, ſtatim credidit bonum eſſe. Quia inſidiator ſemper ad eam virtutem hortabatur, quam ſciebat ab illa ſummopere amari, nempe obedientiam. Dein importunè ad contrarium impellebat, ſuggerens cogitationes malas, quibus contra Præfectam incitabatur. Poſtea ſub contritionis prætextu tantum illi dolorem ex tali ſuggeſtione ingenerabat, ut illam in foveam peſtiferam mœſtitiæ demergeret, ei perſuadens à ſeipſa id provenire. Hac via hoſtis antiquus illi diu inſidiatus eſt, ejus ad blaſphemiam impellens animum; adverſus quos ſtimulos neque per confeſſionem, neque per alium modum invenit remedium, niſi cum diabolus illi dormienti ſemel in aurem inſuſurravit, ut blaſphemaret Deum; cui illa dormiens identidem reſpondebat: Non faciam, non faciam. Tunc illa ingenti fragore excitata diabolum à ſe recedentem ſenſit. Et ſic agnovit hoſtem fuiſſe antiquum illum, à quo tamdiu vexata fuerat. Poſtquam autem has inſidias evaſerat, incidit in ariditatem ſpiritûs, quæ multis annis duravit; in illa viſa illi erat bonæ voluntatis pars ſopita ad opera laudabilia, & expers guſtûs divinæ culturæ. Quando autem illi contingebant divinæ viſiones, adeo inanis gloriæ ſtimulis agitabatur, ut ad propalandas illas incitaretur.

4. In Vita S. Franciſcæ Romanæ ad 9. Martii L. 3. C. 1. narrantur ſequentes Illuſiones diabolicæ. Cum Franciſca ſemel eſſet anxia, cupiens ſemper ſtare in ſolitudine, ſicut ſemper deſiderabat, ut melius poſſet vacare orationibus & contemplationibus ſummi boni, ivit de die & intravit ſuam cellam, & ut quietius maneret, clauſit oſtium, ſicut ſolita erat facere. Et cum ſe dediſſet orationi, malignus hoſtis ad eam venit in forma

Digitized by Google

ſui Patris ſpiritualis cum calamo, & charta & atramento ad ſcribendum, & ſedens prope eam dixit: Volo ſcribere illas maximas viſiones & revelationes, quas Deus tibi oſtendit. Item ſibi dixit, ut ipſamet addiſceret ſcribere, ut poſſit magnos componere libros ex tot & tantis divinis viſionibus. Ipſa verò cognoſcens diabolicam fallaciam, quod hæc diceret, ut ſe extolleret per vanam gloriam, dixit: Tu non es meus Pater ſpiritualis &c.

In principio, quando Dei famula cœpit habere viſiones malignorum ſpirituum, diabolus ad eam venit in forma Eremitæ; ſed Franciſca diſcedente ab eo in ſuam cameram, ipſe loquebatur in Sala cum cognato illius Paulutio. Perſeverante verò illa in oratione receſſit.

Quodam tempore, poſtquam Dei famula recepit SS. Sacramentum, fuit rapta in Ectaſin & vidit mirabiles viſiones; finita viſione venit ad eam diabolus in forma angeli dicens: O paupercula, quanta eſt tua vilitas; nam ſtetiſti in tanto bono in iſta viſione, & tua miſera faciente fuiſti inde amota; crede mihi, nam ego ſum unus ex illis angelis, quos vidiſti in illa viſione, tua peccata te removerunt ab iſto bono. Ipſa cognoſcens diabolicam vocem dixit &c.

5. In Vita S. Philippi Nerii authore Bernabæo C. 26. habentur ſequentia: Audivit aliquando virgini cuidam Tertiariæ, ut ajunt, S. Dominici, ſæpe Chriſtum Dominum, ſæpiſſimè verò S. Catharinam Senenſem apparuiſſe. Rogatus, quid in hac re faciendum exiſtimaret: Fœminæ, inquit, facile decipiuntur; itaque ei præcipite, ut quoties hujusmodi ſpecies illi ſeſe offerunt, omnino à ſe rejiciat, pro nihilo putet atque contemnat, quin etiam cuilibet ſibi per viſum occurrenti in os exſpuat. Quam quidem regulam quaſi de cœlo delapſam ſervavit virgo, & ſane non mediocrem ex ea fructum percepit. Ibidem authore Gallonio C. 4. & Bernabæo C. 26. narratur ſequens illuſio:

Fran-

Franciſco Ferrarienſi, ex ejus diſcipulis uni dœmon noctu in forma B. Virginis apparuit, eo conſilio, ut vel ſic ea ſpecie hominem facilius deciperet. Cum is mane id Philippo retuliſſet; non tibi, inquit ille, SS. Dei Mater, ut putas, ſed dœmon ejus forma ſeſe videndum præbuit. Itaque quamprimùm ea viſio denuò ſe tibi obtulerit, faciem ejus, qui apparuit, conſpuas jubeo. Inſequenti nocte Ferrarienſi magna animi alacritate precanti dœmon eadem ſpecie eodemque fulgore præſto eſt, qui præcepti Beati Patris haud immemor diaboli mox faciem ſputo fœdat, qua re confuſus dœmon evanuit. Nec ita multo poſt in oratione perſeveranti vera Dei Mater apparuit; cumque ille in eam exſpuare tentaret; exſpue, ait Virgo, ſi potes. Conantique lingua & palatum adeo exſiccata ſunt, ut ſaliva omnino caruerit. Tum verò Deipara. Optimè, inquit, Patris conſilio paruiſti; hominemque reliquit incredibili gaudio delibutum. Ibidem ſubjungitur aliud ſequens Illuſionis exemplum. Antonius Tuccius Medicus Monialem quandam vitæ ſanctimonia inſignem graviter ægrotantem viſitabat. Accidit autem aliquando ut tota mente in Deum raptam offenderit; ubi verò ad ſe rediit, ad Tuccium converſa; O quam ſpecioſum, inquit, te modo vidi in Paradiſo; eademque die in morbum incidit. Quo quidem quotidie ingraveſcente humani generis hoſtis, ut hominem deluderet, medici forma indutus ſæpe illum inviſebat, ex eoque morbo eum convaliturum diuque victurum pro certo affirmabat. Hæc itidem Tuccius retulit ad Philippum, qui ad eum quotidie veniebat. Is vero Diaboli artem agnoſcens apertè illum admonuit, nequaquam hunc medicum fuiſſe, ſed dœmonem. Igitur detecta fraude Antonius Dei voluntati ſe penitus conformavit, paucoſque poſt dies vitam piè finivit. Hoc autem exemplo Pater ſuos admonere ſolebat, ingraveſcentibus morbis haud facile viſionibus & revelationibus credendum eſſe, iis præſertim, quibus diuturnitas vitæ promittitur. Plerumque enim illuſiones ſunt, & callidi veteratoris commenta

menta; conantis miſeros mortales dulci ſpe fallere, imparatosque ad ultimum usque ſpiritum adducere.

6. In Vita B. Baptiſtæ de Varanis ad 31. May C. 5. narratur, ipſam per duos menſes falſis viſionibus deceptam eſſe. De ſeipſa loquens ait: Agebatur Menſis Auguſtus, quo cœptum erat crudele meum certamen. Verùm ego aſtutias Sathanæ ignorans altaque animæ pace gaudens belli ſecura agebam, adeoque omnem inimici machinationem exiſtimabam pacificam & periculi expertem. Dehinc ad octavam S. Franciſci perventum erat, cum tam crudeliter ab ipſis inimicis excepta, percusſaque fui, ut perſuadere mihi non potuerim amplius, aut ipſos amicos, aut ipſorum machinationes bonas eſſe; immo cognovi manifeſtè, & reipſa experta ſum, eſſe inimicos capitales animæ meæ. &c. Continuatores Bollandi in Notis hæc addunt: Hinc intelligitur permiſiſſe Deum, ut miniſtri Sathanæ transformantes ſe in angelos lucis Beatæ noſtræ duobus & amplius menſibus continuis illuderent, quorum conſolationes apparitionesque fallaces tunc primùm agnoverit, cum earum acerbiſſimos effectus ſentire cœpit, videlicet ingentem deſolationem, ariditatem & obſcuritatem mentis. Sic illi. Addo, huic Beatæ multa dictata fuiſſe à Chriſto de verbo ad verbum, v. g. Tractatum ſat longum de Doloribus internis Chriſti; & tres Epiſtolas. &c. Quæ omnia edita ſunt L. CC. ab iisdem Continuatoribus.

7. In Vita Chriſtinæ Stumbelenſis ad 22. Junii in Prologo narrantur ſequentes ejus illuſiones. Cum eſſet annorum 15. ætatis, venit ad eam dœmon nocte in forma S. Bartholomæi Apoſtoli, quem ſibi ſpecialem Patronum elegerat, & dixit: Filia, tu multum oras, & habes magnum deſiderium veniendi ad regnum cœlorum; ſcias pro certo, hoc te habituram, ſi te occidas. Ab illa hora usque ad dimidium annum duravit hæc tentatio;

Digitized by Google

tatio; omni hora, quando erat ſola, nihil libentius feciſſet, quàm ſeipſam occidiſſet. Quando fuit juxta puteum, idem voluit; quando fuit in Eccleſia, ad hoc ipſum faciendum exivit; ſemel cum deberet minuere ſanguinem, dein cum eſſet ſola, volebat iterum aperire venam; multis noctibus venit ad eam vox; Surge, voluntas Dei eſt, ut te occidas. In tentationibus iſtis diverſas conſuluit vias, qualiter hoc faceret; illa autem ſemper credidit eſſe à Deo. Semel in infirmitate decubuit per ſex hebdomadas, nec quaſi omnino guſtavit cibum, jacens in contemplatione paſſionis Dominicæ. In hac infirmitate ſæpiſſime illi apparuit dæmon in ſpecie pulcherrima conſolans eam & dicens: Chariſſima, bene te habe, Dominus tecum eſt. Et multum eam commendans tandem dixit: Vide, quia jam in natura defeciſti abſtineas adhuc à cibo duobus diebus, & ſtatim videbis Deum tuum in gloria. Illa autem à Spiritu Sancto edocta petivit cibum. Poſt hæc venit dæmon, quaſi Apoſtolus Bartholomæus eſſet, leniſſima voce dicens: Chariſſima filia, opera tua bona ſunt coram Deo, cui ſupra modum places. Per aliquod tempus in tranquillitate cordis & corporis fuiſti. Nunc ſupereſt unum, quod deſideras venire ad tuum dilectum, ut aliquid patiaris in tuo corpore. Per diem ac menſem quaſi omni hora in conſpectu ejus fuit, eadem verba dicendo; unde tandem detulit ſecum ſpinas, & obtulit ei dicens: Quia nimis mollis fuiſti hactenus, propter hoc tibi offero hæc, ut corpus tuum in honorem Dei caſtiges, quia hoc ſummè placet Deo. Hoc fecit tempore Matutinarum & Completorii. Illa autem edocta à Spiritu Sancto cogitavit: hic dæmon eſt. At licet reſiſteret, tamen corde mirabiliter ſuper eo tentabatur ſic: Quare non admiſiſti tale conſilium? forte Dei voluntas fuit. Poſt menſem venit dæmon octo noctibus affligens eam dictis ſpinis, ita quod non eſſet in carne ſanitas. &c. Quadam vice tentabatur ſic: omni hora ſuſurravit in aures ejus, quidquid criminis mundus agebat, & hoc ſine intermiſſione ita quod

alteri detraxit, illos cum nomine ei revelans & dicens: Ille fur eſt, & hoc furatus eſt. &c.

Num. *III.*

Exemplum illuſtre Revelationum per Sagam.

SImon Maiolus librô dierum Canicularium Tit. *Sagæ.* narrat ſequentem hiſtoriam: Magdalena Crucia Hiſpana, Cordubæ in prima pueritia in Cœnobium D. Claræ detruſa, quod ipſa poſt ex collata ſtipe de fundamento novum exſtruxiſſet, dœmonis cujusdam, ſub Æthiopis ſpecie ſeſe offerentis blanditiis, quibus ea ætas potiſſimum capitur, ineſcata, familiariter illo uti cœpit, ſevera tamen interminatione interpoſita, ne quisquam mortalium hoc reſciret. Illa interim cum dœmonem in colloquium ſingulis pene diebus admitteret, ſupra ætatem ſapere, & indolis cauſa omnibus admirationi eſſe cœpit, incredibili ſanctitatis opinione, quam morum elegantia, vitæque auſteritas effingebant. Vixdum duodecimum ætatis annum attigerat, cum malus ille genius Magdalenæ in ſolidum poſſidendæ anſam captans phaleratis verbis conjugii mentionem injicit, facileque adeo ex ejus, quam jam deguſtaverat, ſanctimoniæ ſucceſſu ſimplici & ambitioſæ puellæ perſuaſit. Dantur manus; fiunt ſponſalia; concumbitur denique, Dotis loco Magdalena ſui corporis uſumfructum colloquendo, converſando, concumbendo pollicetur. Æthiops viciſſim dotem ſplendidiſſimam offert, effecturum ſe, ut Magdalena per triginta & amplius annos ea ſanctimoniæ authoritate per univerſam Hiſpaniam frueretur, qua omnes, qui eo laudis genere fuere unquam celebres, vel æquarét, vel etiam ſuperaret. Neque verò

Digitized by Google

verò mendax ille ſpiritus hac in parte falſus videri voluit, ut univerſæ ſcilicet Hiſpaniæ per hanc ſuam ſponſam imponeret. Quandocunque furtivis voluptatibus fruerentur, ſponſi famulus (nam majeſtatis cauſa famulum quoque veterator ille Æthiops ſibi aſſumpſerat) foris in templo & Cœnobio Magdalenæ larva aſſumpta illius vultum, geſtum, inceſſum cantando, orando, commedendo exactè imitabatur. Si quando verò ſeceſsûs illi voluptarii pertæſa Hera in publicum prodiret, ne quid interea temporis otioſè tranſiret, per orbem terrarum vagando, quæcunque memoratu digna acciderent, Magdalenæ renuntiabat. Sic de Franciſci primi Galliarum Regis captivitate; ſic de Romanæ Urbis direptione certior facta divinitus ſibi hæc ab Angelo revelata dictitans in principum virorum dignationem ſummam pervenit, & Abbatiſſæ dignitatem, ultro cedentibus tantæ ſanctimoniæ reliquis Monialibus, maxima totius Ordinis Seraphici cum lætitia, qui ad ſe quoque, tanquam ad præceptores & inſtitutores partem gloriæ hujus pertinere putabant. Miraculis interea clarebat plurimis, ſed inanibus atque ludicris. In ſolenni pompa feſtorum dierum ad tres & amplius cubitos in ſublime efferebatur. Sæpe etiam imaginem JESU recens nati manibus geſtans imbre lachrimarum profuſo, comam ad talos usque repente enatam producebat, quæ ſenſim evaneſceret. Quotiescunque Monachæ ſtatis diebus ſacra Communione uterentur, ſacrificulo ex enumeratis prius diligenter panis myſtici orbiculis unus ſemper deerat, quem Magdalena miniſterio angelorum acceptum ſe in ore habere palam oſtendebat. Hinc tanta ei ſanctitatis fama accrevit, ut Pontifices, Imperatores, Reges per litteras ejus ſeſe precibus commendarent; atque adeo Caroli V. uxor Philippum filium iis faſciis, quas Magdalena ſuis precibus conſecraſſet, primùm excipi curarit, & involvi. Exactis annis minus triginta in hoc diabolico conjugio tandem ſub annum 1546. ad ſeipſam Magdalena redire & dœmonem deteſtari cœpit. Ægerrimè autem ferente Æthiope hanc apoſtaſiam & multis mo-

Digitized by Google

dis illam vexante, Viſitatoribus Ordinis præter omnem expectationem ſcelus ingenuè aperit, auxilium implorat, carceri includitur. Neque tamen interea dœmon loco excedere, ſed matutinis precibus cum ſummo Monacharum ſtupore & terrore ſub larva Magdalenæ intereſſe, ſæpe etiam alia obire munia viſus eſt. Monachæ larvatam Abbatiſſam quam per duodecim annos pertulerant, abhorrentes, multis vix tandem precibus impetrarunt, ut cognita ex integro cauſa Magdalena Cœnobio excluderetur, ut ſic demum præſtigiæ ceſſarent.

Num. IV.

Exempla deceptionum Illuſtrium ex Joan. Gerſone.

TRactatu de diſtinctione verarum viſionum à falſis ſic habet: Sicut vera Religio per Sophiſticas & fallaces hæreticorum argumentationes impugnatur, ſic per mendaces angelos miraculorum verorum, ſanctarumque revelationum authoritas factis quibusdam Sophiſticis & præſtigiis quæritur infringi, quatenus per hoc homines abducantur à ſpiritualis veritatis cognitione, quæ per miraculorum aut revelationum media tradita eſt, quando ad falſitatem ſimilia videntur introduci. -. In hanc quæſtionem incidi propter illuſiones plurimas, quas noſtro tempore cognovi contigiſſe. Et etiam in hoc ſenio ſæculi mundus tanquam ſenex delirus phantaſias plures & illuſiones ſomniis ſimiles pati habet. De multis jam audivi, quorum quilibet revelatum ſibi eſſe pro certo habebat, quod erat futurus Papa. Inter quos quidam bene litteratus & famoſus hoc etiam propria manu in ſcriptis, quæ legi, reliquit, & argumentis, conjecturisque plurimis aſſerere conatus eſt. De alio ſimiliter litterato per relationem accepi,

Digitized by Google

accepi, perſuaſum eſſe ſibi, quod foret Papa, dehinc Anti-Chriſtus, ſaltem præcurſor Anti-Chriſti. Noviſſimè ut ſeipſum perimeret, inſtigatus eſt vehementer, ne videretur afferre tantum damnum populo Chriſtiano. Tandem Deo miſerante ad ſaniora converſus iſta de ſe ſcripſit ad eruditionem & cautelam aliorum. Porro de aliis multis in Religione & auſteritate vitæ conſtitutis incredibilia fere ſunt, quæ idoneis teſtibus referentibus agnovi.

Idem ad finem Tractatus: De Examinatione doctrinarum; ponit ſequens exemplum.

Exemplum de ſeductione mulieris, quod accidit anno 1424.

Recitatus eſt nuper Lugduni Galliæ coram Clero proceſſus cujusdam mulieris delatæ & detentæ Burgi in Breyſſia, quæ eſt notabilis villa Ducis Sabaudiæ, circa quam eſt domus Ordinis Carthuſienſis. Hæc mulier ſub pallio devotionis & revelationum fingebat mirabilia. Aſtruebat enim, ſe eſſe unam de quinque fœminis miſſis à Deo compaſſivè pro redimendis innumeris animabus de inferno. Et jam ſua colluſione ſubdola deceperat in religione illa quamplurimas ſimplices mulierculas. Sciebat uniuscujusque peccata, quæ fecerat, aſpiciendo illius frontem. Hoc enim ſecundum Auguſtinum etiam diaboli malitia ſcire poteſt, & ſuis revelare, non autem ea, quæ in ſecreto cordis latent, & nullo exteriori ſigno ſe produnt. Habebat etiam ſupradicta mulier duos carbones in pede, qui eam afflixerant, quotiescunque aliqua anima ad infernum deſcendiſſet. Quotidie tres animas ab inferno liberavit; unam vel duas ſine difficultate, aliam vel alias cum pœna majore, ut dicebat. Mentis quoque exceſſus ſeu raptus extaticos frequenter habebat, in quibus mirabilia per revelationem didicerat. Eratque miræ abſtinentiæ, ſingulariſſimæ etiam vitæ. Nuper verò cum Spiritus Sanctus Eccleſiæ ſuæ hunc ſpiritum falſum detegere vellet, hæc mulier capta, & torturæ eſt addicta, quæ omnem veritatem confeſſa eſt, qualiter prædicta cupiditatis occa-

ſione finxiſſet, ut hoc modo ſe nutriret & paupertati ſubveniret. Aut fortaſſe per hujusmodi Diabolo ſe miſeram in famulam dicaverat. Inventa eſt inſuper morbum caducum habere, ac eundem ſub extaticis exceſſibus quos finxerat, palliare.

Idem L. CC. Conſid. 3. ait: Caveant, qui dati ſunt in regimine, ne leviter ſuis verbis aut factis approbent doctrinas muliercularum, vel miracula, ſeu viſiones inſolitas, ipſis maximè ſcientibus ſeu coram eis. Nulla plane poſſet dari altera talibus ad fingendum fortior occaſio. Experti pluries loquimur; & Gregorius XI. teſtis idoneus fuit, ſed tardus nimis. Hic poſitus in extremis habens in manibus Sacrum Chriſti Corpus proteſtatus eſt coram omnibus, ut caverent ab hominibus ſive viris ſive mulieribus ſub ſpecie religionis loquentibus viſiones ſui capitis; quia per tales ipſe ſeductus dimiſſio ſuorum rationabili conſilio ſe & Eccleſiam traxerat ad diſcrimen Schiſmatis imminentis, niſi miſericors provideret Sponſus JEſus, quod horrendus hucusque nimis heu! patefecit eventus. Ita Gerſon. Alius Commentator Gerſonis in hunc locum addit: Hic Papa cum eſſet Avenione, per Katharinam de Senis inductus eſt, qualiter ſe Romam transferret, Cardinalibus & cæteris diſſuadentibus; quo cum veniret, circa dimidium annum obiit. Editor Operum Gerſonis ſubjungit: *Hoc Cancellarius non ponit, nec unquam eam nominat.* Roncaglia in Notis ad Hiſt. Eccleſ. P. Natalis rectè oſtendit, non potuiſſe intelligi hìc Catharinam Senenſem.

Num.

Num. V.

Exempla Illuſionum Inſignium ex Joan. Franc. Pico Mirandulano.

De rerum Prænot. L. 9. C. 5. ait: Sanctimonialis quædam ante paucos annos à maligno ſpiritu ſub figura glorioſæ Virginis decepta, regulas, ſi rectè memini, bis duodenas miſit eodem nomine ad præcelſum quendam Regem, quibus & provinciarum ſuarum regnum temporale, & animæ quoque ſpiritale commodè ſanctèque gubernaretur. Rectæ illæ quidem & omni claritate perſpicuæ. Nonnulla quoque prædixit, quæ confirmavit eventus; adeo, ut totum ſe illius conſilio gubernandum tradere voluerit Rex, niſi uno in mendacio deprehenſum illud oraculum & Regem ipſum & ſubditos pariter ab imminenti periculo liberaſſet.

Ibid. C. 3. ait: Memini in Oppido ſuppoſito meæ ditioni fœminam quandam laudatiſſimæ converſationis ſacerdoti, cui de contractis noxis confitebatur, extra confeſſionem patefeciſſe à Chriſto ſe diebus fere ſingulis viſitari, qui ea forma videbatur, quaſi duodecim eſſet annorum, eximiam præferens pulchritudinem & ornatum; nam & illuſtri veſte, & redimiculo frontis inſignem apparere, in qua rubra crux, & inſtar pyropi fulgida radiaret; alioqui ſæpenumero monere eam ſolitum, & ad propoſitum cœptæ religionis hortari. Retulit ad me Sacerdos ille, hinc plurimùm demiratus. Hinc ſubveritum fraudem invaſit me ſtatim ſuſpicio, angelum eum eſſe Sathanæ, recordatus ornamentorum illorum quæ veluti poſitus in cruce S. Martino prætulerat, & ab eo redargutus abſceſſerat. Nihilominus percunctatus ſum de humilitate fœminæ, & de tempore, quo ſe cultui Chriſti manci-

mancipaverat. Reſpondit, humilem videri; tres tantum annos Chriſto ſerviſſe; ſed neque eximiè, adeo, ut privilegiis iſtis apta videretur. Dixi, opinari me, illuſionem eſſe. Poſt paucas hebdomadas retulit, puerum illum minutula quædam retuliſſe; conatum præterea, ut omnem dubitationem ab ea tolleret, & inſinuaſſe, ut ſignum crucis inprimeretur in vertice. Ob hæc mea mihi opinio firmata eſt; tandemque ex opinione certior factus agnovi dœmonem eſſe, cum mendacium dixiſſe ſacerdos ille compererit. Prædixit enim futura quæpiam, tempusque præfixit, præteriit tempus, nec res evenit.

Num. VI.

Exempla Revelationum probabilium ex Actis Bollandianis, & Joanne Nider.

1. PRobabilis eſt Revelatio, ſi conjunctum habeat effectum fere ſemper divinum, nempe ſimul manifeſtationem cordium & converſionem.

In Vita *B. Angelæ de Fulgineo* 4. Januarii additur ſequens Ubertini de Caſalis, viri pietate celebris teſtimonium. Vigeſimo quinto anno Religionis meæ deformatæ miro modo me Deus adduxit ad Angelæ de Fulgineo notitiam; cui ſic cordis mei defectus & ſua ſecreta beneficia revelavit JESUS, ut dubitare non poſſem, ipſum eſſe, qui loquebatur in illa; & ſic omnia dona mea prima, per meam malitiam perdita in immenſum multiplicata reſtituit, ut jam ex tunc non fuerim ille, qui fui; & totam men-

mentis meæ faciem immutavit, & infirmitates & lanquores ab anima & corpore ſic repulit, ut nullus, qui prius me cognoverit, habeat dubitare, quin Spiritus Chriſti ſit in me de novo genitus. Ac per hoc velint nolint detrahentes ſanctitati illius animæ, & mutationi divinæ, quæ ad illius meritum oritur in multorum vita, ipſa conſtituta eſt mater multorum filiorum ſpiritualium. Hucusque moderatè Caſalinus; ſed dum eam vocat Matrem pulchræ dilectionis, & ſanctæ ſpei, & quod cum illa multis venerint omnia bona, reddit ſe ſuſpectum de æſtimationis exceſſu.

2. Revelatio redditur probabilis ex eventu aut effectu minimè ſuſpecto de illuſione dœmonis, aut hominis, eo videlicet, ex quo nullum homini aut dœmoni dignoſcitur eveniſſe aut evenire potuiſſe lucrum. Talem geminam recenſet S. Gregorius M. Homil. 38. in Evang. his verbis: Res non longe ante geſtas dicimus, ſed eas, de quibus teſtes exiſtunt, eisque interfuiſſe ſe referunt, memoramus. Tres pater meus ſorores habuit, quæ cunctæ tres ſacræ virgines fuerunt; quarum una Tharſilla, altera Gordiana, tertia Æmiliana dicebatur. Quadam nocte Tharſillæ atavus meus, Felix, hujus Romanæ Eccleſiæ Antiſtes per viſionem apparuit, eique manſionem perpetuæ claritatis oſtendit, dicens: Veni, quia te in hac lucis manſione ſuſcipio. Quæ ſubſequenti mox febre correpta ad diem pervenit extremum. Hora ejus exitus multi viri fœminæque ejus lectum circumſteterunt, inter quas & mea mater adfuit, cum ſubito illa rurſum reſpiciens, JESUM venientem cœpit, & cum magna animadverſione cœpit circumſtantibus clamare dicens: Recedite, recedite, JESUS venit; cumque in eum intenderet, quem cernebat, ſancta illa anima à carne ſoluta eſt; tantaque ſubito fragrantia miri odoris aſperſa eſt, ut ipſa quoque ſuavitas oſtenderet, ipſum authorem ſuavitatis veniſſe. Hæc autem geſta ſunt ante Dominici Natalis diem, quo tranſacto mox

Digitized by Google

Æmilianæ ſorori ſuæ per viſionem nocturnæ viſionis apparuit, dicens: Veni, ut quia Natalem Dominicum ſine te feci, ſanctam Theophaniam jam tecum faciam. Quam viſionem mox moleſtia corporis ſecuta eſt, atque ita, ut dictum fuerat, ante Dominicæ apparitionis diem eadem moleſtiâ ingraveſcente defuncta eſt.

3. Inter effectus Revelationum probabilium eſt familiaritas perſonarum ſanctarum tum pro directione, tum pro conſolatione, aut commendatione ad populum tempore perſecutionum. Hujusmodi conſolatione ac commendatione egebat S. Gerlacus, eo tempore, quo maximas patiebatur infeſtationes à mundo & inferno. Itaque in ejus Vita ad 5. Januarii C. 8. legitur hoc modo: Igitur ſanctum Dei famulum, quem dœmonum infeſtatio tam frequenter tentavit, & humani cordis vecordia tam crebris injuriis moleſtavit, ne forte domus tanti turbinis violentiâ acta titubaret, Pater miſericordiarum & DEUS totius conſolationis dilecti ſui merita per prophetarum oracula mirificè declaravit. Erat eo tempore in partibus Moguntiæ virgo quædam ſanctiſſima, Hildegardis nomine, famoſiſſima illa Prophetiſſa novi Teſtamenti, cum qua familiariter locutus eſt DEUS. Hæc per manum ſanctæ memoriæ Henrici Archiepiſcopi Moguntini ſacro velamine DEO conſecrata, cum nullis litteris, niſi tantùm pſalmis Davidicis eſſet erudita, per Spiritum Sanctum edocta de divinis oraculis & Sacramentis grandia edidit volumina, quæ ab Eugenio Papa, mediante S. Bernardo Abbate Clarevallenſe canonizata, & inter ſacras Scripturas ſunt connumerata. Hæc, dum Dominum more ſolito in throno videret, & ei aſſiſtentium Sanctorum ordines, inter Confeſſorum Chorum ſedem conſpexit lucidiſſimam, & didicit, eam S. Gerlaco eſſe præparatam. Igitur in ejus amorem exarſit, & coronam, qua in die conſecrationis ſuæ ab Epiſcopo coro-

Digitized by Google

coronata eſt, ei tranſmiſit, quæ usque nunc conſervatur. Hæc Revelatio inter probabiles collocari poteſt, ſi conſideretur in ſe præciſè. An verò ipſa in S. Hildegarde multitudo revelationum, quæ juxta authores ſuſpecta eſſe debet, etiam hanc dubiam reddat, eſto aliorum judicio liberum.

4. Revelatio probabilis fit, ſi eodem tempore multis contingat. Sic in Vita Raymundi de Pennafort ad 7. Januarii C. 2. dicitur: Cum Petrus Nolaſcus, cujus Confeſſiones B. Raymundus audiebat ad captivos ex barbarorum vinculis redimendos ſuas opes alacriter conferret, pii animi officium Deus gratum habuit. Nam proxima nocte B. Virgo ſe ei conſpiciendam dedit, & acceptiſſimum ſibi ac Filio ſuo dixit, ſi ſuum in honorem inſtitueretur Ordo Religioſorum, quibus cura incumberet captivos è tyrannide Turcarum liberandi. Illa ipſa nocte B. Virgo Raymundo, & Jacobo I. Arragoniæ Regi apparuit, idipſum de Religioſis admonens. &c.

5. Revelatio aut Viſio probabilis eſt, ſi pro effectu relinquat operationem miraculoſam, v. g. repentinam ſanitatem. Sic in Vita Bonifacii Epiſcopi ad 19. Februarii dicitur: Quidam Cardinalis ægrotabat Pariſiis usque ad mortem, & Magiſter de Militon miniſtrabat ei; quo egreſſo confeſtim in viſione apparuit venerabilis Boñifacius ipſi infirmo, cui ait: Domine quid facitis, & quomodo habetis? qui reſpondit; valde debilis ſum. At Epiſcopus ſignavit digito frontem ejus, & manu ſua terſit faciem & pectus ipſius, atque ita data benedictione ſtatim convaluit.

6. Reve-

6. Revelatio aut Viſio probabilis eſt, ſi fiat eodem momento multis, & quidem in confirmationem fidei. Sic quadraginta militibus cauſa fidei in ſtagnum frigidiſſima nocte miſſis apparuerunt 40. coronæ in cœlo, qui numerus uno deficiente ſubito completus eſt à Janitore gentili, ob eandem viſionem converſo.

7. Revelatio aut Viſio eſt probabilis, ſi veniat inexpectata viro nullis viſionibus aſſueto, in dignitate conſtituto, & quidem pro ſtabilienda religione. Sic teſte Euſebio in Vita Conſtantini huic Imperatori in aere apparuit ſub ipſa pugna Vexillum Crucis, ſeu Labarum Chriſti nomine inſignitum.

8. Revelatio aut Viſio eſt probabilis, ſi fiat in circumſtantiis, in quibus nec locus eſt illuſioni phantaſticæ, nec deceptioni diabolicæ, v. g. dum S. Jacobus Hiſpanis apparet in pugna, & ipſi Mauri teſtantur ſe illum vidiſſe; quod ipſum contigit Polonis dimicantibus contra Turcas, apparente S. Stanislao in aere.

9. Revelatio eſt probabilis, dum fit ſimul pluribus perſonis in finem manifeſtè bonum. Sic ad 24 Februarii in vita S. Mathiæ Apoſtoli legitur, quod eodem tempore hic Apoſtolus apparuerit Baroni à Mærœde, exiſtenti in venatione, & ejus uxori commoranti domi adhortando ad fundandum certum Monaſterium, quæ viſio recenſetur in ipſis Litteris fundationis, quæ aſſervantur à Baronibus Merodenſibus; & in aliis Actis publicis ſynchronis.

10. Re-

Digitized by Google

10. Revelatio eſt probabilis, quæ manifeſtat arcana cordium ad emendationem, aut finem ſanctum alium. Sic in vita S. Thomæ Aquinatis C. 8. legitur hoc modo: Cum Neapoli eſſet in Choro, dum diceretur Miſſa Conventus, Portarius vocavit aliquem fratrem de Choro ad portam. Cui cum donatus eſſet paſtillus, poſtquam illum in cella depoſuit, rediit ad Chorum. Ubi cum cogitaret quomodo ſolus paſtillum comederet, & non teneretur alios invitare, quietus in Choro eſſe non poterat, quia ipſum tentatio perurgebat, cujus inquietudinis cauſam S. Thomas videns in ſpiritu, tentatum fratrem vocavit ad ſe, & ei dixit: Frater, attende quid cogitas; illud de quo tentaris non impleas. Qui cum diceret, nihil aliud cogito, quàm audire Miſſam, quæ modo dicitur; Magiſter dixit: Dic mihi, ad quid fuiſti de choro vocatus? Tunc ei ſeriatim narravit facti ſeriem, & tentationem. Tunc Magiſter, dœmonem, inquit, vidi coram te ſaltantem, & oſtendentem tibi paſtillum tuum, & cave, ne ſolus comedas, ſed aliis fratribus ex charitate diſpenſa.

11. Revelatio probabilis eſt, cum qua ſimul infunditur habitus conſtans ſcientiæ ſacræ homini alias ad eas ſcientias inidoneo, aut profectus extraordinarius conatuum. Ita legitur in vita S. Joſephi Hymnographi ad 3. Aprilis. C. 3. Cum ingenti deſiderio teneretur, S. Bartholomæum, cui templum ædificare conſtituerat, verſibus exornandi, tamen continebat ſe, metuens ne forte minus gratum à ſe illi eveniret. Itaque quadraginta diebus carnem macerans corpus Apoſtoli complectitur. Nec fruſtratus eſt hominem ſuus labor. Nam pridie ejus diei, quo feſtum Apoſtoli celebratur, videt virum linea veſte cir-

Digitized by Google

cumamictum, ac ſe avocantem. Is tollit S. Evangelii Codicem, & ejus pectori imponens: Benedicat tibi, inquit, præpotentis DEI manus, influant in linguam tuam cœleſtis ſapientiæ maria, tuique cantus univerſum orbem demulceant. His dictis viſum evanuit. Itaque ſimul ad ſcribendum verſus manum admovit, mirum quantum & ſoni ſuavitate aures demulceret, ac blanda ſententiarum vi animos percelleret ac commoveret. Nam quod eſt muſicæ genus, quod ibi non reluceret? quæ carminis ſuavitas, quæ in canentium ore non emicaret? Hinc mirificò recreabantur ii, qui in perfecta virtutis via proficere contendebant. Qui verò efferatis animi perturbationibus jactabantur, omnem ægritudinem iracundiamque iis audiendis ſedabant. Iis demum, qui gaudio lætitiaque erant affecti, præ ingenti animi voluptate lachrimæ eliciebantur. Quin ipſi Scriptores poſthabitis aliorum verſibus ex hoc uno Joſephi theſauro ingentes theſauros in ſcribendis cantionibus quotidie hauriunt. Demum omnes fere gentes ac nationes illius carmina in ſuum Idioma convertentes iis adeo delectantur, ut ſuis cantibus noctis tenebras illuſtrent, ac vigilias pulſo ſopore vel ad ſolares radios producant.

12. **Revelatio probabilis eſt, quæ diſponit ad bonam mortem.** Talem narrat Joannes Nider in ſuo libro de Viſionibus & Revelationibus L. 2. C. 3. his verbis: Audi quæſo exemplum aliud. Annis iſtis, quibus præſens duravit Baſileenſe Concilium, eidem loco Cæſareæ Majeſtatis Protector datus eſt Illuſtris Princeps Wilhelmus, Dux Bavariæ, Pater pauperum, & Tutor omnium Religioſorum, cujus quàm laudabilis vita fuerit, teſtantur orphanorum & viduarum lachrimæ, ſuper eodem effuſæ

fuſæ mortuo. Hic anno proximè præterito, poſtquam ad propria de Baſilea rediit, prout diligenti inveſtigatione ab ejus familiaribus audivi, quadam nocte ſomnium habuit, in quo cervum elegantiſſimæ ſtaturæ vidit, in cujus uno cornu campanellas, & in altero cereos plures affixos conſpexit. Venator autem quidam multis cum canibus fugientem inſecutus cervum, & evadendi ei omnes vias præcluſit. Quo viſo territum animal in cœmeterium Eccleſiæ B. Virginis, quæ in civitate Monacenſi ſita eſt, fugit. Et in apertum ſepulchrum deſcendens per canes captus & occiſus eſt. Evigilavit his viſis princeps, & ea admirari cœpit, ſollicitus quid res iſta infauſti vel ominis portenderet. Cumque die ſequenti iſta ſuis patefaceret, dixiſſe fertur, aliis variè ſomnium interpretantibus: Ego Cervus iſte ſum, & brevi vitam hanc concludens mortalem in Dominicæ Eccleſiæ loco humari volo. Ægrotavit deinde ſtatim, moriturus. Et quanquam quibusdam diebus paucis viveret, tamen ſumptis Eccleſiaſticis Sacramentis velociter ſatis vita functus eſt.

Num.

Num. VII.

Exempla Viſionum & Revelationum difficilium.

1. IN Vita Gertrudis ab Oeſten ad 6. Jan. C. 4. narratur, quod quinque ſtigmata acceperit, hoc modo: In tempore prædicto erat devota quædam Begina, nomine Lielt, habitans in eodem Delfenſi Beginagio, quæ Gertrudi prædixit, quod anno tranſacto manibus, & pedibus, ac in latere ſuo ſtigmata eſſet perceptura. Anno transacto nocte Paraſceves inſtante Gertrudis ſe proſtravit coram Crucifixo meditans amaritudinem paſſionis. Tunc DEus fecit, ut quinque ſtigmata reciperet in quinque membris corporis ſui. Suſceptis quinque vulneribus clamavit voce magna ad cohabitantem ſibi Beginam: Dievverdis veni, & vide, quantam gratiam mihi Deus fecerit, pauperi ancillæ ſuæ, quæ cum veniret, obſtupuit. Deinceps multis diebus ex vulneribus profluxit ſanguis pulcherrimus ſepties in die per ſingulas Horas Canonicas; qui cruor receptus eſt in peplis ejusdem Gertrudis ſollicitudine præparatis. Novitas iſta cunctis cito innotuit, unde non ſolùm de civitate Delfenſi, ſed & circumquaque populus multus properabant videre quæ facta fuerant. Hujusmodi concurſus Gertrudi non placuit; inſuper ſæpius propter populi frequentiam cordis moleſtias experiebatur. Igitur rogavit Dominum, rurſus à ſe tolli quinque vulnera. Exaudivit Dominus, & abſtulit gratiam quinque vulnerum, ſic quod ex eis ſanguis non emanabat, ſed ſtigmata tantum deinceps usque ad mortem conſervabat. Dehinc in circumferentia cordis magnum dolorem ſenſit. Nam conſolatione præteritæ ſuavitatis, quam tem-

tempore profluentis ex vulneribus ſanguinis habuerat, eam carere deinceps oportuit. Poſt hoc tanto deſiderio ferebatur ad eandem gratiam reſumendam, ut prorumperet in hujusmodi vocem: O ſi JESUS rurſus mihi conferret gratiam quinque vulnerum, non rogarem Deum, ut iterum tolleret à me. Hæc Gertrudis ſepties in die multis hebdomadis vel ad minus usque ad Aſcenſionem eodem anno 1340. emanavit ex vulneribus ſanguinem. Vixit poſtea annis fere octodecim, ſed imbecilli gravique corpore, propter quod Eccleſiam viſitando ſolebat bis aut ter in via quieſcendo pauſare, & quamvis gravis erat & corpulenta, tamen in cibo & potu ſobrietatis utebatur menſura. Hæc videntur ſuſpecta, ſi attendantur Authorum Regulæ; Prædictio erat non neceſſaria; deſiderium præſumptuoſum; propalatio feſtinata; effectus, utpote morbi, valde naturales. &c. Potuit tamen deſiderium provenire ex motu divino; & propalatio privata fieri potuit ex gaudio innocente accedente confidentia ad perſonam ſingulari.

2. In Actis SS. Baronti & Deſiderii ad 20. Martii narratur longa viſio, in qua S. Barontus fuit deductus in cœlum & ad infernum, ubi vidit gaudia Beatorum, & pœnas damnatorum. De his C. 3. dicitur: Dein iter agentes pervenimus ad infernum. - Ibi innumerabilis numerus Clericorum, qui ſe cum mulieribus maculaverunt - aliquibus, qui bonum in ſæculo ex parte agebant, offerebatur horâ ſexta manna de paradiſo ablatum, ſimilitudinem nebulæ habens, & ponebatur ante eorum nares & ora, & inde refrigerium accipiebant. Continuatores Bollandi in Prænotandis N. 2. dicunt: Cum S. Baronti viſionem ſecuta fuerint efficacia propoſita ſanctioris vitæ propter vivacem apprehenſionem eorum, quæ animabus poſt mortem accidunt, vera habenda eſt illius viſio, & ut talis optimique exempli ad bona opera, pœnitentiamque ſuadendam meritò in libris Eccleſiaſticis transſcripta & conſervata

Digitized by Google

fuit. Ad refrigerium verò damnatorum addunt hanc Notam. De aliquo refrigerio damnatis dato ad preces noſtras refertur in Vitis Patrum, & in Vita S. Macarii Ægyptii, 15. Januarii C. 6. ubi in Notis latè egimus de ſimili refrigerio adductis ſententiis S. Joannis Damaſceni, & S. Thomæ & aliorum. Ibi verò D. Thomas in 4. Diſt. 45. Art. 2. non concedit verum refrigerium, ſed tantùm ſolatium phantaſticum, ſicut & dœmones aliquando gaudere dicuntur quando homines ad peccata pertrahunt. Sed poſſet aliter reſponderi dicendo, quod illud Mannâ tantùm ſignificet in damnatis ſolatium quoddam negativum ex periodica ſuis ſtatis temporibus redeunte recordatione de peractis bonis operibus, quæ ſciunt eſſe cauſam, quod minus torqueantur, quàm ſi illorum loco poſuiſſent opera peccaminoſa.

3. In Vita Ven. Idæ ad 13. Aprilis C. 5. dicitur: Eodem tempore magnum nimis & vehemens deſiderium cor ſanctæ mulieris accenderat, Infantis Chriſti corporalem præſentiam corporalibus oculis intuendi, ſimiliterque ipſum cum Magis, oblatis dignè muneribus adorandi; quod quidem deſiderium per integrum annum in ejus mente fixum duraverat. Contigit in vigilia Epiphaniæ puellam quandam devotam cum ipſa pernoctare, quatenus ad vigilias matutinas in vicina Eccleſia celebrandas ea nocte procederent. Noctis ſuperveniente crepuſculo conſtratum lectulum ambabus pariter occupantibus illa quidem ad pauſandum membra compoſuit. Venerabili autem Ida in meditatione de infantia Salvatoris perſeverante tanta ſpiritualis dulcedinis abundantia ejus mens repleta eſt, ut, cum cordis anguſtia totam capere non valeret, ſingula corporis membra mirum in modum grandeſcerent, & ſeſe tam monſtroſa groſſitudine dilatarent, ut unus ex pedibus inflationis hujuſmodi pondus ferre non valens eodem tempore per medium creparet, ac per multa poſtea temporum intervalla ſuæ læſionis indicium ex vulnere demonſtraret. Videres

res ergo Venerabilem Idam conſortem puellam immenſa ſui corporis mole deprimere, ſolamque cedente ſocia lectuli latitudinem occupare. Mirabatur quidem altera vehementer, quid hæc repentina corpulentiæ latitudo portenderet, & ſemetipſam in extrema parte conſtringens, quo fine miraculoſa demonſtratio clauderetur, obſervabat. Nec mora, Dei virgo, quæ, ſicut diximus, paulo ante totum lectuli ſpatium occuparat, tota repente diſparuit, ac corporalem præſentiam alteri ſubducendo, penitus occupatum prius à ſe locum ex toto vacuum reliquit. Tunc ſuperſtitem nimis ſtupefactam & vociferantem audires. At verò Dei virgo, ſive in corpore ſive extra corpus neſcio, interim in domum quandam, angelicis ut credo manibus tranſportatam ſe invenit, ubi Dei Matrem in ſinu geſtantem Jeſulum vidit. - Poſt paululum ſubtracta viſione ſeſe juxta puellam in lectulo recubantem reperit, & viſionem narravit. Hìc deſiderium miraculi, & modus ſuſpecta videntur de illuſione dœmonis, niſi forte deſiderium provenerit ex divino inſtinctu, & groſſities corporis ſit naturalis effectus dulcedinis extraordinariæ ſupernæ, quod abſolute non repugnat in corpore ſpecialiter diſpoſito.

4. In Vita S. Lidvvinæ ad 14. Aprilis recenſentur ſequentia C. 5. Dicebat ſe quaſi omni nocte per longum ſpatium temporis, videlicet interdum unius horæ, interdum plus vel minus rapi ad cœleſtia. Rapiebatur autem & ad diverſa loca, ſcilicet ad gaudia regni cœleſtis & paradiſi, ad purgatoria quoque loca & infernalia. Ad diverſa etiam loca orbis terrarum rapiebatur, loca videlicet terræ ſanctæ, Urbis Romæ, & ad alia plura loca ſacra, ut Reliquias Sanctorum illic conſtitutas viſitaret; nec ſolùm unum, duos, vel tres, ſed fere viginti quatuor annos & quaſi omni nocte in his raptibus continuavit. Quorum raptuum occaſione cognoſcebat multas etiam Eccleſias & monaſteria, diſpoſitionem & modum ſtructuræ earum, perſonas quoque religioſas, quas

nunquam viderat, nominatim cognoſcebat. Cum autem ad talia loca raperetur, ducebatur à ſuo angelo, à quo ſæpiſſime viſitabatur & tangebatur. Apparebat autem idem angelus diverſimode, interdum in forma viri pulcherrimi, ſemper autem in magna claritate. Semper tamen in fronte præferebat ſignum Dominicæ crucis, ne ab angelo Sathanæ, qui ſibi frequenter apparebat transfiguratus in angelum lucis, deciperetur. Quando primò rapiebatur, in illa ſeparatione ſpiritûs ab animali corporis parte tantam circa vitalia pectoris & corporis patiebatur anguſtiam, quod vix prævalens trahere anhelitum putabat ſe morituram. Poſtmodum autem aſſuefacta hujusmodi raptibus non ſentiebat tales anguſtias; & cum ſpiritus ejus ad prædicta loca raperetur, corpus ejus quaſi mortuum & exanime remanebat in lectulo, adeo quod ſi quis illam tetigiſſet, illa non ſenſiſſet. Etiam aliquando corporaliter ad diverſa loca rapi meruit. Dicebat autem, quod ita ſicut jacebat in lectulo etiam cum ipſo lectulo & corpore nonnunquam ultra ſolarium cellulæ, in qua jacebat, ſurſum elevabatur. In exercitiis Dominicæ paſſionis etiam corpore interdum ab angelo rapi ſolebat ad loca terræ ſanctæ. Aliquando reverſa ab illis oſculis Dominicæ Crucis aut vulnerum Chriſti, quæ oſculabatur in terra ſancta, in labiis ſuis impreſſa quædam ulcera reportabat. Tunc ait angelus ei; hæc ulcera propterea in corpore tuo ſuſcepiſti, ut ſcias te etiam in corpore eſſe raptam. Semel cum in ejusmodi raptu lapſum dextri pedis pateretur, & ex lapſu divaricationem, in exteriori talo inflationem, & denigrationem & dolorem reportavit, ex quo pluribus diebus torquebatur. Quadam vice in raptu viſitando Eccleſias Romæ ventilando brachia inter arbuſta ſpinam in digito reportavit; ex qua per biduum dolore torquebatur. Sæpius mira claritate circumfuſa reperta eſt; jacebat autem ſemper in tenebris, eò materiale lumen ejus oculis intolerabile foret. Sed & mirabili ſuavitate odorum tam ipſa quàm cella ejus inventa eſt redolere. In nocte Nativitatis Dominicæ ſole-

ſolebant ubera ejus lacte intumeſcere. Quodam anno hanc gratiam ab angelo ſuo obtinuerat, quod Confeſſarius ſuus lac ex ſuis uberibus ſugeret, ſed dum ille propter ſolennitatem intravit Eccleſiam, ſicut horam ſtatutam non ſervavit, ſic nec gratiam promiſſam guſtavit. Habebat virgam ſeu baculum, qui tempore incendii cujusdam ablatus eſt. Hujus loco angelus inviſibiliter in lecto ipſius depoſuit aliam virgam nodoſam, odoriferam, quam poſtea compertum eſt eſſe cupreſſinam. Poſt hæc angelus more ſolito eam perducit ad paradiſi gaudia. Ibi ei oſtendit angelus arborem cupreſſinam, unde quaſi præcipitanter lignum illud abruperat. Lignum illud poſtea cum ab adventantibus videretur & tangeretur, ob attactum cujusdam hominis amiſit fragrantiam. Anno 1428. dicebat ſuo cognato Nicolao, & Confeſſori ſuo, quod vellet ſola manere usque ad tertiam vel quartam poſt meridiem. Itaque diſceſſerunt, ſed Confeſſor regreſſus latenter intravit virginis cellam ad explorandum, quid circa eam fieret. Putante itaque virgine ſe ſolam eſſe tranſacta fere hora poſt meridiem ingreſſus ad eam angelus circumvolabat circa eam infra lectiſternium in quo jacebat, ſed amplius non appropinquabat. Interrogante illa, an ſua culpa accideret, quod non appropinquet, reſpondit; nequaquam; ſed propter præſentiam ejus, qui præſens eſt in cella & nititur ſcrutari gratiam. Tunc Confeſſor ei faſſus eſt, ſe fuiſſe præſentem. Poſt hoc quadam vice rapta eſt in cœlum, ubi B. Virgo ad eam dixit. Sic veniſti nudo capite; viſne ſertum ſuper caput tuum? annuente ipſâ B. Virgo dixit: Accipe hoc ſertum ſuper caput tuum, quod non niſi ſeptem horis poterit eſſe ſuper terram, & trade illud in manu Confeſſoris tui, ut illud ponat ſuper caput imaginis meæ, quæ eſt in Eccleſia. His dictis reverſa ad corporeos ſenſus detraxit manu ſertum è ſuo capite, quod erat cærulei coloris, rugoſum, & fragrantiſſimum. Tunc ipſa nocte juſſit celeriter excitari ſuum Confeſſorem, ut ſertum imponeret imagini B. V. Confeſſore cauſante, quomodo poſſet

Digitized by Google

intrare Eccleſiam, cum nondum dies eſſet, dixit: Ite cito, & à cuſtode aperire petite. Eodem autem ſertum imponente B. Virginis imagini, & coram imagine orante angelus ſertum retulit, unde allatum fuerat. Cuſtos autem interea aliò abſceſſerat. &c. &c. Hæc quidem videntur difficilia, ſed quis neſcit luſus amorum varios Sponſi divini, & SS. Angelorum cuſtodum erga animas innocentes? Iraque in iis, quæ dubium eſt fiantne operatione divina, an verò operatione dœmonis, rectè ex ſanctitate vitæ aliunde certa in meliorem partem ſumitur præſumptio, aut ubi de ſanctitate perſonæ liquidò non conſtat, ſuſpenditur judicium.

5. In Vita B. Gerardeſchæ Piſanæ ad 29. May leguntur C. 4. hæ viſiones: Sancta dixit, quod dum quadam die, ut erat ſolitum, anima ejus portaretur in cœlum, vidit ibi planitiem ingentem, quæ vocatur Comitatus Jeruſalem ſanctæ Civitatis. - Ibi cum B. Maria preces effundit pro aliquibus filio, S. Joannes illi ſublevat coronam de capite, quam angeli reverenter ſuſcipiunt & conſervant; & illico Chriſtus aſſurgit ei. - Neceſſarium eſt igitur quasque petitiones, Deo Patri oblatas, per Mariam obtineri. - In Dominicis diebus B. Joanne Miſſæ myſteria celebrante, omnibus Sanctis Clericis in unoquoque ordine adſtantibus Officiis Miſſæ B. Maria Virgo Euchariſtiam pro peccatoribus omnibus ſeptem vicibus ſumit, & miro modo, cum *Dominus vobiſcum* dicitur, ab omnibus reſpondetur. Nullusque ibi audet canere Miſſam, niſi B. Joannes, nec aliquis communicare eſt auſus, niſi B. Virgo, quod utique tantum fit in feſto Natalis Domini, in Epiphania, in Reſurrectione & Aſcenſione, in Pentecoſte, in Annuntiatione, & Aſſumptione B. Mariæ. - Iterum dixit: Cum eſſem in Eccleſia B. Stephani, audivi choros pſallentium in cœlo; & Ecce angeli aſcendebant & deſcendebant; & miſcebant de nobis coram Altiſſimo bona & mala. Chriſtus gratulabatur,

Digitized by Google

labatur, cum bona nova ſuorum fidelium audiebat. Angelis autem, quorum cuſtodiæ animæ damnatorum fuerunt traditæ, nunquam de cætero erunt animarum cuſtodiæ aſſignatæ, quoniam quas ſub ſua cuſtodia habuerant, damnabantur. Sic illa. Hæc mirum eſt, ſi non pertineant ad illuſionem phantaſiæ.

6. In Vita B. Æmiliæ in Appendice ad 3. May C. 4. habentur ſequentia: Aliquando diebus continuis plurimis abundantia imbrium laboraverat terra, iisque avertendis variæ Novennæ Supplicationesque fuerant fruſtra inſtitutæ. Orabat etiam eo fine Æmilia, cum ſibi Deum videre viſa eſt ſereno in aëre; Mariamque Virginem ſe conſolantem blandè, dicentemque audivit: Filia mea, ne dubites, quin exaudiendæ ſint orationes tuæ. Volo autem docere te brevem orationem, qua tali occaſione poſthac utêris. Accipies ergo Cereum Paſchalem cum Cruce & aqua benedicta, & comitantibus te proceſſionaliter ſororibus ſignabis deinde ſola aërem ad quatuor mundi partes, ad ſingulas cruces dicendo *Credo*, & *Verbum caro factum eſt & habitavit in nobis.* Per ſignum de inimicis noſtris libera nos Deus noſter (ad hæc autem verba crucem formabis) in nomine Patris & Filii, & Spiritus Sancti. Amen. Denique regreſſa in locum opportunum recitabis Letanias honori meo compoſitas cum Hymno, Maria Mater gratiæ, mater miſericordiæ, tu nos ab hoſte protege, & hora mortis ſuſcipe. Hæc ſi in tempeſtatibus obſervaveris, videbis in momento redire ſerenitatem; immo ob tui amorem ſimiliter exaudientur, quicunque eadem uſurpaverint. Hæc iterum forte ſunt illuſiones phantaſiæ.

7. In Vita B. Chriſtinæ Stumbelenſis multa narrantur mira. Petrus, qui ejus viſiones & actiones deſcribit: C. 2. ait: Cum invitata ad menſam Plebani nos invitaret ad aquam manibus noſtris affundendam, ſtatim prorupi in verba Eliſabeth,

Digitized by Google

ſabeth , ut veniat mater Domini mei ad me. Facto prandio explicante me quatuor proprietates Seraphinorum in tantam venit affectionem cordis, ut loquenti famulæ non adverteret. Dum ſic occupata erat ſpiritu, vidi manum ſiniſtram, in qua erat efformata crux Dominica, colore ſanguineo rubens, nec colore nec cruore tantùm depicta, ſed & pulcherrimis floribus adornata, ut cuilibet pateret, quod eam ars humana nunquam effigiaſſet. Sed C. 3. eandem rem idem author aliter narrat his verbis: Tempore, quo cum ea comedimus, tertia vice ſigna paſſionis in manibus ejus ſum contemplatus, quorum modus hic erat. In medio palmæ utriusque manus vidi vulnus; caro enim nuda apparuit ad latitudinem unius ſterlingi formam habens rotundam, non pictam, ſed carni absque notabili profunditate impreſſam, quod & per octo continuos dies perſeveravit, licet ſucceſſivè & paulatim per ſingulos dies minueretur. In eadem vita leguntur alia mirabilia paradoxa, v. g. quod Sacerdotes illam inviſentes decumbentem in lecto à dœmone fuerint conſpurcati ſtercore humano; quod dœmon illi ſemel abſtulerit crus, ac dein iterum reſtituerit;

Num.

Digitized by Google

Num. VIII.

De Revelationibus S. Gertrudis.

INter primaria Germaniæ decora admiror valde ac veneror S. Gertrudem, Monialem ex Ordine D. Benedicti in Saxonia circa annum 1300, quæ cum eximia eruditione in Scriptoribus latinis, tam profanis, quàm Sacris, præſertim in D. Auguſtini operibus, conjunxit ſanctitatem morum, & familiaritatem cum Deo admirandam; ut enim erat ingenii vivaciſſimi, videtur propemodum exhauſiſſe artem amandi ſacram, & modos amantium ſuaviſſimos; nec dubito, eam habuiſſe Revelationes verè divinas, eò quod tam manifeſta in iis reſplendeant ſuperna lumina, ut non videantur alium agnoſcere poſſe fontem, quàm Patrem luminum Deum. Cum tamen, ſicut parte 1. ipſis expertiſſimorum teſtimoniis oſtenſum eſt, concurrere poſſint cum ſupernis illuſtrationibus ac viſionibus operationes phantaſiæ, difficillimumque ſit, etiam in perſonis ſanctis illuſiones phantaſiæ aut etiam ſubin dœmonis à divinis immiſſionibus diſcernere, non repugnat ſanctitati hujus Sponſæ divinæ illuminatiſſimæ, ſi inter ejus viſiones reperiantur aliquæ, ad quas attenta conſideratione opus ſit, ſintne à DEO, an verò ab illuſione ſaltem phantaſiæ, ob perpetuam cum DEO familiaritatem aſſuetarum viſionum æmulæ, & ex cella Sponſi vinaria ebriæ. Meum quidem non eſt, judicare animas ſanctas, quas ad me judicandum ſcio ſeſſuras cum judice, quarumve ut in mortis diſcrimine periclitantem ab inſidiis dœmonum tueantur, exoro ſubſidium; quia tamen intereſt Eccleſiæ, ne à Scriptoribus indiſcriminatim ſine ullo examine ac ſine ulla diſtinctione ejuſmodi revelationes ſpargantur in populum, nec aliud appareat congruum corrigendi abuſus remedium, cedent eam partem, ſi qua eſt, ſui magni nominis commodis Eccleſiæ, ut indulgeant, in earum viſiones inquiri,

quiri, certasque ſeparari poſſe à dubiis, ut illæ pro uſu Eccleſiaſtico publico ad ædificationem fidelium retineantur; hæ verò cum honore dimiſſæ venerabundo ſilentio in ſuo valore relinquantur. Hanc ipſiſſimam viam mihi ſapientiſſimè ingreſſa videtur S. Congregatio Indicis, dum ipſum corpus Revelationum S. Gertrudis legi permittit, eò quod ejusmodi libri communiter ſolis ſerviant doctis, excerpta tamen, quæ parantur in uſum indocti vulgus, in Indicem Expurgatorium retulit; ſic enim ante duos annos cenſuram S. Congregationis Indicis ſubiit *Vade mecum Sacerdotum*, quod ex variis Gertrudianis viſionibus, promiſſionibus, ac precibus magna parte conſarcinatum erat. Cum itaque & ipſe ſcribam pro doctis, ut in excerpendis Gertrudianis devotionibus pro populo prudentes ſint, ſubjiciam deſignationem Locorum difficilium in Revelationibus Gertrudianis reperibilium, addita aliquoties ratione dubitandi, an non ad operationes potius phantaſiæ, quàm immiſſiones divinas referri queant? Ego quidem, ut præmonui, ob reverentiam erga Sanctam, quam ſummopere æſtimo ac veneror, meum non interponam judicium; id aliis relinquo, quibus ex concredita à Deo authoritate id muneris incumbit, ut pro directione ſuorum ſubditorum apertiorem ferant ſententiam, non difficile tamen quibusvis etiam aliis fuerit, pro directione ſua dignoſcere, certiorne ſit cujuslibet controverſæ in particulari Revelationis divinitas, an fallibilitas? quidve Sapientis Chriſtiana moderatio exigat in caſu, quo major ſtat pro illuſione phantaſiæ pia, quàm pro inſpiratione præſumptio.

Deſi-

Deſignatio
Locorum difficilium, in Revelationibus Gertrudianis reperibilium.

I. IN his revelationibus dicitur, quod S. Leo Papa ob contactum mulieris ſibimetipſi manum abſciderit. Hoc verò ut fabula agnoſcitur à Binio, & Baronio. Binius in Notis ad Acta Conciliorum in vita Leonis ait: *Fabuloſum eſt, quod occaſione mulieris manum oſculantis oblectationem humanam paſſus dexteram ſibiipſi præſciderit. Occaſionem fabulæ dediſſe videtur id, quod ſcribitur de S. Damaſceno, qui cum à Leone Imperatore Iconoclaſta dextera mutilatus eſſet, ſanatus eſt à B. Virgine, DEI Genitrice.* Et Baronius ad annum 461. de S. Leone loquens Num. 8. ait: *De eodem Sanctiſſimo Pontifice quædam indigna Chriſtianis auribus irrepſit ſine ulla majorum authoritate jactata fabella, quæ à recentioribus tamen nonnullis abſque delectu cuncta conſarcinantibus, & ſive ſint vera, ſive falſa, minime diſquirentibus, vel ſaltem leviter dubitantibus, ſcriptis aſſeritur; nempe S. Leonem, cum formoſa mulier ejus manum eſſet exoſculata, paſſum quid oblectationis humanæ, ob eam cauſam in ſe ipſum ultorem ad excidendam dexteram ferro armaſſe ſiniſtram; ſed oranti ipſi ad Dei Genitricis imaginem, ab eadem ſectam manum fuiſſe reſtitutam. At nugæ ſunt iſtæ, & garrularum fabulæ vetularum. Quod enim S. Joanni Damaſceno contigit, cùm ab Iconoclaſta Leone mutilatus eſt dextera, & ſanatus à Virgine, inverſa hiſtoriæ veritate, Leo Papa præciſus manu jactatur, & à Deipara eâdem reſti-*

Digitized by Google

reſtitutus aſſeritur. Sed faceſſant commenta hæc; quorum imago picta juſſu Clementis Papæ octavi conſultis viris doctis abradi juſſa eſt, quod nulla penitus ſit veritate ſubnixa, vel ſaltem veri ſimilitudine colorata, ſed leviſſimè in vulgus ſparſa, inſtarque ſomniorum effuſa, ut ſolent nugæ reliquæ ab otioſis effingi. Deſcriberem hîc, quæ ad refellendam fabulam hanc juſſus conſcripſi, ſi id alicujus ponderis quæſtio, & non quæ ſua levitate evaneſcit, exigeret. Ita Baronius. Videamus jam, quid de hac re contineant Revelationes S. Gertrudis? L. 4. C. 44. ſic habent: *Sancti Leonis Papæ feſtum dum eveniſſet, &* (S. Gertrudes) *orationi devotius inſiſtens conſpiceret eundem venerabilem Antiſtitem in valde mirabili gloria, memor, quod idem legitur ſibi manum propriam abſcidiſſe pro devincenda tentatione, collaudabat intenſius Dominum pro conſtanti victoria, qua ipſum tam glorioſè fecit triumphare, orans, ut per ipſius merita donare dignaretur cuidam perſonæ, ut in omnibus tentationibus poſſet triumphare. Tunc edocta eſt à S. Leone Papa, ut inſtrueret illam perſonam, pro qua orabat, quod quandocunque accedere debet ad aliquem locum, vel opus, in quo ſuſpicatur occaſionem tentationis, ſemper dicat verſum: Fiat Domine cor meum & corpus meum immaculatum* &c. &c. *Hinc dum* (S. Gertrudes) *accederet ad Communionem, adeſſe ſibi intellexit S. Leonem, devotè pro ea Domino ſupplicantem, ut ipſa per ſuſceptionem ejuſdem Sacramenti mereatur eandem ſuavitatem divini influxus ſentire, quam ipſe Sanctus Papa ſenſit in Miſſa illa, cum primò recuperata per virgineam matrem abſciſſa manu ſua divina celebraret myſteria. Cujus precum interventu, cum Dominus abundantiam divinæ pietatis ſuæ huic dignantius infudiſſet, donavit ei etiam omne meritum, quo idem beatiſſimus Papa refulget in cœlis pro tam veneranda victoria ſuæ tentationis ſublimatus. Et hoc propterea benignus perfecit Dominus, quia* (S. Gertrudes) *ex humilitate ſemper timebat, ſe carere prœmio caſtitatis, cùm ex nimia puritate cordis nullis*

nullis carnalibus tentationibus à Domino permitteretur impugnari. Sicque talem defectum ſuum, quem cauſabatur, Dominus illi ex meritis hujus Sancti ſupplebat. Inſuper addidit ei Dominus omne meritum, quod illa perſona, pro qua oraverat, ſi ſecundum inſtructionem ſuam tentationes viriliter ſuperaret, eſſet adeptura. Ita Revelationes S. Gertrudis. Ad hanc difficultatem forte quis reſpondebit, ſibi certiorem eſſe revelationem S. Gertrudis, quàm præſumptiones ex Binio & Baronio.

II. In his revelationibus dicitur, quod in Nativitate Domini omnes Sodomitæ per totum orbem occiſi ſint; atqui hoc videtur incredibile, ergo: Revelationes L. 4. C. 2. ſic habent: *In Nativitate Domini Pater cœleſtis Gertrudem blandè alloquens ait: Ecce, immitto animæ tuæ affectum illum, quem præmiſi ante faciem Unigeniti mei ad purgandum mundum à peccatis ſuis, (ut patuit in Sodomitis, quos omnes ipſa nocte Sanctiſſimæ Nativitatis interemptos legitis) quò & tu plene purgata ab omni macula ad feſtum inſtans præpareris.* Sic illæ. Quod verò hæc Sodomitarum interfectio incredibilis ſit, ex eo videtur colligi, quia inter gentiles tot erant Sodomitæ, ut ſi omnes fuiſſent interempti, neceſſariò major ſtrages futura fuiſſet, quàm in primogenitis Ægypti. Incredibile autem videtur, quod de tali ſtrage nulla fieret mentio in Scriptoribus ethnicis, aut ſaltem Chriſtianis primorum temporum, dum ſcribunt contra Gentiles redarguendo Idololatrarum Gentilium luxuriam, prout faciunt Tertullianus, Juſtinus, & Origines, & Lactantius, & Auguſtinus De Civitate Dei; vel dum invehuntur contra vitium Sodomiticum, prout faciunt D. Paulus, & Judas Apoſtolus, & Chryſoſtomus L. 3. C. 7. *Contra Vituperatores vitæ Monaſticæ.* Dein iſta hiſtoria in nullo antiquo Scriptorum primorum mille annorum legitur, ſed tantùm annotata eſt,

 à fa-

à fabularum conſarcinatore Jacobo de Voragine, qui ſcripſit circa annum 1262, adeoque paulo ante Revelationes has Gertrudianas, ſcriptas circa annum 1300; & qui eodem Capite, quo hanc cladem enarrat, manifeſtis aliis ſcatet fabulis. Probo aſſertionis meæ membra ſingula. Primò oſtendo, vitium Sodomiæ apud Gentiles fuiſſe frequentiſſimum. D. Paulus in Epiſtola ad Romanos C. 1. ait: *Tradidit illos Deus in paſſiones ignominiæ. Nam fœminæ eorum immutaverunt naturalem uſum in eum uſum, qui eſt contra naturam; ſimiliter & maſculi relicto naturali uſu fœminæ exarſerunt in deſideriis ſuis in invicem maſculi in maſculos turpitudinem operantes.* Hæc loquitur Apoſtolus de Gentilibus, quibus exprobrare paucorum vitium fuiſſet inconveniens, & indignum Apoſtolo. Itaque hoc vitium apud Gentiles erat frequentiſſimum, quod plane mirum non erat, cum ſummum Deorum Jovem haberent in hoc genere Magiſtrum & Gonymedem condiſcipulum. Sic & Hirtius de ſuo Cæſare, quem comitabatur, in L. de bello Hiſpanico, non erubeſcit referre, eum libertum quempiam habuiſſe *concubinum.* Rurſus Apoſtolus in Ep. 1. ad Corinthios C. 6. ait: *Nolite errare; neque fornicarii, neque molles, nec maſculorum concubitores regnum Dei poſſidebunt.* Quàm frequens & hoc loco concubitus maſculorum fuerit, ex eo colligitur, quod Corinthi fuerit Sedes & Schola omnis impudicitiæ. Strabo L. 8. dicit: *Fanum Veneris Corinthi ita fuit locuples, ut plures quam mille habuerit ſacrorum famulas meretrices, quas Deæ viri mulieresque dedicarunt; ob hæc igitur & magna hominum multitudo in ea urbe, & divitiæ fuerunt; Naucleri enim ſua facile prodigebant. Unde adagio locus. Non eſt cuivis Corinthum adire integrum.* Item Suidas V. Κοτύς ait: *Cotys dæmon apud Corinthios colitur præſes effœminatorum & impudicorum, ſive illi ob turpem quæſtum, ſive ob fœdam libidinem aliave de cauſa pudicitiam proſtituant.* Ita Suidas. Quis non videt, Apoſtolum habuiſſe optimam occaſionem, maſculorum

con-

concubitoribus Corinthiis inculcandi ſeveriſſimam vindictam Numinis in hujusmodi ſcelera, extantem adhuc in hominum memoria, ſi tempore Nativitatis Dominicæ generaliter in orbe interiiſſent in una nocte ſimul tales improbi, ut olim in Ægypto primogeniti? non potuiſſet non habere præſentem dum ſcribebat, tam celebris rei memoriam; nec potuit habere ullum motivum reticendi argumentum tam efficax, & motivum tam accommodum; Cum ergo nec ipſe, nec ullus SS. Patrum meminerit facti, haud dubiè non eſt credibile, extitiſſe. Verum pluribus adhuc oſtendendum, Vitium Sodomiæ apud Gentiles fuiſſe generale. Seneca, qui eodem fere, quo Chriſtus, anno natus eſt, utpote à Nerone neci traditus anno Incarnationis Dominicæ 65. ætatis ſuæ 64, hoc vitium ſuo tempore etiam in fœminis graſſatum fuiſſe lamentabiliter teſtatur, his verbis Epiſt. 95. *Fœminæ cum virorum licentiam æquaverint, corporum quoque virilium vitia æquaverunt; non minus potant, libidine verò nec maribus cedunt, pati natæ; Dii illas Deæque malè perdant; adeo perverſum commentæ genus impudicitiæ, viros ineunt.* Cornelius à Lapide in Epiſt. ad Rom. C. 1. ad hunc locum Senecæ addit: *Græcis hæ fœminæ Tribades dictæ, id eſt, fictrices, quarum meminit Tertullianus de Pallio. De his agit impuriſſimus Lucianus Dialogo Clonorium & Leæna. Hæc invitus, licèt ſcripſi ad hoc, ut ſciant Confeſſarii fœminas quoque ut viros peccatum mollitiei committere, ut Galenus, & experientia docet, & ſicut illud in ſe exercent, ita & in alios exercere nefandis modis.* Ita Cornelius, quem propterea adduxi, ut pateret, locum Senecæ de mollitie ac Sodomia intelligendum eſſe, & hoc vitium etiam frequens fuiſſe tempore Nativitatis Dominicæ in Græcia. Confirmatur ex Clemente Alexandrino, qui L. 3. Stromatum C. 3. ſic habet: *Ergo verò etiam eorum, qui ab iis, qui mancipia venundant, veneunt, puſionum miſereor, & tamen probro & ignominia non à ſeipſis afficiuntur, ſed juſſu alieno ad turpem quæſtum*

Digitized by Google

ſtum miſeri ornantur; qui autem ſua ſponte, libenteſque ac volentes ea faciunt, quomodo non exſecrandi? at nunc quidem vita eo proceſſit intemperantiæ, inſultante & laſciviente iniquitate, & quidquid eſt impudicum & libidinoſum, diffuſum eſt in civitatibus, & pro lege habetur. Apud ipſos ſtant in fornice mulieres carnem ſuam ad probrum voluptatis venundantes, & pueri docti abnegare naturam mulieres ſimulant; omnia immutavit luxus, hominem probro ac dedecore affecit; mollis & luxurioſa & ſuperflua curioſitas quærit omnia, omnia aggreditur, naturam confundit, viri patiuntur muliebria, & fœminæ præter naturam viros agunt, & nubunt uxoreſque ducunt fœminæ; nullus eſt meatus, ad quem non pateat aditus impudicitiæ. Hæc civilis noſtræ intemperantiæ oſtenduntur trophæa. Et C. 4. de Servis agens ait: *Ab aliis exercentur formoſorum adoleſcentum greges tanquam pecorum, quibus emulgent pulchritudinem. Sunt & Eunuchi multi iique lenones iis qui volunt vacare voluptati inſervientes citra ullam ſuſpicionem.* Peyrlingus in ſuo Theatro V. Sodomia ſic habet: *Ex veteribus hiſtoriis Ethnicorum manifeſtum eſt, hoc genus flagitii apud Græcos & Romanos fuiſſe vulgatum & publicum, & à multis levi in crimine habitum. Apud Ciceronem Cotta Romanus Senator & Orator ait: Concedentibus antiquis Philoſophis adoleſcentibus delectamur. Idem Cicero L. 1. De natura Deorum, dolet emanaſſe hoc genus flagitii è Gymnaſiis Græcorum, in quibus iſtiusmodi conceſſi ſunt amores, idemque queritur Magiſtros virtutis Philoſophos, & horum principem Platonem magnam huic turpitudini authoritatem tribuiſſe.* Sic ille. Ex quo iterum patet, Sodomiam tempore Nativitatis Dominicæ fuiſſe communiſſimam, cum Cotta & Cicero paulo ante illam obierint. De perverſitate Gentilium quoad hoc vitium etiam teſtatur Lactantius L. 6. Inſtit. C. 13. ubi ait: *Quid poteſt eſſe ſanctum iis, qui ætatem imbecillam & præſidio indigentem libidini ſuæ depopulandam, fœdandamque ſubſtraverint? non ſufficit eis ſe-*

xus

Digitized by Google

xus à Deo datus, niſi & ſuum profanè & petulanter illudant. Hæc tamen inter illos lævia, & quaſi boneſta ſunt. Sic ille. S. Athanaſius Orat. Contra Idola quoque ait: *Idololatria inſtituta eſt deſiderio eorum, qui ſtupris & propudiis pleni figmentis repræſentantur; & pœne omnes civitates omnibus libidinibus ſcatent ob immanitatem morum, quam in ſuis Diis conſpiciunt; neque eſt in hoc genere Deorum, quem caſtum appelles. Olim certè Phœniſſæ mulieres ante Idola proſtituebantur. Viri quoque abdicato ſexu nec ſe amplius mares eſſe ferentes mulierum naturam affectaverunt, tanquam ita honorifica grataque matri Deorum facturi eſſent. Omnes autem in turpiſſimis vivunt, & ut dixit S. Paulus. Mulieres eorum mutaverunt uſum.* Poſſent plura adduci talia de Sodomia Gentilium etiam in publicis Scenis teſtimonia; unum addam ex S. Chryſoſtomo, quo teſtatur, ſuo tempore ſic invaluiſſe iſtud vitium, ut in tam vaſta urbe Antiochena pauciſſimos ex junioribus eſſe aſſerat, qui illo infecti non ſint. L. 3. contra vituperatores Vitæ Monaſticæ ſic habet: *Nihil jam ad impudicitiæ rationem fornicatio eſſe exiſtimatur; periclitatur jam ſexus muliebris, ne ſuperfluus fiat, adoleſcentibus vices ejus omnes implentibus. Tantum ſcelus incredibili audacia, ſummaque jam libertate admittitur, flagitiumque lex facta eſt. Mediis in civitatibus velut in ſolitudine ingenti maſculi in maſculos turpiter deſæviunt, horrendumque flagitium in alterutrum committunt; quod ſi tamen aliqui hos laqueos effugere potuerint, opinionem tamen, quod ſint ejusmodi, difficulter effugient, eò quod ipſi ſint pauciſſimi.* Ita Chryſoſtomus. Ex quo patet, quod etiam jam repurgato gentiliſmo inter Chriſtianos illa peſtis denuo repullularit. Quod ſi hæc in viridi; in arido, hoc eſt, in ipſo gentiliſmo quantam fuiſſe hujus ſceleris licentiam credendum eſt?

Digitized by Google

Itaque ſatis jam demonſtratum eſt, crimen Sodomiæ tempore Nativitatis Dominicæ fuiſſe frequentiſſimum ac adeo commune, ut ſi omnes Sodomitæ fuiſſent interfecti, longè major una nocte futura fuiſſet ſtrages, quàm olim in primogenitis Ægypti. Jam verò incredibile eſt, tantæ univerſalis vindictæ divinæ nullam exiſtere memoriam in ſcriptoribus antiquis ethnicis vel Chriſtianis. Videtur pertinuiſſe ad providentiam Dei, ut tanta rei memoria commendaretur poſterorum memoriæ, adeoque ut excitaretur aliquis ſcriptor ad hiſtoriam hanc terribilem annotandam. Decuit, à D. Paulo eam inculcari ſuis Corinthiis maſculorum concubitoribus. Patres, qui ſcripſerunt Apologias pro Religione Chriſtiana, ut Tertullianus, Juſtinus, Origines, &c. non debuiſſent hujus graviſſimi argumenti obliviſci; illi præſertim Patres, qui gentilibus exprobrabant nefanda libidinis ſcelera, ac in ſpecie Sodomiam, ut Athanaſius, Nazianzenus, Auguſtinus, non poterant non cogitare de facto tam publico, tam memorabili, tam ſtringente; & ſi de eo non poterant non cogitare, non facile poterant in occaſione tam opportuna id omnes unanimiter ex univerſali negligentia omittere. Id prohibent Leges contingentium, quæ non procedunt uniformiter in circumſtantiis tam variis ac opportunis. Denique & D. Chryſoſtomus, dum adducit omnia exempla divinæ vindictæ contra Sodomitas, dum exaggerat exemplum triſte Sodomæ, dum inquirit omnia abſterrentia argumenta contra hanc in ſua Urbe Antiochena graſſantem peſtem, hoc ſolum exemplum non reperit. Dic mihi, an poſſibile, ut ignoraverit? aut credibile, quod ſcienter prætererit? quod ignoraverit, dici non poteſt, quia in facto publico tam memorabili impoſſibile eſt, ut non ingrediatur omnium oculos, mentes, diſcurſus; hoc poſito impoſſibile eſt, ut non pervenerit in notitiam etiam puerorum, ac juvenum, quorum poſtea plurimi receperunt legem Chriſtianam; itaque memoria facti tranſire debuit in Religionis Chriſtianæ Scriptores & Antiſtites; ii debuerunt diligentius inquirere,

&

Digitized by Google

& deprehenſa veritate annotare circumſtantiam nativitatis Dominicæ præcipuam, univerſalem, toti orbi notam, adeoque ad demonſtrandum omnium aptiſſimam, ac exinde quaſi ſumere converſionis in materia Religionis Epocham. Hoc niſi facerent, non agerent provide, ſed committerent negligentiam quæ ne quidem in rerum ſuarum negligentiſſimum cadere poteſt; cum nemo jactet ſumma negotii ſummi momenta, quæ & invicta ſunt, & palpabilia, & captui omnium accomodata, & ſine labore comparari aut ſervari poſſunt. Tanta negligentia tam univerſalis in primis authoribus noſtræ fidei juxta Leges Contingentium eſt incredibilis. Si ergo D. Chryſoſtomus, & alii Patres non habuerunt hujus facti notitiam, dicendum, non eſſe credibile, quod extiterit.

Dices: Chriſtus in præfata revelatione hanc hiſtoriam non narrat S. Gertrudi tanquam novam, ſed eam remittit ad hiſtoriam Eccleſiaſticam his verbis: *prout legitis.* Accidit, quod communis habeat traditio, Ovidium in ipſa nocte Nativitatis Dominicæ interiiſſe ob hujusmodi vitia; *Reſpondeo*, verum eſſe, quod iſta hiſtoria jam fuerit ſcripta ante revelationes Gertrudianas; ſed fuit ſcripta in conſarcinatore omnium fabularum, & fundata in aperto mendacio, aut errore. Ovidium autem interiiſſe in nocte Nativitatis Dominicæ pariter eſt imperita fabula convicta falſitatis. Omnia meæ reſponſionis membra demonſtro.

Dixi primò. Hoc figmentum jam prius ante revelationes Gertrudianas conſignatum fuiſſe à conſarcinatore omnium fabularum. Per hoc intelligo Jacobum de Voragine, qui ſcripſit circa annum 1260, adeoque ante revelationes Gertrudianas. Is in ſua *Hiſtoria Lombardica*, ut vocatur, De Nativitate Dominica ſic habet: ***Nativitas etiam manifeſtata eſt per Sodomitas, qui omnes in toto mundo illa nocte extincti ſunt, ſicut dicit Hieronymus***

ſuper illud: Lux orta eſt eis, tanta ſcilicet, quod omnes laborantes in illo vitio extinxit, & hoc fecit Chriſtus, ut omnes eradicaret, ne in natura, quam aſſumpſerat, tanta de cætero immunditia inveniretur. Nam, ut dicit Auguſtinus: Videns Deus vitium contra naturam in humana natura fieri fere deſiit incarnari. Ita Januenſis, ſeu Jacobus de Voragine.

Dixi ſecundò. Hunc authorem eſſe conſarcinatorem omnium fabularum. Id demonſtro ex eo, quia hoc ipſo loco, ubi agit de Nativitate Dominica, conſarcinat omnes fabulas, manifeſtè falſas. Addam tantùm unam vel alteram. Itaque ſic habet: *Nativitas Domini fuit mirabiliter facta primo ex parte generantis, quia Virgo peperit; & hoc fuit oſtenſum per experientiam, ut enim habetur in compilatione Bartholomæi, & de libro Infantiæ Salvatoris ſumptum videtur, cùm B. Mariæ tempus pariendi inſtaret, Joſeph obſtetrices duas vocavit, quarum una vocabatur Zebel, & altera Salome. Zebel itaque conſiderans & inquirens, & virginem inveniens exclamavit, virginem peperiſſe. Salome autem, dum non crederet, ſed hoc probare ſimiliter vellet, continuò aruit manus ejus. Juſſu tamen angeli ſibi apparentis puerum tetigit, & continuò ſanitatem recepit. Ulterius ea probata eſt per evidentiam. Romæ enim, ut teſtatur Innocentius Papa tertius, duodecim annis pax fuit. Igitur Romani templum pacis pulcherrimum conſtruxerunt, & ibi ſtatuam Romuli poſuerunt; conſulentes autem Apolloninem quantum duraret, acceperunt reſponſum, quouſque virgo pareret. Hoc verò audientes dixerunt; Ergo in æternum durabit; impoſſibile enim credebant, quod unquam virgo pareret; unde in foribus templi titulum hunc ſcripſerunt. Templum pacis in æternum. Sed in ipſa nocte, qua B. Virgo peperit, templum funditus corruit. Et ibi eſt modo Eccleſia ſanctæ Mariæ novæ.* Ita Jacobus de Voragine, attexens multas alias ſimiles fabulas. At iſta ſomnia per ſe abſurda ſolidè

dè confutat Baronius ad annum 1. ubi oſtendit ex S. Athanaſio, B. Virginem non adhibuiſſe obſtetrices, & ex hiſtoria Romana, quod templum pacis tempore Nativitatis Dominicæ nondum fuerit conſtructum. Sic habet: *Sicut veris initimur, & veriſimilibus non contradicimus, ita quæ ſunt à veritate prorſus aliena, procul abjicimus atque refellimus, cujuſmodi ſunt ea, quæ de templo pacis Romæ collapſo ea nocte, qua Chriſtus eſt natus, à multis ut vera certaque ſcribuntur. Quomodo hæc non facillimè erroris redarguuntur, cum oſtenditur templum pacis nondum Chriſti tempore Romæ eſſe erectum, quod teſtimonio omnium antiquorum hiſtoricorum conſtat, domitis Judæis à Veſpaſiano Imperatore fuiſſe conſtructum? Quæ autem de pœna incredulæ obſtetricis & ſoſpitate eidem reſtituta ſcribit Zeno, haud dubiè ex Apocryphis eſt mutuatus.* Ita Baronius N. 11. & 7.

Dixi tertiò. Jacobum de Voragine niti mendacio aut aperto errore. Dicit enim, S. Hieronymum teſtari de præfata Sodomitarum ſtrage, ubi ſcribit in illud: *Lux orta eſt eis.* Hic textus reperitur in C. 9. Iſaiæ Prophetæ. Hinc & *Petrus de Natalibus*, qui vixit diu poſt Jacobum de Voragine etiam expreſsè hunc locum allegat his verbis: *Veritas Nativitatis Dominicæ ſecundò oſtenſa eſt per elementum ignis, qui ea nocte per totum orbem cunctos Sodomitico vitio laborantes extinxit, ut dicit Hieronymus in Gloſſa ſuper illo verbo Eſaiæ. 9. Lux orta eſt eis.* Ita Petrus fidus exſcriptor & interpres Jacobi. Verùm nec in Gloſſa ordinaria Lyrani, nec in D. Hieronymo loco præfato vel veſtigium extat de illa fabula; legi utrumque. Immo legi de verbo ad verbum omnia opera D. Hieronymi, nihil in iis reperiri de hac re ſatis certus ſum. Idem dicendum de ridiculo textu D. Auguſtini, cujus opera pariter de verbo ad verbum omnia legi; quid enim abſurdius, quàm dicere, quod Deus ob Sodomiam hominum *fere deſierit incarnari*? abſint iſthæ ſtultitiæ à mente Auguſtini.

Dixi quartò. Merum figmentum eſſe, quod Ovidius interierit in ipſa nocte Nativitatis Dominicæ. Conſtat enim, quod Ovidius primum obierit anno decimo ſeptimo poſt Nativitatem Chriſti. Ipſemet ſcribit ſe eſſe natum ſub Hirtio & Panſa Conſulibus, hoc eſt anno Urbis conditæ 711, ante Nativitatem Dominicam annis 40. juxta modernos 46. Idem teſtatur ſe in exilium actum eſſe anno ætatis quinquageſimo L. 4. Triſt. Eleg. 10. Adeoque primùm anno decimo poſt Nativitatem Chriſti. Octo annis in exilio manſit; ut pariter ex ejus Epiſtolis colligitur; ergo tantùm abiit annis 17. poſt N. D. Accedit, quod Seneca, qui uno anno poſt Chriſtum natus eſt, teſtetur, ſe vidiſſe Ovidium Declamantem Declam. 1. L. 2. Itaque poſt Nativitatem Chriſti neceſſariò Ovidius adhuc diu vixit Romæ. Ad hæc argumenta non video, quid reſponderi poſſit, niſi forte diceretur, Sodomitas quidem fuiſſe tunc extinctos, ſed ignoraſſe homines cauſam tantæ ſtragis, quia plurimi extinctorum ignorabantur fuiſſe Sodomitæ, & alii, qui ſciebantur, credebantur eſſe extincti caſu fortuito.

III. Chriſtus in his revelationibus dicit, *Manſuetudinem* dictam eſſe *à manendo*, patientiam verò *à pace & ſcientia.* Atqui hæc non ſunt credibilia. Revelationes Gertrudianæ L. 1. C. 18. ſic habent. *Dum quadam vice D. Mechtildem Gertrudis rogaſſet, ut pro ſe orando virtutem manſuetudinis ac patientiæ ſibi à Domino impetraret, & D. Mechtildis pro hac gratia Dominum orabat, hoc ab eodem reſponſum accepit : Manſuetudo nomen accepit à manendo; ſimili modo patientia nomen accepit à pace & ſcientia* &c. &c. Verum hæc nominis Etymologia prorſus aliena eſt à mente antiquorum, qui ſine dubio & ipſi intellexerunt derivationes, fontes ac radices nominum. S. Iſidorus Hiſpalenſis Epis-

Epiſcopus, qui ſcripſit libros 20. Originum & Etymologiarum, libro 10. ait: *Manſuetus eſt, quaſi manu aſſuetus.* Et Sextus Pompejus Feſtus de Verborum veterum ſignificatione libro 11. ait: *Manſuetum quaſi ad manum venire ſuetum* ajunt. Hinc & Nonius Marcellus Tiburticenſis de proprietate Sermonum Tit. De mutata declinatione ait: *Manſues pro manſuetus. Non vidiſti ſimulacrum Leonis ad Idam, quem Galli tympanis ferunt adeo manſuem, ut tractarent manibus.* Et Nicolaus Perottus in ſuo Cornucopiæ, ſeu commentario linguæ latinæ impreſſo Venetiis 1513. F. 469. dicit: *Manſuetus quaſi manu aſſuetus.* Quod attinet nomen patientiæ, S. Iſidorus illud derivat à *paviendo*; *pavire* enim antiquitus idem erat ac ferire. Hinc Perottus F. 152. ait: *pavimenta in ædibus dicta ſunt à feriendo, quod, dum fiunt, pluribus diebus feriantur virgulis ſeu marculis, ut ſolidiora fiant, nec rimas faciant; veteres quippe pavire pro ferire dicebant, quod à græcis ſumptum eſt, qui παίειν dicunt percutere, unde & depuvire tractum eſt.* En longè aliam Etymologiam! hæc etiam verior eſt ex eo, quia derivativa ſemper habent eosdem fontes & radices; ſi ergo patientia deberet derivari à pace & ſcientia, etiam pati deberet derivari à pace. At hoc verum non videtur; quia cum pati conveniat omnibus rebus etiam inanimatis, ubi locum non habet pax; immo etiam in homine & dœmonibus ipſum pati non conveniat cum pace, non videtur pacem commendaſſe aliquid ſui nominis ad paſſiones omnium entium, ſed potius nomen paviendi ſeu feriendi, cum quo ipſum nomen eſt correlativum. Sed hic forte reſpondebitur, Chriſtum eſſe meliorem grammaticum, quam Iſidorum, & alios.

IV. Revelationes Gertrudianæ dicunt, Joannem Evangeliſtam fuiſſe ſponſum in nuptiis Canæ, ſed viſo miraculo uxorem reliquiſſe. Sic habent

bent L. 4. C. 4. Gertrudes à B. Joanne accepit tale reſponſum. *Ego recolens, quàm ſuavi amicitia Dominus remuneraverit illam continentiam, qua conjugem relinquens ipſum de nuptiis ſecutus ſum, poſtea ſemper cavi, ne caſtitas mea macularetur.* &c. Item alia vice cum S. Gertrudes mente revolveret, qua de cauſa B. Joannes tantùm extolleretur pro integritate virginitatis, cum tamen legatur à Domino à nuptiis vocatus; B. verò Joannes Baptiſta immunis omnino ab omni carnalitate, minus tamen pro tali virtute collaudaretur; tunc Dominus illi oſtendit B. Joannem Evangeliſtam ſtantem in medio Camini, qui tam terribiliter ſuccenſus videbatur, quod eum flamma totum involvebat tam ſupra, quàm infra, & circumquaque. Tunc Dominus dixit: *Quid magis tibi videtur laudabile, quod Evangeliſta non ardet, ſive quod Baptiſta* (extra flammas) *non comburitur?* Ita revelationes. Sed hæc rejicit ut fabuloſa Baronius ex eo, quia tota antiquitas teſtatur, B. Joannem non contraxiſſe nuptias, nam tota Eccleſia ſuppoſuit, Chriſtum illa ſua præſentia non impediviſſe, ſed approbaſſe & ſacraſſe matrimonium. Baronius ad annum 31. Num. 30. ſic habet: *Proditum eſt à nonnullis, has nuptias in Cana fuiſſe Joannis Evangeliſtæ, qui dum duxiſſet uxorem, & nuptias celebraſſet, tamen viſo miraculo de aqua in vinum per Chriſtum mutata, conjugem dimiſerit, ac Chriſtum ſecutus fuerit. Sunt hæc omnia commentitia, ac nuper excogitata, cum penes antiquos Patres nulla prorſus mentio de his habeatur. Si hæc ſciviſſent veteres, quantum putas negotii feciſſet Hieronymo Jovinianus Hæreſiarcha, qui tam pertinaci animo Joannem Evangeliſtam virginem fuiſſe negabat? Si hic, inquam, quoquo modo vel per conjecturam ſaltem dicere potuiſſet, nuptias factas in Cana Galilææ fuiſſe Joannis, quis thalami ſecreta ſcrutatus Joannem adhuc poſt nuptias virginem permanſiſſe confirmare valuiſſet? quomodo & Manichæi, qui & apocrypha quævis adverſus nuptias congerere ſoliti ſunt, tam optata non ſunt uſi occaſione, ut ex dirempto Joan-*

Joannis conjugio Chriſtum odiſſe nuptias affirmarent, non veriti & Paulum in exemplum adducere, quod ſua prædicatione Theclam ſponſo oppignoratam è nuptiis terrenis divulſerit? certè tantum abeſt, ut hæc de Joannis nuptiis illi ſaltem meditarentur, vel à Patribus qualibet alia occaſione eadem dicerentur, ut potius ex iisdem nuptiis, quibus Salvator ſuam auguſtiſſimam præſentiam exhibuit, contrarium potius adſtruerent, nimirum Chriſtum probaſſe nuptiarum Sacramentum, ac ſuamet præſentia conſecraſſe. Ceterùm de cœlibatu Joannis, quod nunquam contraxerit nuptias, non Hieronymus tantùm adverſus Jovinianum agens L. 1. ſed & Ignatius in Epiſt. ad Philadelph. graviſſimus aſſertor eſt. Idipſum Epiphanins teſtatur, quibus Auguſtinum conſentire nemo ſane mentis non viderit, dum ait, ea de cauſa Joannem à Chriſto plus cæteris amatum, quod neque uxorem duxerit, & ab ineunte pueritia caſtiſſimus vixerit. Verum dicamus, unde commentum illud deductum ſit, ut & intelligatur, quàm parum judicio valeant, qui talia fingunt. Auguſtinus in Præfatione in Joannem hæc habet: Iſte eſt Joannes, quem Dominus de fluctivaga nuptiarum tempeſtate vocavit. Hæc igitur Auguſtini verba ſic accipiunt iſti & adducunt, quaſi Joannes obligatus nuptiis à Chriſto vocatus fuerit non animadvertentes, ſic Auguſtinum dixiſſe vocatum à nuptiis, non quod cum uxorem duxerit eam reliquerit, ſed quod eam prorſus non acceperit, prout idem Auguſtinus in fine operis aperte teſtatur, cum bis utitur verbis: Plus amatum, quod neque uxorem duxerit, & ab ineunte pueritia caſtiſſimus vixerit. Nam omnes ſciunt, uxorem ducere, non eſt eam in propriam domum traducere, ſed ſe conjugio obligare. Nec aliud ab his de Joanne Auguſtinum ſenſiſſe exploratiſſimum eſt, nam dictum Joannis de nuptiis explicans, quod in primis dicendum fuiſſet, nullam prorſus mentionem de Joanne habuit. Sed hæc ſatis ad refellendam ridiculam de nuptiis Joannis ſententiam. Hucuſque Baronius. Hìc forte reſpondebitur, ſicut ad primum. Potuit etiam ibi in Cana

Digitized by Google

verum eſſe conjugium, quod Chriſtus ſacraverit, quamvis conjuges ex conſenſu voluerint permanere virgines, ut S. Joſephus, S. Henricus, & plures alii.

V. In Revelationibus G. L. 4. C. 25. dicitur: Gertrudes requiſivit à Domino: *Eia Domine, quo nomine Patrem orans in agonia invocabas? Reſpondit Dominus. Ego frequentius hoc nomine invocabam eum dicens: O integritas ſubſtantiæ meæ. Integritas* duplicem duntaxat habet ſenſum; aliquando ſignificat totalitatem, aliquando partem integralem; ſed Pater nec eſt totalitas filii, nec pars integralis. Dein ſi iſtud nomen eſt adeo gratum patri, cur Chriſtus hoc non revelavit diſcipulis? cur Evangeliſtæ id non annotarunt, cùm annotaverint alia verba orantis in Agonia? accedit, quod Chriſtus nec in agonia, nec in alio loco legatur uſus alio nomine, quàm Patris v. g. *Pater, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte. Iterùm ſecundo oravit; Pater mi, ſi non poteſt hic calix tranſire. Et oravit tertiò eundem ſermonem.* Ubi hìc, *Integritas ſubſtantiæ meæ?* in Epiſtola ad Hebræos C. 1. dicitur Chriſtus *ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ ejus,* id eſt, Patris; hoc modo potius pater diceret ad filium, *integritas ſubſtantiæ meæ,* quàm filius ad patrem, integritas ſeu completio & complementum meæ ſubſtantiæ. Sed forte reſpondebitur à S. Gertrude per *integritatem* idem intelligi, ac identitatem.

VI. In Revelationibus G. L. 4. C. 9. dicitur: *Simeon dixit: Lumen ad revelationem gentium; ſicque reddidit eum Matri dicens: Et tuam ipſius animam pertranſibit gladius. Mater verò virginea imponens eum altari obtulit pro eo duos pullos columbarum candidiſcimos, quos puer regius manu tenera quaſi ulterius protrudebat. Item eodem loco: Simeon elevavit puerum*

puerum coram arca altaris offerens eum Deo Patri; tunc arca quaſi ſpeculum lucidum illico reſplenduit, & in ea cum luce ſe involvens imago pueri JESU, ſignificans, ſeipſum eſſe, per quem omnis oblatio novi & veteris teſtamenti eſt perfecta. Quod videns Simeon exclamavit; Lumen ad revelationem gentium. In hac narratione inprimis incredibile eſt, quod Chriſtus cum veroſimiliter fuerit faſciis involutus, protruſerit manu pullos columbarum; dein illi pulli non ponebantur in altari, ne illud fœdarent, ſed conſignabantur in manus Sacerdotum. Tertiò ſuppoſito etiam, quod fuiſſent oblati in ipſo altari, ſine dubio fuiſſent ligati, ne avolarent aut vagarentur; quomodo autem protrudentur ligati ab infante faſciis ligato? Addo, Altaria veteris teſtamenti non fuiſſe per modum arcæ, ut in novo, ſed erant integra ex lapide vel ære, ut patet ex libris Regum & Machabæorum; Sed forte reſpondebitur, præſumptiones cedere veritati revelatæ.

VII. Chriſtus in his revelationibus inducitur exiſtimans, quod *un Peſant*, ein Peſant/ ſit nomen lapidis ſeu gemmæ, quod eſt falſum & planè ridiculum; iſtud enim nomen in lingua Gallica idem ſignificat, quod *gravis*, ut proin ſit epithetum genuinæ ac pretioſæ cujuslibet gemmæ, non verò nomen alicujus ſpecialis gemmæ. Revelationes ſic habent: *Gertrudes obtulit Domino* (hos omnes pios affectus) *tunc Dominus inæſtimabiliter delectatus recolligebat ea in ſpecie gemmarum pretioſarum, imponensque diademati ſuo regali dixit: Ecce has gemmas à te mihi oblatas tam gratanter acceptavi, quod ipſas in Diademate capitis mei portabo ad gloriandum pro ipſis coram tota militia cœleſti; ſicut Imperator terreſtris lapidem pretioſum, qui vulgari lingua vocatur, Peſent,* ein Peſant, *geſtat in corona regni pro ſingularitate ſua, quia non invenitur compar illi in totius ſui amplitudine regni.* Ita illæ. At in Deſcriptione

ne Cimeliorum Imperialium & Coronæ, quæ non ita pridem prodiit, nulla extat mentio talis gemmæ, *Peſant*; & in Catalogo omnium gemmarum, nullum extat tale nomen, quamvis omnia gemmarum nomina diligenter exhibeat. Sed ad hoc reſponderi poſſet, Chriſtum hoc loco loqui narrativè, referendo tantùm modum loquendi communem.

VIII. In his revelationibus ſæpius occurrit, quod Gertrudes recitaverit 225. Pater, vel ſalutationes Angelicas, vel *Laudate Dominum*; & hoc ideo factum eſt, quia credidit quod haberet tot membra, nec plura, nec pauciora. Revelationes L. 4. C. 2. ſic habent: *Dominus illi apparuit, & ibi ſe collocavit; hinc cum vice omnium membrorum ſuorum 225. vicibus legeret, Laudo, adoro &c. videbatur ipſa ſibi quaſi ad ſingulas oratiunculas ſuas introducere ſingula obſequia membrorum ſuorum in laudem DEI.* Sed hìc reſponderi poſſet, S. Gertrudem eam devotionem tantùm accommodaſſe ſuppoſitioni tunc receptæ Medicorum, nil ſtatuendo; Chriſtum verò approbaſſe devotionem, non ſuppoſitionem, ut contingit in pluribus aliis.

IX. L. 4. C. 4. dicitur, Joannem Evangeliſtam ſine dolore mortis obiiſſe, & ejus corpus jam eſſe glorificatum in cœlo. Sic habet: *Gertrudes intellexit, B. Joannem tam ſecuram habuiſſe confidentiam de benignitate Domini, ut ſperaret, quod Dominus non dedignaretur ſe aſſumere absque dolore mortis; & quia hoc auſu amoris præſumpſit, etiam accipere meruit. Tunc Gertrudes mirari cœpit, quia Scriptura dicit, ideo Joannem absque dolore mortis tranſiiſſe, quia juxta crucem paſſus eſt mente, & etiam propter incorruptionem*

nem carnis; quomodo ergo nunc dicitur, propter confidentiam hoc obtinuiſſe? ad quod Dominus reſpondit: Compaſſionem mortis Joanni in æterna vita præcellenti gloria retribui; ſed illam ſecuram fiduciam, qua nihil à me ſibi denegari poſſe præſumpſit, tali modo complacuit mihi in præſenti vita remunerare, quod eum ab omni dolore mortis illæſum quaſi in jubilo de corpore aſſumpſi, & virgineum ejus corpus incorruptum & quodammodo jam glorificatum ſpeciali modo ſublimavi. Sic illa revelatio. S. Gertrudes iſta forte legit in Hiſtoria Lombardica Jacobi de Voragine, cujus teſtimonium non ſolùm caret antiquo teſte, cum ne quidem ſuppoſititia Prochori Acta de his faciant mentionem; ſed poſitivè contraria pugnant teſtimonia veterum. Illa autem Hiſtoria in feſto S. Joannis ſic habet: *Cum Joannes eſſet nonaginta novem annorum, apparuit ei Dominus cum diſcipulis ſuis dicens: Veni dilecte mi ad me. Surgens autem Joannes cœpit ire; & veniente Dominica univerſus populus convenit in Eccleſia, quæ ipſius nomine fuerat fabricata; & Joannes fecit fieri foveam quod ratam juxta altare; deſcendensque in foveam dixit; Ecce, Domine, venio,* &c. *Et cum orationem finiſſet, tanta lux ſuper eum emicuit, quod nullus in eum reſpicere potuit. Recedente autem lumine mannâ fovea plena invenitur, quod in loco illo usque hodie generatur, ita ut in fundo foveæ inſtar minutæ arenæ ſcaturire videatur.* Ita Hiſtoria Lombardica. Jam verò quod Joannes obierit teſtatur Euſebius in Chronico ex Polycrate ſynchrono cum Joanne, qui ſic habet: *Joannes Ephesi obdormivit.* Et Tertullianus L. de anima C. 50. *Obiit & Joannes de quo fruſtra fuerat ſpes eum remanſurum.* Sic illi. Quod verò non fuerit receptus in cœlum corpore, aut aliò translatus; colligitur ex eo, quia Euſebius & S. Chryſoſtomus teſtantur, Epheſi monſtrari S. Joannis ſepulchrum, & Cœleſtinus Papa in litteris ad Concilium Epheſinum anno 430. datis dicit: *Reliquias S. Joannis Epheſi in bonore baberi.* Idem habet Synodica Epiſtola Orientalium

lium Epheſo miſſa ad Senatum Conſtantinopolitanum. Cœleſtinus ſic habet: *Vos hortor, reſpiciatur illa ſola dilectio, in qua juxta vocem Joannis Apoſtoli, cujus reliquias præſentes veneramini, manere debemus.* οὗ τὰ λείψανα παρόντες τετιμήκατε. In Epiſtola verò Synodica dicitur; Epiſcopos Epheſum veniſſe deſiderio complectendi ſarculum S. Joannis, περιπτύξασθαι λάρνακας. Quomodo autem fieri potuit, ut de tam glorioſa translatione in cœlum corporis S. Joannis præſente omni populo facta rumor non ierit per totam Eccleſiam? quomodo memoria facti non manſit ſaltem in ipſa urbe Epheſi? quomodo credi potuerunt præſentes ipſius Sancti Reliquiæ? Quomodo idipſum credi poterat à D. Chryſoſtomo, qui in ipſa urbe Epheſo præſedit Synodo ſeptuaginta Epiſcoporum? Is Hom. 26. in Epiſtolam ad Hebræos ſic habet: *Joſeph, cùm eſſet in terra aliena, nec ſic quidem deſpondit animum, ſed ita credidit, ut etiam diceret de exitu, & de ſuis mandaret oſſibus. Quamobrem dicunt aliqui: Ecce etiam juſti curam geſſerunt monumentorum. Sed, dic mihi, ipſius Moyſis oſſa an non ſita ſunt in terra aliena? an non etiam Aaronis, & Danielis, & Jeremiæ? Apoſtolorum autem multorum neſcimus ubi ſita ſint. Nam Petri quidem & Pauli & Joannis & Thomæ manifeſta ſunt ſepulchra, aliorum autem, cum ſint tam multi, nusquam ſunt nota.* Quomodo hæc D. Chryſoſtomi mentio de S. Joanne non concluderet contra ipſum, ſi corpus S. Apoſtoli fuiſſet glorificatum vel alio translatum? an ſerviret in exemplum, ubi ſermo eſt, an ſit habenda cura oſſium? Suppoſuit ergo, ejus corpus adhuc jacere Epheſi in ſepulchro. Et hæc S. Doctoris mens adhuc clarius patet ex ejus ſermone de Duodecim Apoſtolis, ubi ſic habet: *Petrus Romam erudit; Paulus inde mundo Evangelium annuntiat &c. Joannes etiam poſt mortem tanquam vivus curat Epheſum; Bartholomæus Lycaonas ad temperamentum inſtituit, Philippus miraculis conſervat Hierapolin; omnes ubique omnibus beneficia conferre non deſiſtunt; pulverem*

immor-

immortalem in ſepulchris reliquerunt. En! non excipitur S. Joannes, cum tamen optima fuiſſet excipiendi occaſio; nam S. Chryſoſtomus in hoc ſermone ex inſtituto agit de laudibus Apoſtolorum. Ad hanc difficultatem forte reſponderi poteſt, S. Gertrudem non loqui de aſſumptione corporis, ſed animæ; & Chriſtum non dicere, quod corpus S. Joannis in cœlum aſſumpſerit, ſed quod eum de *corpore* aſſumpſerit.

X. L. 4. C. 27. S. Gertrudes in feſto Paſchatis ad Dominum ait: *Doce me, quali devotione te laudare poſſim per Alleluja, quod toties in feſto iſto repetitur? reſpondit Dominus: convenientiſſimè poteris me per Alleluja collaudare in unione laudis cœleſtium civium, qui per idem me jugiter collaudant in cœlis. Et adjecit Dominus. Nota ergo, quod in illa dictione Alleluja omnes vocales inveniuntur præter ſolam vocalem,. O, quæ dolorem ſignificat, & pro illa duplicatur prima vocalis A.* Ita Chriſtus. Sed nec natura per hanc vocalem ſignificat potius dolorem, quàm voluptatem cum ea exclamatio per O etiam ſerviat ad expreſſiones animi lætas; nec etiam id ſignificat ex inſtitutione Dei, vel hominum. Forte tamen ſolis Gallis iſta vocalis eſt littera doloris, quia eſt apud illos difficilis pronuntiationis, teſtatur Gregorius Turronenſis L. 5. C. 44. *Chilpericum Regem novam litteram O Alphabeto Gallico inſeruiſſe, ſed rem caruiſſe ſucceſſu.* Dein in hac explicatione ſupponitur, vocem Alleluja ex inſtituto ſic fuiſſe myſteriosè coagmentatam; quod tamen falſum eſt cùm conſtet illud ſine omni myſterio fuiſſe compoſitum ex his duobus nominibus hebraicis *Halelu*, & *Ja*, quod idem eſt, ac *laudate DEum.* Sed reſpondebit forte aliquis, Chriſtum loqui ex ſuppoſitione præconcepta audientis, ut ſenſus ſit; *juxta vos* hoc nomen Alleluja habet eam compoſitionem; aut Chriſtus reſpexit ad Origines hebraicas quarum

Digitized by Google

quarum radices forte ſignificant naturaliter, quamvis ea ſignificatio hominibus non amplius nota ſit.

XI. Gertrudes univerſim docet tantum haberi meritum & prœmium ex quovis deſiderio boni operis, quantum habetur ex ipſo opere. L. 1. C. 8. Chriſtus ad S. Gertrudem ſic ait: *In omnibus operibus tuis centuplum offers fructum; & hoc non ſolùm in operibus ſanctis, quæ perficis, verùm etiam in omnibus iis bonis, quæ libenter velles tu agere, aut apud alios promovere, tametſi non valeas; nam pro quocunque hujusmodi conatu, ac ſi opere illum impleſſes paratus tibi eſt reddere mercedem.*

L. 3. C. 64. Chriſtus ad S. Gertrudem ait: *Delector cum electis meis diſponere de diverſis, quæ nunquam evenient, ut ipſorum erga me comprobem fidelitatem, & ut pro infinitis meritis eos remunerem, quæ nunquam opere perficere poſſint, quia omnem eorum voluntatem reſpicio tanquam perfectam; unde ſi contingeret te præoccupari morte, & Sacramento privari, ex hoc nullum detrimentum habebis.* En! deſiderium ſuſcipiendi Sacramentum videtur in hac doctrina idem operatum, quod Sacramentum!

L. 3. C. 89. Chriſtus dicit: *Si quis propter me aggredi voluerit laborem aliquem gravem, in quo timet incurrere devotionis detrimentum, & tamen poſtponit propriæ animæ utilitatem, ut meam perficiat voluntatem, hujus hominis piam intentionem ego tanti reputo, quod ipſam ſolam ſuſcipio quaſi pro opere perfecto, quamvis forte nunquam ad hoc veniat, ut hoc opus ſaltem incipiat; quod tamen habet coram me talem fructum, ac ſi omnem laborem perfecerit, & nullam unquam negligentiam interea contraxerit.*

L. 4.

Digitized by Google

L. 4. C. 41. ſic habetur: *Gertrudes, dum hoſtiam Dominici corporis Domino offerret pro ſuppletione negligentiarum ſuarum, & hoc faceret ea fidelitate, ut ipſa deſideraret in ſe ſemper pœnam negligentiarum ſuarum perferre, quo tantummodo ſuppleret Domino, quidquid ſibi ſubtraxiſſet condecentis gloriæ & bonoris per negligentias ſuas, benignus Dominus, qui bonam voluntatem acceptat pro facto, videbatur implere omne deſiderium ſuum.* En! iterum. qui vult perferre pœnas purgatorii, idem eſt, ac ſi iam actu pertuliſſet; & qui vult redire ad gradum gloriæ perditum, idem eſt, ac ſi nunquam illum perdidiſſet.

L. 5. C. 31. S. Gertrudes ad Dominum ait: *Quamvis Domine præ omnibus delitiis hoc mihi exoptabile ſit, ut carcere carnis educta tibi adjungar, tamen ſi tibi hoc placeret, eligerem hic usque in diem judicii permanere, & tibi ad laudem in extrema miſeria degere. Ad quod Dominus. Talis voluntas apud me tantum obtinuit effectum, ac ſi omnia quæ deliberaſti, perfectiſſimo modo opere perfeciſſes.* Hæc doctrina habet difficultatem, tum quia opera externa juxta Theologos ſaltem per accidens augent meritum, inquantum actum internum reddunt intenſiorem, deliberatiorem, extenſiorem, frequentiorem &c. tum etiam hoc principium, quod voluntas reputetur pro opere non procedit in iis actionibus externis, quæ habent fructum ex opere operato, aut ex ſpeciali promiſſione vel ordinatione Dei, prout contingit in Sacramentis Martyrio, virginitate, & ſatispaſſione purgatorii. Sed Reſponderi fors poſſet, Chriſtum voluntatem S. Gertrudis quoad Sacramentum, & pœnas purgatorii acceptaſſe in caſu particulari ex ſpeciali privilegio; quod alia opera doctrinam intelligendam eſſe de eo proemio, quod convenit actui interno per ſe.

XII. Revelationes hæ videntur docere, quod noſtris precibus & piis operibus poſſimus Beatis in cœlo augere gloriam & meritum. Utrumque eſſet erroneum. Licet enim rectè poſſit dici, Beatos ex noſtris piis operibus acquirere novum gaudium accidentale, nulla tamen ratione defendi poteſt, quod poſſimus orare & intercedere apud Deum pro ſanctis, ut Deus illis augeat ſuam gloriam, multò minus, ut illis augeat meritum, cum tempus merendi ac demerendi exſpirarit cum vita. Error adhuc magis creſceret, ſi ipſi Deo adſcriberetur propriè interna nova delectatio, & felicitas ex noſtris operibus bonis, prout in his Revelationibus videtur adſcribi.

L. 3. C. 10. §. 2. ſic habetur: *Cum Gertrudes corpus Chriſti ſumpſiſſet, & animam ſuam in ſimilitudinem arboris conſpiceret cum fructibus, non ſolùm exinde Beata Trinitas, verùm omnes ſancti miræ jucunditatis ſuſceperunt delectamentum; in cujus reverentiam omnes ſurgentes & merita ſua pendentes ſuper ramos arboris prædictæ in ſpecie coronarum obtulerunt in laudem illius, qui novo delectamento eos dignabatur jucundare; ipſa verò cum oraret Dominum, ut omnibus in cœlo & in terra atque in purgatorio, qui omnes jure habuiſſent profectum de fructu operum ſuorum, ſi ipſa non neglexiſſet, ſaltem nunc daret profectum ex fructibus divina benignitate ſibi collatis, cœperunt ſingula opera, in quorum ſpecie apparuit arboris fructus, efficaciſſimum liquorem deſudare, cujus pars defluens in ſuperiores ipſis gaudium cumulavit, pars verò defluens in purgatorium pœnas eorum mitigavit, pars autem defluens in terras juſtis dulcedinem gratiæ, & peccatoribus amaritudinem pœnitentiæ augmentavit.* En! beatis aucta beatitudo accidentalis ob interceſſionem S. Gertrudis.

L. 3.

L. 3. C. 24. dicitur: *In feſto cujusdam Sancti; dum intenderet Horas Canonicas in laudem Dei, & ejusdem Sancti devotius decantare, apparuerunt omnia verba, quæ canebat, in modum lanceæ præacutæ de corde ſuo ad cor JESU procedere. De ipſa etiam lancea videbantur ſpargi radii, qui ad ſingulos Sanctorum pertingentes miro eos novæ gloriæ decore perornabant, ſed ſpecialiter ille Sanctus, cujus feſtum agebatur, mirabili gloria ſingularis ſplendoris apparebat exhilaratus.*

L. 3. C. 65. Chriſtus ad S. Gertrudem ait: *Cum in charitate mihi aliquid offertur pro animabus fidelium defunctorum, ego ſtatim id, quod pro eis offertur do eis in remedium abſolutionis vel alleviationis, aut etiam ad cumulum æternæ beatitudinis.* En! poterit etiam animabus purgatorii noſtra interceſſione augeri beatitudo.

L. 4. C. 27. Cum S. Gertrudes laterum dolorem, quo cruciabatur, offerret pro animabus in purgatorio, additur: *Dominus dolorem & laborem ejus contulit prædictis animabus in augmentum gaudiorum ſuorum dicens: Hoc munus devotionis mihi ex tanto affectu à ſponſa mea oblatum exhibeo vobis in cumulum beatitudinis ſempiternæ, vosque ipſam honore condigno propterea rehonorare ſtudete, precum ipſi Xenia remittentes.*

L. 4. C. 40. ſic habetur: *Cum Gertrudes more ſibi ſolito Ad primum Agnus Dei oraret pro tota Eccleſia, ut Dominus eam in omnibus paternè gubernaret; & ad ſecundum Agnus Dei peteret pro animabus omnium fidelium defunctorum, ut Dominus eas à pœnis relevaret; ac per tertium Agnus Dei deſideraret, ut Dominus NB. merita omnium Sanctorum & electorum jam ſibi conregnantium in cœlis adaugeret, Dominus in verbo illo, dona nobis pacem, blandè illi acclinatus oſculum animæ ejus adeo efficax impreſſit, quod omnes Sancti efficacia illius dulcedinis medullitus*

affecti & dulciter penetrati ex ea omnium gaudiorum & meritorum ſuorum grande ſumpſerunt augmentum.

L. 4. C. 45. ſic habetur: *Poſt communionem apparuit Gertrudes cum Domino, tanquam regina cum Rege in ſolio ſedens & Principes Apoſtolorum Petrus & Paulus coram utroque genua flectentes, ac ſi milites à Domino Dominaque ſua præmia ſuſciperent. Nam de virtute Sacræ communionis videbatur meritum Sanctorum augmentari. Unde cum iſta miraretur, an ne ſufficientia merita habere poſſent Apoſtoli, tali eſt edocta ſimilitudine. Quamvis Regina ſatis habeat honoris ex hoc, quod Regi eſt conjuncta; tamen multum gloriatur & delectatur in filia in feſto nuptiarum ipſius; ſic omnes Sancti congratulantur animæ, quæ Sacramentum altaris ſuſcipit cum devotione.* Hìc explicatio bona eſt, ſed propoſitio explicata eſt ab explicatione prorſus diverſa; aliud enim eſt, *augeri meritùm* beatorum & aliud eſt augere gaudium accidentale.

L. 4. C. 46. dicitur: *In feſto B. Margaritæ videbatur, Dominus emittere ſplendorem clariſſimum, & illo perluſtrare virginale decus B. Margaritæ, quaſi ad renovandum & duplicandum in anima ejus meritum caſtæ virginitatis. Et paulo poſt in augmentum gloriæ cumulumque meritorum paſſionis ſponſæ ſuæ iterum emiſit ſplendorem in animam ejuſdem virginis*, dein ad B. Margaritam dixit: *Nunquid o filia, non ſatis ſufficienter adauxi tibi præmia? ſicque amicabiliter illi blandiens intraxit ſibi devotionem omnium per univerſum mundum feſtum B. Margaritæ colentium, & ex illa B. Margaritam ineſtimabilibus præmiis bonorificè ſublimavit.*

L. 4. C. 40. *Cum Gertrudes accederet ad communionem, omnes ſancti ipſi cum gaudio aſſurgebant, quorum omnium merita de fulgore*

Digitized by Google

fulgore divinæ charitatis mirè irradiata refulſerunt. Dein cum Gertrudes communicaſſet &c. *Sancta Trinitas ineffabili modo delectata in omnibus Sanctis novæ jucunditatis miniſtrabat gaudia.*

L. 4. C. 61. ad finem. Poſt hæc Dominus cecinit: Gaudete juſti, quod totus exercitus cœli ſubſequens complevit; Poſt hæc Dominus dulciter ſalutans omnes Sanctos concinuit; Dominus vobiſcum, & in illo verbo ob unionem, quam in anima Gertrudis perfecerat, omnium *Sanctorum merita*, gaudium, & gloriam magnoperè *duplicando* cumulavit in cœlis.

L. 5. C. 3. Die, quo corpus S. Gertrudis fuit ſepeliendum, aliqua Monialis obtulit pro anima ejus, ſcilicet in ſupplementum meriti ejusdem cor JESU, & circa horam elevationis hoſtiæ cum hoſtia obtulit in meritum prædilectæ Matris ſuæ defunctæ affectum filialis dilectionis illius, quem cor JESU habuit erga dulciſſimam Matrem ſuam. Tandem deſiderabat aliquid majoris virtutis offerre in *augmentum meritorum* Matris ſuæ tam prædilectæ &c.

L. 5. C. 7. Ad elevationem hoſtiæ videbatur, quod anima illa beata deſiderabat ſeipſam offerre Deo Patri pro ſalute univerſitatis; unde Unigenitus Dei, qui nihil negare novit deſideriis electorum, ipſam totam ſibi intrahens ex illius unione *duplicatam ſalutem omnibus in cœlo* & in terra ac in purgatorio miniſtravit. Alia vice eadem Monialis ſalutans animam Beatæ Mechtildis ait: Hos flores (piorum affectuum) acceptet quæſo tua benignitas, & ex ipſis te in *augmentum omnium meritorum* tuorum peroma, & pro me ſponſum tuum exora.

Digitized by Google

L. ſ. C. 12. Cum Monialis conquereretur apud Chriſtum, quod animam defunctæ Sororis non ſtatim liberaſſet è purgatorio, reſpondit Chriſtus: Ego audivi preces familiarium meorum pro anima illa, & benignus exaudivi, & animæ illi magis benefeci, quàm ipſi credere poſſunt, etiamſi vidiſſent animam è purgatorio ad cœlum tranſiiſſe. - Sed *remunerationem meritorum* debitam gratuita pietas mea *ſuperauget* etiam quandoque propter fidelium preces; & ſecundum hoc jam benefeci iſti, quia ſuperaddidi illi ſecundum ſuum meritum.

L. ſ. C. 29. Tunc de corde JESU & Gertrudis conglutinatis efflonuit arbor miræ venuſtatis habens folia clarè ſplendentia velut perluſtrata ſolari radio Trinitatis, quæ omnibus *cœlicolis* ineffabilem *miniſtrabant ſalutem.*

L. ſ. C. 31. Hæc dicens Dominus viſus eſt tantis delitiis ſuperabundare, quod ex omnibus ſenſibus ejus humanitatis liquor nectareus emanabat, ex quo omnes Sancti communiter *novam gloriæ*, gaudii, & delectationis *hauſerunt ſuavitatem*; & ait Dominus: in illa die, cum te totam intraxero, mihi ſtillabunt montes, id eſt, Sancti hanc dulcedinem. Ad hos omnes textus forte reſponderi poteſt: textus ſic intelligendos, ut merita Sanctorum dicantur augeri non *in ſe*, ſed *in effectu*, nempe in aliqua gloria accidentali: neque eſſe erroneum in fide, ſi dicatur, ſanctos non ſolùm habere gaudium novum ex bonis operibus hominum, ſed etiam incrementum gloriæ ex liberalitate Dei. Si enim Sancti per totam æternitatem ſunt habituri nova gaudia, cur non variationem gloriæ? & ſi gloria accidentalis poteſt eſſe nova, cur eam novationem vel auctionem non potuerit Deus alligare novo cultui & interceſſioni fidelium, ſaltem in caſu particulari unius vel alterius piæ Gertrudis, ad hoc ſpecialiter motæ à Deo?

XIII.

Digitized by Google

XIII. L. 2. C. 6. Chriſtus ad S. Gertrudem dicit: *Sicut ego ſum figura ſubſtantiæ Dei Patris in divinitate, ſic tu eris figura ſubſtantiæ meæ ex parte humanitatis ſuſcipiens in tuam deificatam animam emiſſiones meæ divinitatis.* Hæc locutio, licet non ſit accurata, adeoque videatur indigna, quæ tribuatur Chriſto, poteſt tamen explicari, ut decenter congruat Chriſto.

XIV. L. 4. C. 8. ad Chriſtum S. Gertrudes ait: *Præparaſti me ad ſuſcipiendum in me adorandam, ſupercœleſtem, & ſuperinæſtimabilem illam tui intimiorem unionem.* Cur adoranda? aut cur ſupercœleſtis? Sed patitur explicationem.

XV. L. 2. C. 18. S. Gertrudes ait: *Gratiarum actiones tibi offero amantiſſime DEUS per mutuam gratitudinem adorandæ Trinitatis.* An Pater Filio, & Spiritui S. exhibet gratitudinem, & Spiritus S. Patri? iſta ſunt nova, & ab Eccleſia primùm examinanda, antequam recipiantur. Sed dici poteſt, forte in Trinitate locum habere rationem quandam genericam gratitudinis in affectu, ſi non univocè, ſaltem analogicè.

XVI. L. 2. C. 22. S. Gertrudes ait: *Fateor, me in hoc dono viſitationis tuæ majus accepiſſe, quàm unquam ullus homo poſſet in hac vita promereri.* Si propoſitio eſſet illimitata, ut jacet, non vera eſſet, quia ſi B. Virgo de congruo potuit mereri Maternitatem Chriſti juxta illud: *Quæ meruiſti portare*, cur nulla creatura poſſit mereri donum viſitationis extraordinariæ divinæ? forte hoc intellexit S. Gertrudes de merito humano ex ſe, non dignificato per gratiam.

XVII.

XVII. L. 2. C. 14. Chriſtus ad S. Gertrudem ait: *Per gratiam meam tua voluntas adeo meæ unita eſt, ut aliud atque ego nequeas velle.* Hæc præpoſitio in rigore non eſt vera, quia ſolus Chriſtus eſt impeccabilis. Sed reſponderi poteſt, hoc intelligendum *moraliter*, vel inſinuari promiſſionem perſeverantiæ ex gratia, non inflexibilitatem voluntatis ex natura vel proprietate.

XVIII. L. 3. C. 18. §. 3. Poſtquam Chriſtus explicaverat fructum Miſſæ, quod nempe audiens Miſſam reſpiciatur ſpecialiter à Patre, *quaſi radio illuſtratus*, Gertrudes ait: *Nunquid Domine, ſtatim ut quis in peccatum labitur, amittit etiam iſtam beatitudinem, ſicut qui de luce ſolis redit in tenebras? Reſpondit Dominus: Non. Licet enim peccator aliqualiter lumen divinæ placabilitatis ſibi obumbret, pietas tamen mea ſemper in eo veſtigium illius beatitudinis homini conſervat in vitam æternam.* Si ſermo ſit de peccato mortali, non eſt verum, quod gratia & meritum non totaliter perdantur, quamvis forte reviviſcant. Sed forte ſermo eſt de radio gratiæ actualis, conferendæ peccatoribus intuitu Sacrificii Miſſæ.

XIX. L. 3. C. 25. dicitur: Chriſtus præſentavit S. Gertrudi cor ſuum deificatum. Hic terminus *Cor* Chriſti *deificatum*, vel *humanitas deificata* in Revelationibus Gertrudis valde frequens eſt, videlicet L. 3. C. 26. L. 3. C. 30. L. 4. C. 17. L. 4. C. 13. *Deificatum corpus* Chriſti. L. 5. C. 29. *Deificata humanitas.* Hic terminus poteſt ſumi in ſenſu Eutychiano, quaſi natura humana eſſet converſa in divinitatem, non dedecet tamen Chriſtum in eo ſenſu, in quo & aliqui Patrum

Patrum etiam animam per gratiam & arctiorem cum Deo unionem transformativam deificari aſſerunt. Idem reſponderi poteſt ad id, quod habetur & L. 5. C. 31. & C. 32. & C. 33. & C. 34. & C. 37. ubi ſæpius quoque occurrit, *cor deificum.*

XX. L. 3. C. 18. §. 5. Videtur S. Gertrudes ad juſtificationem extra Sacramentum non requirere actum amoris DEI. Sic habet: Gertrudes intellexit, quod ſi quis pœnitendo velociter de omnibus commiſſis ſuis & omiſſis cum integro corde ſe inclinat ad obedientiam præceptorum Dei, tam veraciter coram DEO ſanctificatur, ſicut leproſus ille mundatus eſt, cui dixit Dominus: Volo mundare. Sed dici poteſt, inclinationem ad præcepta, adeoque etiam ad præceptum amoris idque ex toto corde eſſe actualem amorem DEI.

XXI. L. 3. C. 18. §. 20. docet, quod omnes Chriſtiani, qui unquam peregerunt aliquod bonum opus, ſalventur. Sic habet: Cum Gertrudes in quadam prædicatione audiſſet recitatum ſermonem illum, quod nullus hominum ſalvaretur ſine amore Dei, quin ad minus aliquid de eo habere deberet, ut ex amore Dei pœniteret, & abſtineret à peccato, ipſa revolvit in corde ſuo, quod multi migrarent à ſæculo, qui plus viderentur pœnitere timore gehennæ, quàm Dei amore; reſpondit Dominus dicens: Cùm videro illos agonizantes, qui mei unquam ſunt dulciter recordati, vel qui aliquid meritorii operis peregerunt, in ipſo mortis confinio exhibeo me eis benigna pietate ita amabilem, quod ex intimis medullis cordis pœnitet eos me unquam offendiſſe, unde & per talem pœnitentiam tunc ſalvantur. Ergo pro dignatione illa vellem ab electis meis glorificari, ut ſcilicet inter generalia beneficia etiam

Digitized by Google

pro iſto mihi agerent gratias. Sed forte reſpondendum, Chriſtum tantum velle dicere: *ſæpe* aut *reſpectu aliquorum* qui aliquid *ſpeciale* ſui cauſa egerunt, id fieri; *ut* eos pœniteat & ſalventur; non enim rarò apud Scriptores Sæculi 13. & 14, *quod* ſumitur pro *ut*, v. g. apud D. Thomam.

XXII. L. 3. C. 32. docet, omnem appetitum alicujus boni eſſe appetitum ſeu amorem DEI, quæ doctrina videtur ſuſpecta de errore Queſnelli, quod omnis actus humanus ſit vel amor DEI laudabilis, vel amor mundi vituperabilis. Sic habet: Gertrudes dixit ad Dominum: Heu Domine, quod tam tepida ſunt deſideria mea ad te verum bonum meum, unde tam rarò convenit mihi dicere tibi: Sitivit anima mea ad te. Et Dominus. Non raro, ſed frequentius, dicas mihi, quod me ſitiat anima tua, quia pietas amoris, quà humanam diligo ſalutem, compellit me, ut quæcunque bona deſideret electus, ſemper reputem, illum me deſideraſſe, cum in me lateat, & ex me profluat omne bonum. v. g. Si homo deſiderat ſanitatem, ſecuritatem, commodum, ſapientiam, & ſimilia, ut magis queam cumulare meritum retributionis, frequenter reputo eum deſideraſſe me; excepto, ſi deliberativè declinaret à me, ut ſcilicet ita deſideraret ſapientiam habere, ut inde poſſit ſuperbire, ſive ſanitatem, ut malum perficere poſſet. Sed fortè hæc propoſitio id præcisè vult dicere, quod omnis actus ſit virtualiter ordinatus ad Deum, tanquam finem noſtrorum actuum ultimum in eo homine, qui ſe totum & omnia ſua ordinavit in Deum, quod frequenter & in multis contingit.

XXIII. L. 3. C. 32. docet, etiam ea, quæ non ſunt voluntaria, nobis cedere ad meritum. Sic habet: Nocte quadam ſopori dedita per ſomnum à Domino ſuavius

ſuavius viſitabatur, in tantum, quod ex conſortio præſentiæ Domini velut delicatioribus epulis ſibi referta videretur. Unde evigilans Domino grates perſolvit dicens: Quid ego Domine indigniſſima præ aliis merui, qui ſæpius per ſomnia in tantum gravantur, quod etiam per clamores cæteris quandoque incutiunt terrorem? ad quod Dominus reſpondit: Quos mea paterna providentia diſponit per tolerantias ſanctificare, ſi vigilantes corpori ſuo ſtudent commoda procurare, unde ſe occaſionibus meritorum privant, ego illis ex divina pietate per ſomnia ingero gravamen, ut ſaltem ſic aliqua mereantur. Et illa: Num Domine illis hoc poterit proficere ad meritum, quod ſine intentione & quaſi contra voluntatem patiuntur? Tunc Dominus: Benignitas mea hoc perficit. Nam ut in ſæcularibus videtur, quidam ſe vitro ac cupro componentes ornati cernuntur, ſed qui auro & gemmis redimuntur, multo ditiores reputantur; ſimiliter etiam in illis fit. Sed reſponderi poteſt, nomen *meriti* hoc loco ſumi latius, ut idem ſit, ac *congruentia* ad dona DEI, v. g. ad liberalem condonationem pœnæ.

XXIV. L. 3. C. 38. Docet, quod communicans accipiat effectum ſalutis in corpore & anima, & quod ſpiritualiter communicans accipiat æqualem fructum. Sic habet: Nunquid Domine majorem effectum habent, quæ te jam ſacramentaliter ſuſceperunt? Reſpondit Dominus: Nunquid ditior reputatur ille, qui gemmis & monilibus decoratur, ſive ille, qui aurum obrizum multum in abſcondito habet reconditum? in quibus verbis Domini dabatur intelligi, quod quamvis ille, qui ſacramentaliter communicat, indubitanter effectum ſalutis conſequitur copioſum tam in corpore, quàm in anima, ſecundum fidem Eccleſiæ; ille tamen, qui purè ad laudem Dei ex virtute obedientiæ ſimul & diſcretio-

Digitized by Google

nis omittit ſacramentaliter corpus Chriſti ſuſcipere, & deſiderio ac amore Dei inflammatus ſpiritualiter communicat, multo effectuoſiorem fructum conſequitur apud Deum, licet hoc humanum lateat intellectum. Ita G. Quod ſalutis fructum capiamus etiam in corpore, eſt erroneum, quia Sacramenta inſtituta ſunt pro ſalute animæ, non pro ſalute corporis. Dein ſpiritualiter communicans non recipit majorem fructum, ſi ſacramentaliter communicans æqualem habeat devotionem, ac ille, qui tantùm ſpiritualiter communicat. Sed forte reſponderi poteſt, per effectum Sacramenti *in corpore* nil aliud intelligi, quàm dignificationem, ſacrationem quandam, vel jus ad reſurrectionem proximum. Majus verò meritum non refertur ad non communicantem reſpectu communicantis cum æquali diſpoſitione interna, ſed præcisè comparatur fructus ex opere operantis ad fructum ex opere operato.

XXV. L. 3. C. 44. Docet, quod ille, qui certò ſcit, ſe à DEO trahi ad contemplationem, tutô negligat auſteritates Ordinis. Sic habet: Gertrudes ad Dominum ait: Dicent alii, cùm in ordine cœnobitali fecerim profeſſionem, tenerer fervorem devotionis ſic temperare, ut rigori ordinis regularis valerem deſervire. Ad quod Dominus hac ſimilitudine ipſam dignatus eſt docere. Sicut, inquiens, ſi ordinarentur aliqui Camerarii coram menſa regis ſedulo ſerviturí ob reverentiam regis, Rex verò ſenio confectus ſive debilitatus advocaret unum de adſtantibus, in cujus ſinum delectaretur ſuſtentari per tempus pauſaturus, valde indecens eſſet, ſi Camerarius ille repente ſurgens ipſum cadere permitteret, eò quod ad ſtandum coram menſa ipſius quondam ordinatus fuiſſet. Similiter incongruum eſt, ut ipſe, quem ego gratuita pietate mea attraho ad fruitionem contemplationis, ſe ab illa retrahat propter ſequen-

ſequendum rigorem ordinis cujuscunque profeſſionis, cum ego in infinitum magis delecter in una amante anima, quàm in omni labore & exercitio corporali. Si quis tamen certitudinaliter non trahitur à ſpiritu meo ad quietem contemplationis & tamen negligit Ordinem ob ſtudium concupiſcendæ contemplationis, ille quaſi non vocatus videtur ſe ad menſam regis ponere, cum ordinatus ſit miniſtrare ad menſam. Ita Revelationes. Sed reſponderi forte poteſt, hìc non excludi neceſſarium conſenſum & approbationem Superioris; immo hanc regulam potius fuiſſe datam Superiori pro ſe & ſubditis regendis, quàm ipſis ſubditis.

XXVI. L. 3. C. 60. Chriſtus ad S. Gertrudem ait: Ego tibi adero, & ſingulis vicibus ſeptem Sacramenta efficacius in anima tua renovabo, quàm ullus Sacerdos vel Pontifex ſeptem vicibus perficere poſſet; Ego enim ſanguine meo baptizabo, in virtute victoriæ meæ te confirmabo, in perfectione ſanctiſſimæ converſationis meæ te conſecrabo. &c. &c. Hæc propoſitio, ut jacet, videtur erronea, quia ſi iſta tantum fiunt per imitationem, ac ſimilitudinem, non debet illis adſcribi major efficacia, quàm ipſis Sacramentis, in quorum contemptum videtur cedere iſte modus loquendi. Sed reſponderi poteſt, hìc S. Gertrudi ex ſpeciali favore promitti majorem gratiam, quàm eſſet gratia ex opere operato; quod privilegium, ut erat ſingulare, non eſt trahendum in ſequelam, reſpectu aliorum.

Digitized by Google

XXVII. L. 3. C. 73. §. 2. Chriſtus ad S. Gertrudem ait: Quandocunque aliquis ſe alterius orationi committit, plene confidens, quod per ejus merita divinam poſſit obtinere gratiam, pius Dominus indubitanter ſecundum deſiderium & fidem ſuam benefacit ipſi, etiamſi ille cui ſe committit, neglexerit devotè orare pro ipſo. Hæc propoſitio videtur contra communem ſenſum, poteſt tamen explicari.

XXVIII. L. 4. C. 2. Chriſtus ad S. Gertrudem: Voluntas tua tam plene divinæ voluntati meæ eſt unita, quod nihil velle poteſt, quàm quod ego volo. Et L. 1. C. 14. per gratiam meam tua voluntas adeo meæ unita eſt, ut aliud atque ego nequeas velle. Hæc propoſitio poteſt explicari, quod Sancta conſolidata in bono *moraliter* non poſſit velle malum; vel quod hoc loco ipſi promittatur donum perſeverantiæ per eam continuam gratiam, quæ prævidetur fore efficax.

XXIX. L. 4. C. 6. Cum S. Gertrudes nihil inveniret, quod Chriſto dignè offerret, quæſivit in omni creatura, ſi aliqua poſſet inveſtigare dilecto condignè offerenda. Sic quærens reperit quædam in laudem Salvatoris non cedentia, quæ ipſa ſibi avidè uſurpans revocare cura-

Digitized by Google

curabat ad illum, cui ſoli ſervire tenetur omne, quod creatum eſt. Unde obtulit Domino pro fragrantiſſimo thuris ſacrificio omnem ſimulatoriam ſanctitatem hypocritarum, pharifæorum, hæreticorum & ſimilium. Intrahere etiam videbatur cordi ſuo amorem falſum & impurum omnium creaturarum, & hunc obtulit Domino pro auro pretioſo. Hæc omnia in corde ſuo omni ſcoria decocta & miro modo nobilitata videbantur Domino præſentata. Iſta intentio ac pia affectio purificandi aliena peccata in corde noſtro, & ſic purificata offerendi DEO eſt quidem laudabilis; ſed cautè adhibenda circa ſolos actus de ſe bonos, qui tantùm vitiantur ex intentione & fine, v. g. circa orationes, & jejunia hypocritarum, circa quæ poteſt haberi complacentia, & velleitas.

XXX. L. 4. C. 7. S. Gertrudes jubet communicare Moniales non præmiſſa Confeſſione. Sequenti die orans pro his quæ ad monita ſua communicabant non obſtante, quod per Confeſſoris abſentiam confeſſionem non fecerant, videbatur Dominus eas veſtire veſte candidiſſima, ſcilicet ſui innocentia. Quamvis liceat communicare non præmiſſa confeſſione, ſi quis non habet conſcientiam peccati, non videtur tamen id præcipiendum à Superiore ſubditis, cum aliena conſcientia non poſſit eſſe perſpecta. Sed reſponderi poteſt, S. Gertrudem non *præcepiſſe*, ſed *monuiſſe*. Dein etiamſi præcepiſſet ob moralem certitudinem

de

de bona diſpoſitione ſuarum monialium potuiſſet cum ſe excuſantibus diſpenſare.

XXXI. L. 4. C. 14. Chriſtus ad S. Gertrudem ait: *Pro emendatione tot criminum, quæ committuntur ab hominibus, offeras mihi pœnas & amaritudines meæ innocentiſſimæ paſſionis & mortis.* Sicut Chriſtus non ſibi obtulit ſuam paſſionem, ſed patri, ita & nos facere oportet; poſſumus quidem invocare Chriſtum per ſuam paſſionem, ſed hoc non eſt offerre Chriſto paſſionem, ſed proponere ut motivum. Poſſumus Regi, ut exaudimur, in memoriam reducere propriam bonitatem & propria merita, ſed non poſſumus iſta Regi offerre ſine abſurditate. Sed poteſt reſponderi, hunc terminum *offerri* apud S. Gertrudem idem ſonare, ac, *in memoriam revocari.*

XXXII. L. 4. C. 24. docet, gratiam finalem non dari ſine præcedenti merito. Quod eſt contra doctrinam Eccleſiæ cum S. Auguſtino docentis, gratiam dari ſine ullo merito. Sic habet: Cum legeretur; *Hodie mecum eris in paradiſo*, intellexit per ſpiritum, quod ſicut nemo conſequitur dignum fructum pœnitentiæ in ultimo ſuo fine, niſi ad hoc habilitetur alicujus virtutis merito; Latro ille, qui tam ſalubrem adeptus eſt fructum pœnitentiæ, ad illam fuit habilitatus per hoc, quamvis ſceleratus & latrociniis deditus eſſet, tamen ubicunque manifeſtam cognovit injuſtitiam, ſæpe redarguit, ſociisque reſtitit; quod etiam in cruce fecit ſocium arguendo. Unde miſericordiam conſecutus eſt apud Deum ſed forte reſponderi poteſt, *meritum* hìc à S. Gertrude, ſumi pro *motivo*, vel *congruentia*, ut ſupra jam obſervatum eſt.

XXXIII.

Digitized by Google

XXXIII. L. 4. C. 26. Dominus S. Gertrudi præbuit cor ſuum, de quo tot virgulæ fumi ex aromatibus redolentibus aſcendebant ad Patrem, pro quot generibus hominum Dominus mortem ſuſtinuit. An ergo Chriſtus non mortuus S. Gertrudi videtur pro ſingulis generum, ſed tantum pro generibus ſingulorum? quæ ergo cauſa eſt, cur tantùm meminiſſe velit generum, non verò ſingulorum? Sed reſponderi poteſt, hìc mentionem potius fieri generum, quàm ſingulorum, quia ſingulis, utpote innumeris non correſponderent tot ſymbola.

XXXIV. L. 4. C. 27. docet, animas è purgatorio liberatas per nos obtinere poſſe augmentum gloriæ. Sic habet: Gertrudes dixit: Peto, JESU amantiſſime, ut hac hora abſolvere digneris animas omnium ſpecialium tuorum. Tunc Dominus oſtendit illi multitudinem animarum à pœnis abſolutam dicens: Ecce, has omnes aſſigno dilectioni tuæ, quia æternaliter apparebit in cœlis, quod tuis ſint precibus liberatæ. Cumque Gertrudes intelligeret, animas quamvis à pœnis liberatas nondum tamen æternis gaudiis ſociatas, præbuit ſe totam divinæ pietati ad tolerandum, quæcunque ſibi placerent, pro eo ut animabus illis plenam beatitudinem conferre dignaretur: tunc placatus Dominus omnes eadem hora ſublevavit ad gaudia cœli. Hinc poſt moram dum gravem ſentiret laterum dolorem, Dominus dolorem ejus contulit prædictis animabus in augmentum gaudiorum ſuorum, dicens: Hoc munus devotionis mihi à Sponſa oblatum exhibeo vobis in cumulum beatitudinis ſempiternæ. Ad hoc poteſt reſponderi, ſicut Num. 12.

XXXV. L. 4. C. 32. Dominus ad Gertrudem ait: Si deſideras Spiritum Sanctum accipere, oportet te ad modum diſcipulorum meorum prius latus & manus meas contrectare &c. Hinc inſufflavit Dominus Gertrudi, & dedit illi Spiritum Sanctum dicens: Accipite Spiritum Sanctum in vobis, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis. Ad quod illa: Domine, quomodo poteſt hoc fieri, cùm hæc poteſtas ligandi & ſolvendi ſolis data ſit ſacerdotibus? Reſpondit Dominus: Cujuscunque cauſam tu per ſpiritum meum diſcernendo judicaveris non eſſe culpabilem, ille certe innoxius apud me reputabitur, & cujus cauſam diſcernis eſſe culpam, reus coram me apparebit, quia ego loquar per os tuum. Ad quod illa: Cum ſæpius dignatio tua piiſſime Deus de hoc eodem dono me certificaverit, quid modo ex hoc conſequor, quod iterum idem mihi concedis? Reſpondit Dominus. Cum quis conſecratur in Diaconum, & poſtea in presbyterum, non ideo perdit Officium Diaconatus, ſed majorem ex ſacerdotio conſequitur honorem; ſic etiam cum animæ donum iteratur, certè per repetitionem firmius in ea ſtabilitur, & per hoc cumulus beatitudinis ejus augmentatur. In hac doctrina primò non apparet, quod alii diſcipuli præter ſolum S. Thomam vulnera Chriſti contrectaverint. Dein falſa videtur formula, qua confertur poteſtas remittendi peccata, ſi tantum habet donum diſcernendi juſtum ab injuſto; hoc enim non eſt remittere peccatum, ſed annuntiare remiſſum, prout explicant Lutherani. Denique paritas à Diaconatu & presbyteratu videtur prorſus inepta, quia hìc erat quæſtio de reiterata conceſſione ejuſdem poteſtatis. Dein cum hæc reiteratio non ſit meritoria, quomodo augebit beatitudinem? Denique,

nique, cur Chriſtus non utitur ſingulari, dicendo, accipe? aut ſi vult conferre donum diſcretionis, quid opus eſt adhibere formam Sacramentalem? Sed forte reſponderi poteſt, hic S. Gertrudi per luſum amoris, illius imaginationi congruum, à Chriſto fuiſſe collatam poteſtatem extraordinariam bene diſpoſitos ad remiſſionem pœnæ cognoſcendi, eamque illis deprecatoriè impetrandi.

XXXVI. L. 4. C. 34. S. Gertrudes B. Joanni Evangeliſtæ ait: O quali jucunditate tunc fruebaris, cum taliter eſſes ſublimatus? ad quod ille: Verum dicis, ſed hoc ſcias, quod jam majori delectatione jucundor ex illis, quæ tu modo retractas congratulans benignæ dignationi amantiſſimi Domini mei. Quis credat, S. Joannem magis jucundari in actu virtuoſo tranſitorio Gertrudis, quàm in ſua gloria? talis exceſſus lætitiæ non foret prudens, quod in Sanctis repugnat. Reſponderi poteſt, aliquod genus gaudii in beatis majus eſſe de proprio vel alieno merito, quàm de propria gloria.

XXXVII. L. 4. C. 41. Spiritus Sanctus ſe animæ S. Gertrudis quodam tenaciſſimo glutino feliciſſima unione inſeparabiliter conglutinavit. Quod inſeparabilis ſit unio Dei cum anima, intelligendum eſt *moraliter*, vel de promiſſione perſeverantiæ.

XXXVIII. L. 4. C. 42. S. Gertrudes intellexit, quod quoties in feſto Trinitatis nominabatur perſona Filii, toties DEUS pater ineffa-

 bili

bili modo Filio ſuo blandiebatur; & ex illa blanditate humanitas Chriſti miro modo clarificabatur, & ex illa clarificatione humanitatis Chriſti omnes Sancti percipiebant novam cognitionem Trinitatis. Hæc auctio gloriæ poſt mortem non eſt recepta, ſed nec eſt contra fidem.

XXXIX. L. 4. C. 43. In feſto Joannis B. apparuit idem Baptiſta, & videbatur orare pro omnibus, qui venerationi ejus intererant, & hoc obtinere, ut ſuo interventu daretur ipſis illud meritum, quod ipſe præcurſor illo fideli labore acquiſierat, quod ſuperſtudiosè curabat ad DEUM convertere corda populorum. Hæc oratio S. Joannis non videtur eſſe actus prudentiæ, quia non poteſt illud meritum immenſum, quod Baptiſta ſua prædicatione obtinuit, ſtatim cuilibet dari ob levem devotionem, qua intereſt ejus feſtivitati. Dein meritum propriè non poteſt donari alteri, niſi per modum interceſſionis, quomodo ergo Baptiſta rogat, ut habeant alii *idem meritum*, quod ipſe habuit? Sed forte reſponderi poteſt, S. Joannem tantum rogaſſe, ut omnibus concedatur gratia ponendi ſimile meritum:

XL. L. 4. C. 49. Spiritus S. de B. V. dixit: Una eſt columba mea. Tunc Filius addidit: Perfecta mea; quaſi diceret, omne quod tam in divinitate quàm in humanitate in homine invenire optarem, in iſta inveni perfectiſſimè.

Quo-

Quomodo in B. Virgine poſſunt omnia inveniri, quæ inveniuntur in divinitate, & quidem perfectiſſimè? Sed reſponderi poteſt, id factum per imitationem.

XLI. L. 4. C. 53. Cùm B. Virgo repræſentaret filio hæc verba: *Ipſa intercedat*, Chriſtus reſpondit: Ex omnipotentia mea Mater Reverenda tibi conceſſi poteſtatem propitiandi peccatis omnium, qui devote invocant tuæ pietatis auxilium, qualicunque modo placet tibi. Eccleſia non agnoſcit poteſtatem, remittendi authoritative peccata niſi in Deo, & in ſacerdotibus, neque admittit alium modum obtinendi extra Sacramentum pœnitentiæ remiſſionem peccatorum, niſi per contritionem perfectam, quod tamen eſſet falſum, ſi B. Virgo poſſet remittere peccata, quomodo ipſi placeret. Neque fideles ſolent rogare B. Virginem, ut ipſa remittat nobis peccata. Sed reſponderi poteſt, id poſſe intelligi de gratia, quam B. Virgo habet, peccatoribus obtinendi gratiam converſionis, eamque illis per filium procurandi diverſiſſimis modis, quos Virgo ſapientiſſima adinvenit, & adhibet ſuis clientibus.

XLII. L. 4. C. 57. docet, quod Religioſi veniant in Chorum Martyrum, recipiantque eorum mercedem. Sic habet: Chriſtus videbatur quosque fidelium adhuc in terris militantis Eccleſiæ degentes Choris Sanctorum jam in cœlis triumphantium interſeruiſſe ſecundum meritorum ſuorum dignitatem v. g. qui matrimonio legitimè utentes in timore Dei bonis exercentur operibus apparebant adjuncti ſanctis Patriarchis. Qui verò ſecreta myſteriorum DEI cognoſcere merentur, Prophetis ſanctis addicti videbantur. Qui

autem prædicationi & doctrinæ ſanctæ inſerviunt, B. Apoſtolis videbantur coadunati, & ſic de aliis. Cognovit etiam ſpecialiter Choro Sanctorum Martyrum ordinem Religioſorum ſub obedientia regulari Deo ſervientium inſertum, eò quod ſicut Martyres in eo membro, in quo paſſi ſunt pro Domino, ſpecialem decorem ſimul & poteſtatem receperunt inæſtimabilis delectationis, ita & Religioſi pro ſingulis delectamentis, à quibus in quacunque re ſe continent, ut in viſu, guſtu, auditu, ambulando, vel loquendo, & ſimilibus Sanctorum Martyrum meritis adæquati conſimilem cum ipſis percipient remunerationem in cœlis. Quoniam licet perſecutor ipſorum non fundat ſanguinem, tamen, quod majus eſt, propriam abſcindere voluntatem ſtudent per continuas abſtinentias immolantes quodamodo ſacrificium confeſſionis quotidianum. Sed forte reſponderi poteſt, Martyres & Religioſos à S. Gertrude non æquiparari in laureola gratuita, ſed tantum in merito, & in prœmiis merito correſpondentibus.

XLIII. L. 4. C. 60. Adſcribit Chriſto nova gaudia, quæ non videntur convenire illi, qui præſcientiam habet futurorum, ut nos habemus ſcientiam præſentium, & eatenus eſt diſcrimen inter Chriſtum, & ſanctos, in quibus nova delectatio ſine tamen novo augmento gloriæ concedi poteſt. Sic habet: Gertrudes intellexit inæſtimabilem dulcedinem, qua cor divinum afficitur, quoties aliquis cum mœrore ſua peccata recolit, & cum deſiderio proponit ea vitare. Quod quotiescunque facit, toties filius DEI inæſtimabili novæ exultationis ſuavitate affectus canit Patri. &c. Sed non eſt contra fidem, in humanitate Chriſti glorificata admittere nova gaudia.

XLIV.

XLIV. L. 5. C. 8. Expreſsè docet quod aliqui beati in pœnam non ſtatim habeant perfectam viſionem intuitivam DEI. Id, quamvis non coincidat cum errore Joannis 22, qui etiam à maculis jam purgatos excludebat à viſione intuitiva, eſt tamen alienum à ſenſu communi fidelium, & Theologorum, immo & à ratione; quia nulla partialis beatitudo debetur, niſi perfectè purgatis. Sic habet: Duæ puellæ genere nobiles, ſed mente multò nobiliores, carne germanæ, ſed Spiritu & virtutibus magis propinquæ poſt peractam innocenter puerilem ætatem in ſanctæ Religionis virtutibus florentes in novitio fervore de hoc ſæculo ad cœleſtem thalamum immortalis ſponſi ſunt vocatæ; de quarum utriusque verbis & factis fervens deſiderium & miram devotionem ac optimam voluntatem redolentibus præmagnifica poſſent enarrari. Prima igitur Gertrudi pro ea oranti apparuit, quaſi in magna luce, & ornatu vario ante thronum gloriæ Imperatoris Chriſti JESU, cui tamen adſtitit tanquam ſponſa verecunda, nitens ſubducere faciem, & nequaquam auſa levare oculos ad gloriam tantæ majeſtatis. Quod cum Gertrudes videret, ducta Zelo pietatis dixit ad Dominum: Quare hanc filiam permittis adſtare quaſi alienam, non ſuſcipiens eam inter ſuaves amplexus tuos? ad quod Dominus blandiſſima ſerenitate deflexus videbatur extendere dextram ſuam velut in ejus amplexus; anima verò illa videbatur ſe amplexibus ſubtrahere; quod Gertrudes multum admirans dixit ad animam. Qua de cauſa videris tam amabilis ſponſi amplexibus ſuavibus te ſubducere? ad quod illa. Quia me nondum plenè purgatam aliquæ maculæ indecentem faciunt. Tunc Gertrudes: Et hoc quomodo eſſe poteſt, cum tamen videaris jam tanquam glorificata præſentiæ Domini adſtare? reſpondit anima. Illam beatitudinem, qua beata anima jucundatur ex fruitione & viſione divinitatis cum plena remuneratione, nulla

nulla anima meretur accipere usque dum plene purgata ab omni macula intrare mereatur in gaudium Domini. Hinc poſt menſem, dum germana illius moreretur, & Gertrudes pro mortua oraſſet, vidit animam ejus in loco quodam lucido in ſpecie cujusdam virgunculæ, quæ rubeis veſtibus decenter ornata ſponſo eſſet præſentanda. Apparuitque ibidem juxta eam Dominus in ſpecie juvenis floridi ex ſingulis ſuis quinque vulneribus animæ quinque ſenſus ſingulos nova ſuavitatis dulcedine recreando & miræ blanditatis delectamentis ipſam conſolando. Tunc Gertrudes dixit ad Dominum. Cum tam blanda ſerenitate huic adſis, quid ſibi vult, quod tamen mæſtiori vultu internum gravamen prætendit? ad quod Dominus: Ex hac præſentia, cùm ipſi tantummodo meæ humanitatis delectamenta exhibeam, non poteſt plene conſolari, quia per eam rependi ipſi duntaxat illud deſiderium & devotionem, quam ad paſſionem meam in extremis habuit. Sed poſt hæc, cum purgata fuerit à negligentiis prætentæ vitæ, in præſentia jucundiſſimæ divinitatis meæ eam perfectè conſolabor.

Rurſus L. 5. C. 12. Cum aliqua Monialis migraſſet e vita, ſequenti die apparuit Gertrudi mirabiliter perornata, ut decebat, quia per omnem vitam ſuam innocentiſſimæ ſimplicitatis fuerat, & ad hoc etiam valde devota, & in rigore ordinis ſtudioſa. Illa tamen macula adhuc in ea purganda intelligebatur, quod in infirmitate habuit aliqua, quibus non indiguit, in quibus delectabatur videlicet xenia & conſolationes amicorum. Hæc itaque macula tali modo purgari monſtrabatur, ſcilicet quaſi ſtaret in janua contra ſolium regis gloriæ. Sed nullo modo potuit propius accedere. Cumque Gertrudes hæc videns ex corde compaſſa oraret pro ea, ab hoc impedimento divina clementia eſt relaxata. Poſt hæc iterum viſa eſt hæc beata anima nondum plenè liberata à ſuo impedimento. Apparuit enim ſtare ante thro-

Digitized by Google

thronum Domini, & ſimili deſiderio, ſicut ante deſideraverat pervenire, cum in porta teneri videretur, etiam nunc deſideravit ruere in amplexus & ſociari oſculis ſponſi, ſed ſimili impedimento tenebatur. Cumque ab hoc iterum eſſet liberata, tandem apparuit non plenam adepta gloriam; ſed Dominus videbatur manibus ſuis tenere coronam miro modo ornatam, quam dum ipſi imponeret, cum ea plenum gaudium erat acceptura. Hæc dum Gertrudes vidit, requiſivit à Domino dicens: Num Domine poteſt hoc eſſe in regno tuo, quod anima tali exſpectatione cruciétur? Reſpondit Dominus: Non cruciatur, ſed cum gaudio exſpectat conſummationem, ſicut puella, quæ videt in manibus matris ornamenta, quibus ſequenti die feſto eſt ornanda, cum gaudio exſpectat diem illum. Hæc doctrina non ſolùm difficilis eſt ex eo, quia S. Auguſtinus docet eſſe hæreticam illam Pelagianorum doctrinam, qua aſſerebant, aliud eſſe regnum Chriſti & aliud vitam æternam, in qua nondum habetur beatitudo perfecta. Sed etiam ex eo, quia ſi datur talis exſpectatio in pœnam peccati, & quidem diuturna, neceſſariò cruciat; & paritas à Chriſto adducta poteſt inverti; ſi enim mater oſtenderet filiæ ornatum primùm conferendum poſt annum, & hæc dilatio fieret in pœnam delicti, non poſſet non contriſtari filia. Certe Scriptura Proverb. 13. dicit: *Spes, quæ differtur, affligit animam*, & omnes Theologi docent, privationem viſionis intuitivæ ſecum ferre triſtitiam ac cruciatum, quæ tamen ſunt aliena à regno Dei. Ut teſtatur S. Joannes in Apocalypſi. His non obſtantibus non eſt improbabilis ille progreſſus animarum purgantium usque ad beatitudinem perfectam.

XLV. L. 5. C. 23. Cum S. Gertrudes pro anima defuncti offerret DEO omne opus bonum, quod Dominus unquam dignatus eſt in

ea, & per eam operari, vidit Dominum cuilibet operi ſibi oblato aliquid addere ex pietate ſua, & ſic illi remittere, ut pro bona voluntate nunc duplicatum reciperet, & conſervaret in æternam remunerationem; per quod intellexit, quod homo non perdit, ſed multum lucratur in charitate alios adjuvando. Hæc donatio omnium operum etiam præteritorum pro una anima videtur imprudens; non igitur duplicati prœmio digna; multo minus iſte modus in uno momento duplicandi ſua merita poteſt eſſe univerſalis, quia Deus debuiſſet eum manifeſtare Eccleſiæ, ſi daretur, quod nunquam fecit ante iſtam revelationem, quæ & ipſa usque ad ſæculum 16. delituit in tenebris. Sed reſponderi poteſt forte, eam oblationem omnium operum præcedentium eſſe tantum rememorativam in conſpectu Dei, nec dedecet Deum, ſuæ Sponſæ ſingulari conteſtari ſuam complacentiam in iis operibus duplicando gratis prœmium.

XLVI. L. 5. C 29. Chriſtus videtur remittere peccata in futurum primum committenda. Sic habet: Dominus S. Gertrudi reſpondit. In quibuscunque deinceps delinques ex humana fragilitate, ſint per virtutem meæ divinitatis emendata. Hic terminus *emendata*, idem eſt ac *condonata*, quia in hoc ſolo ſenſu frequenter occurrit in his revelationibus, ut patet legenti. Sed reſponderi fortè poteſt, Chriſtum hìc tantum dare promiſſionem futuræ condonationis præmiſſa gratia emendationis, ut hic terminus *ſint* idem ſonet, ac *erunt*.

XLVII.

Digitized by Google

XLVII. L. 5. C. 31. S. Gertrudes acceperat in promiſſis à DEO, quod Dominus tantâ eam gratiâ perfundere dignaretur, quantum tunc temporis aliquis hominum percipere poſſet. Hæc promiſſio videtur Chymæra, quia dona, quorum homo eſt capax, poſſunt augeri in infinitum, nec datur donum finitum maximum. Sed reſponderi poteſt, Chriſtum ſolùm loqui de Summa gratiarum actu aliis hominibus congruè ad eorum diſpoſitionem collatarum.

XLVIII. L. 5. C. 33. Inducitur Chriſtus in cœlo ſupplicans B. Virgini. Sic habet: Cùm Gertrudes quædam Chriſto offerret, orans, ut ipſe eadem Matri ſuæ B. pro ſe dignaretur præſentare, exurgens Rex Gloriæ cor ſuum deificum obtulit Genetrici ſuæ B. dicens: Ecce, Mater amantiſſima, exhibeo tibi cor meum, & in ipſo tibi præſento omnem affectum divinum, ut obvies ſponſæ meæ in hora mortis ſuæ. Hic modus videtur inverſi Ordinis; certè Eccleſia nunquam habuit hunc modum orandi Chriſtum, ut oraret pro nobis apud Sanctos. Sed reſponderi poteſt, Eccleſiam in ſuis precibus id obſervare, quod ſervit omnibus pro regula & forma orandi; omnibus autem pro regula ſervire ſolùm poteſt in oratione, quod ſemper fit in curia cœleſti, & ſtantibus promiſſis divinis neceſſariò fit; & hoc eſt ſupplicatio inferiorum ad ſuperiorem. Quod autem ex particulari benevolentia & humanitate fit, non poteſt peti, niſi ab amicis familiaribus. Certè, quam Chriſtus in terris habuit humanitatem erga Matrem, non prohibetur exercere in cœlo; nec eſt improbabile, Chriſtum ad multa decernenda moveri ex affectibus humanæ naturæ ordinatis.

Digitized by Google

XLIX. In his revelationibus continentur promiſſiones quæ ab ordine divinæ ſapientiæ & providentiæ videntur exorbitare, aut quæ videntur falſæ. Sunt autem hæ.

I. L. I. C. II. Chriſtus promittit, ſe omnia daturum, quæcunque S. Gertrudes peteret. Sic habetur: Deus cuidam devotæ à ſe aliquid per orationem requirenti reſpondit: idcirco tibi dare diſtuli, quia non confidis, quomodo electa mea Gertrudes, quæ providentiæ meæ adeo innixa eſt, ut nihil non de exuberantia meæ bonitatis confidat. Quamobrem nunquam illi, quodcunque à me petierit, negabo. Hoc non obſtante in his ipſis revelationibus occurrunt exempla, in quibus Deus illud non dedit, quod petiit, ſed aliud quod non petiit. Nam L. I. C. 14. dicitur: Accidit nimia tempeſtatis ſiccitas, quam homines cauſabantur nimis pernitioſam agris; dumque Gertrudes pro amovendo hoc malo Dominum exoraret; reſpondit illi Dominus. Quia per hanc tempeſtatem quorundam corda mihi repugnantia corrigere ſtatui, quò ſaltem per orationem me quærant, neceſſe eſt idcirco in præſentiarum hanc precem tuam non exaudiri. Verumtamen ne putes te gratis aut inaniter oraſſe, alio propterea te donabo munere ſpirituali. Hæc illa audiens æquanimiter accepit gaudens deinde, cùm in ejusmodi aliis juxta Dei beneplacitum non exaudiretur. Et L. I. C. 19. dicitur: Gertrudes, dum pro re aliqua licet ferventiſſimè oraret, nullo modo potuit, quomodo ſolebat, reſponſionem à Domino obtinere, ſed in hoc tantùm conſolabatur, quando gratiam ſentiebat pro aliquo orandi. - Si quando pro re aliqua oraret, in qua nihil certi ei Dominus revelaret, conſolabatur, gaudebatque, Dei ſapientiam inſcrutabilem ſibi abſcondi. L. 2. C. 23. Gertrudes Deum alloquens ſolùm ait: Ne ſic quidem exhauſtum eſt pelagus bonitatis tuæ, quin oran-

orantem me frequentius exaudiret ſive pro peccatoribus, ſive pro animabus, ſive pro aliis cauſis. En dicit, *frequentius*, non *ſemper*. L. 3. C. 30. §. 5. dicitur: Cùm Gertrudes in oratione ſua perquireret à Domino, quid proficeret amicis ſuis; quod toties pro eis oraret, dum orationis in eis nullum videret profectum; reſpondit Dominus: Non mireris, quod corporaliter non cernis fructum orationum tuarum, quem ego diſpono ad utiliorem profectum, & quanto ſæpius pro aliquo oratur, tanto magis beatificatur, quia nulla fidelis oratio manebit ſine fructu, quamvis homines lateat modus. Et L. 3. C. 31. Dum auræ intemperies populum nimis affligeret, & ipſa cum aliis ſæpius ſuper hoc divinam miſericordiam invocaret, nec aliquem ſentiret effectum, tandem dixit ad Dominum: Quomodo protrahere potes tamdiu plurimorum deſideria, cum ego quamvis indigna de tua pietate in tantum confiſa ſim, quod ſola miſericordiam tuam inflectere poſſem ad majora? & Dominus: Non eſſet mirandum, quod pater non permitteret filio nummum, ſi toties haberet filio reponere centum marcas. Sic non mireris, quod protraho in hac cauſa vos exaudire, quia quoties pro ea invocatis, toties de æternis bonis longè ſupra centum marcas repono. Et L. 3. C. 33. S. Gertrudes ad Dominum ait: Cur quæſo toties effectu caret oratio mea? reſpondit Dominus. Cum regina dicit miniſtro ſuo, porrige mihi filum, quod dependet retrorſum ſuper ſiniſtram ſcapulam meam, putans ita eſſe, & ille videns filum ſuper dextram dependere, tollit profecto, conſultius exiſtimans hoc, quàm ut extraheret filum unum de tunica ex parte ſiniſtra; ſic ego, ſi quandoque non exaudio preces tuas ad vota, procul dubio ſemper pro eis diſpono meliora, cum tu humana fragilitate impedita non poſſis diſcernere meliora. L. 3. C. 50. Gertrudes deſiderare cœpit, ut Dominus eam quantocius reſtituere dignaretur priſtinæ ſanitati ad hoc, ut rigori ordinis devotius poſſet inſiſtere. Cui Dominus reſpondit iterum negativè. Et L. 3. C. 69.

N 3 Cum

Digitized by Google

Cum monaſterium eſſet gravatum debito, Gertrudes deprecabatur Dominum, ut juvaret proviſores clauſtri, ut perſolvere poſſent quod debebant. Reſpondit Dominus: Quid inde ego lucrarer, ſi juvarem. - Cùm verò Gertrudes non deſiſteret, ſed inſtantius Dominum exoraret, ut proviſoribus clauſtri prædictum gravamen alleviaret, Dominus reſpondit: Cur tibi durum videtur, ſi aliquis cauſa mei gravamina ſuffert? Et L. 3. C. 71. Cum Gertrudes oraret pro quadam perſona valde impatiente, Dominus dixit ad eam: Interroga illam perſonam, quales moleſtiæ ſibi conveniant &c. & L. 3. C. 72. Cùm Gertrudes oraret magno affectu pro aliqua perſona, Dominus reſpondit: Magis expedit, eam gravaminibus purgari. L. 3. C. 84. Gertrudes orans pro quadam perſona dixit: Domine cum orem ad laudem tuam pro homine iſto, & cùm tu tam omnipotens ſis, quod omnia prævaleas, quare non exaudis me? reſpondit Dominus. Sicut ex omnipotentia omnia prævaleo, ſic ex inſcrutabili ſapientia mea omnia diſcerno, nec aliquid perficio, quod non deceat. Ex his ergo manifeſtum eſt, S. Gertrudem non fuiſſe in omnibus exauditam; & dum L. 1. C. 14. Gertrudi oranti pro diſſolutione glaciei Chriſtus reſpondit; ſcias, in omnibus, quæ petiſti, te exauditam, idipſum referendum tantùm eſt ad particulare hoc objectum.

II. L. 1. C. 15. dicit Chriſtus ad S. Gertrudem: Quantum unusquisque per te ſperat ſe accepturum, tantundem à me absque dubio obtinebit; quidquid præterea cuivis nomine meo promiſeris, hoc ei certiſſimè præſtabo. Nam etſi fortaſſe humana imbecillitate præpeditus ille pro quo tu oras, operationem meam non ſenſerit, nihilominus tamen juxta promiſſionem in illius anima ego profectum operabor.

III. L. 1. C. 15. Dominus ad S. Gertrudem ait: Ecce dedi verba mea in ore tuo, & quæcunque ex inſtinctu meo aliis &

& nomine meo dixeris, ego in veritate confirmo; cuicunque præterea de bonitate mea aliquid promiſeris in terra, ego illud firmum ratumque habebo in cœlis. Ad hæc illa Domino reſpondit: Domine, ego dolerem, ſiquis inde damnationem incurreret, ſpiritu me ad loquendum impellente, & dicente, nullum eſſe delictum, quod illud impunitum maneat, & alia hujusmodi; cui Dominus reſpondit; Quando juſtitiæ animarumque Zelo urgente hujusmodi loqueris, clementia mea hominem, cui locuta es, præveniens admonebit, ut de reatu ſuo pœniteat, ne ultionem ſuppliciumque contemnens verba tua commereatur. Tunc illa rurſus ad Dominum loquens ait: Si verè ita eſt, quod tua bonitas ore meo loquatur, cur tunc verba mea in quibusdam adeò parum proficiunt, quos tamen opto tam ferventer in tui laudem & eorum promovere ſalutem? cui reſpondit Dominus: Ne mireris, quod verba tua quandoque absque fructu manent, quando me quoque prædicante verba mea non in omnium cordibus fructum ſalutis operabantur. Et L. 3. C. 84. cum S. Gertrudes conquereretur ad Dominum, quod non fuiſſet exaudita pro aliqua perſona a qua volebat tolli quasdam imperfectiones, Dominus reſpondit: Sicut Rex non purgat ſtabulum ſuis manibus quia non deceret; ſic ego nullum converto à malo, in quod propria voluntate incidit, niſi ipſe ſibimet vim inferens voluntatem mutet, & exhibeat ſe mihi amabilem & decentem. Ex his patet, generales promiſſiones quibus S. Gertrudi promittitur converſio cujusvis peccatoris, pro quo oraverit, vel cui remiſſionem promiſerit, eſſe tot clauſulis & limitationibus & conditionibus munitas, ut egeant commentario; qualis modus loquendi non videtur convenire Chriſto. Si dicatur, quod etiam Chriſtus in Evangelio talibus generalibus promiſſionibus uſus fuerit. v. g. Matth. 18. *Si duo ex vobis conſenſerint ſuper terram, de omni re quamcunque petierint, fiet illis à Patre meo.* Reſpondetur: has promiſſiones non eſſe omnino hoc modo, ut in his locis, gene-

generales; quia tantùm loquuntur de re, quam pro ſeipſis petunt; ea enim infallibiliter dabitur cuicunque petenti, ſi bene, & conſtanter oret, & ſi bonum ipſi ſit in ordine ſuæ vocationis, quod petit; Sed promiſſiones Gertrudianæ ſunt generales pro quibuscunque perſonis. Sed reſpondendum, etiam in Scripturis v. g. Moyſe, & Prophetis dari plurimas promiſſiones, quarum executio pendebat à conditionibus homini incognitis, aut aliàs tacitis. Solet Deus loqui cum ſuis familiaribus in terminis generalibus ad inſinuandam ſuam propenſionem voluntatis, reſervando tamen explicationem ac limitationem congruo tempori & loco.

IV. L. 1. C. 15. dicitur: Permulti ad Gertrudem perinde ac ad divinum oraculum, dum in ambiguis fluctuarent, accepturi conſilium ſolebant confugere; potiſſimùm autem ii, qui ſcrupulis angebantur hæſitantes, deberentne propter unum aliudve, quo movebantur, à Sacræ Euchariſtiæ perceptione abſtinere, quorum ſingulis, quomodo expediebat, ſuadens inducebat eos ſuper miſericordia Dei confidere. Aliquando, dum metueret, ne præſumptionis propterea à Deo argueretur, Dominus eam his verbis conſolatus eſt. Noli timere. Omnibus, qui per te humiliter ac devotè me quærunt, ego per te etiam verè reſpondeo. Tu quoque ex me promiſſionem hanc ſecurè accipe. Nunquam, quem ego Sacramenti corporis & ſanguinis mei participatione indignum judicavero, permittam, ut pro hac re te conſulturus accedat. Quare iis, quos ad te mitto, timoribus & ſcrupulis gravatos ſecurum nuntiato ad me acceſſum; nulli enim horum tui gratia ſinum meum paternum præcludam. Sed ſupra patuit, Deum Gertrudi ſæpe conſulenti non reſpondiſſe. Dein hæc promiſſio addit conditionem à Gertrude incognoſcibilem, eam videlicet, quod ſit verè reſponſura interrogantibus, *ſi à Deo ad quærendum mittantur.* Sed hæc reſervatio conditionum ejusmodi decet Deum.

V. L. 1.

Digitized by Google

V. L. 1. C. 15. Accidit, quod Gertrudes quendam ob culpam corriperet, inde verita, ne fuiſſet nimis ſevera, confugit ad Dominum, qui reſpondit: Noli timere; ſingulari enim hoc privilegio te præfero, ut quicunque de negotio etiam quocunque humiliter ac fideliter requiſierit te, tu in luce veritatis meæ hujus negotii intima perſpicies, diſcernesque, quomodo ego illud diſcerno & judico juxta rei & hominis conditionem; & cujus cauſam ego judicavero graviorem, huic tu meo nomine durius reſpondebis, & è diverſo pro levioribus cauſis blandius reſponſum dabis. Præterea, quicunque triſtitia, preſſuraque aliqua affectus humiliter ſimplicique veritate in verbis tuis conſilium aut conſolationem quæſierit, deſiderio ſuo nunquam fruſtrabitur. Hæc promiſſio mira eſt ex eo, quia, cum ne quidem Chriſtus voluerit reſpondere de omni negotio, v. g. de controverſia duorum fratrum volentium dividere hæreditatem, cur donum judicandi in omni negotio tribueret alteri? Sed, ut dictum, generales promiſſiones DEI ſemper in executione ſupponunt conditiones decentes DEUM; hinc in executione promiſſionum non timendum eſt abſurdum.

VI. L. 1. C. 15. Dum Gertrudes pro ſibi commendatis oraret, hoc à Domino accipere meruit reſponſum. Quomodo olim ſub lege, quicunque cornu altaris apprehendebat, pacem & immunitatem ſe gaudebat inveniſſe, ſic modo, quicunque ſe tuis orationibus fiduciam habens commendaverit, per gratiam meam ſalvus erit. Confirmabatur hujus promiſſionis veritas etiam ex teſtimonio Dominæ Mechtildis cantricis, cui pro Gertrude oranti oſtenſum eſt cor ejusdem in ſimilitudinem firmiſſimi pontis, intellexitque Dominum ſibi dicentem. Quicunque ad me per hunc pontem conantur venire, nunquam cadere poſſunt aut hallucinari. Hæc promiſſio videtur valde periculoſa, quia neç Chriſtus habuit hoc privilegium, ut, qui ſe illi ſemel commendaſ-

ſet, fieret ſalvus. Diſcipuli, qui abierunt retro, ſine dubio ſe prius commendarunt Chriſto, & tamen perierunt. Sed hæc intelligi poſſunt ſuppoſitis ſupponendis in eo te textu: *Qui crediderit, ſalvus erit.*

VII. L. 1. C. 17. Mechtildis Dominum ſic percunctata eſt: Dediſtine Domine mi Gertrudi dona hujusmodi, quibus tutò posſit pro negotiis dubiisve elucidandis venientibus quibuscunque ad ſe reſpondere, & ex ambiguitatibus eos extricare, certioresque ac tutos in tuæ cognitionis veritate facere. Eſtne & hoc apud te firmum, ut omnes per eam te quærentes ſalutis æternæ ſint ſubſidium inventuri? Hæc enim es illi pollicitus his & his verbis, quæ pro ſui inſtructione & humilitatis cauſa ipſa mihi revelavit. Ad quod Dominus reſpondit: Ego certè ſingularibus ipſam præeminentiis iis donavi. Quidquid ſperare poteſt quispiam ſe per eandem accepturum, absque dubio obtinebit. Deinde quemcunque ipſa altaris communione judicaverit dignum, hunc miſericordia mea nunquam habebit indignum. Tertiò, ſi quem ad communionem hortata fuerit, hic affectuoſius à me reſpicietur. Quartò denique ſingulorum defectus ad ſe venientium juxta diſcretionem meam divinam judicabit ipſa vel leviores vel graviorés, quomodo ego eos judicabo. Verumtamen, quoniam tres ſunt qui teſtimonium perhibent in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, ſic ipſa ad ea quæ loqui vult, quæ ſequuntur, debet reſpicere. Primò obſervet cum loquitur alicui, ſentiatne Spiritum ſe intus impellentem ad loquendum; ſecundò advertat, an ille, cui loquitur, doleat, aut ſaltem dolere velit pro ſuo defectu. Tertiò obſervet, bonamne habeat ille, cui loquitur, voluntatem. Hæc tria ubicunque invenerit, ſecura & absque dubio ſcrupulove, quidquid dignum judicaverit, reſpondeat; quia ego certè omnia rata habebò, quæcunque illa hujusmodi hominibus ſpoponderit. Adjecitque. Quotiescunque Gertrudes voluerit

rit alicui loqui, ante quaſi ad me aſpirando ingemiſcat, quò in ſe attrahat cordis mei divinam aſpirationem. Exinde quidquid locuta fuerit tanquam ex me dictum indubitatum ac certum habeat; neque enim ipſa, neque audientes fallentur, quin cordis mei ſecretum per illius verba innoteſcat; & prædictorum privilegiorum dona certiſſima firma nunquamque peritura illi cunctis diebus vitæ ejus ſervabo. Iſta promiſſio ſic intelligi poteſt, ut nec reſpondens, nec accipientes reſponſum errent *moraliter*, ſeu culpabiliter coram Deo; non autem, quod non ſint erraturi materialiter.

VIII. L. 1. C. 19. Dominus ad S. Gertrudem ait: Ad hoc te elegi, ad hoc utor te, ut ſis tanquam triclinium theſaurorum meorum, providens, ut unusquisque quæ quæſierit in te inveniat, tanquam in ſponſa, quæ omnium ſecretorum ſponſi ſui conſcia eſt, & ejusdem in omnibus voluntatem & beneplacitum agnoſcit. At conſtat, S. Gertrudem in multis ignoraſſe voluntatem divinam; Chriſtus L. 3. C. 33. expreſsè ait, ſe propterea aliquando Gertrudem non exaudire, quia ipſa neſcit, quid ſit coram Deo melius. Et L. 3. C. 50. Cùm Chriſtus nollet petitioni Gertrudis acquieſcere, dixit: Quare velles mihi moleſta eſſe, ſi voluntati meæ, id quod petis, contraveniret? ad quod Gertrudes: Nunquid Domine hoc deſiderium meum judicas tibi contrarium, in quo, ut mihi videtur, purè laudem tuam quæro? reſpondit Dominus. Quod ſermonem de hoc moves, quaſi puellàrem morem diſſimulo, ſed ſi importunius inſtares, hoc utique non acceptarem. Sed ſupra jam eſt reſponſum, promiſſiones Dei generales ſæpe eſſe tacitè conditionatas, præſertim privatas, in quibus non eſt neceſſitas exprimendi omnes conditiones, quia privata inſpiratione, dum opus fuerit, inſinuari poſſunt. Hinc dum amici loquuntur invicem, non ſe adſtringunt ad locutiones

accuratas, quia aut intelliguntur ex uſu, aut ob facilem acceſſum facilem habent explicationem ſuo tempore.

IX. L. 2. C. 20. Gertrudes Deo gratias agens ait: Gratias ago primò, quod ex gratia tua certitudinem accepi, quod omnis, qui ad tantum Sacramentum accedere deſiderans ſed habens timorem conſcientiæ trepidantis retrahitur, ſi humilitate ductus à me famularum tuarum minima quærit confortari, pro hac ipſius humilitate tua pietas dignum ipſum judicat tantis Sacramentis, quæ verè percipiet in fructum ſalutis æternæ, adjungens, quod ſi quem juſtitia tua non permitteret dignum à me judicari, nunquam permittere velles illum ad meum conſilium humiliari. Secundo addidiſti me certificare, quod quicunque corde contrito, & ſpiritu humiliato aliquem defectum mihi querulando expoſuerit, ſecundum quod per verba mea defectum illum majorem ſive minorem audierit, ſecundum hoc tu miſericors Deus velles judicare eum culpabiliorem vel innocentiorem, & quod gratia tua mediante poſt horam illam ſemper habere deberet tale levamen, quod nunquam tam periculosè premi poſſet ab illo defectu, ſicut antea fuerat preſſus. Tertiò liberalitas tua inopiam meritorum meorum ea certitudine ditavit, quod cuicunque aliquod beneficium vel alicujus delicti indulgentiam ex confidentia divinæ pietatis tuæ promiſerim, hoc benignus amor tuus ſecundum verbum meum tam firmum tenere proponeret, quaſi tu hoc ore tuo benedicto juraveris in veritate, & hoc veraciter fieret; addens, quia ſi videretur alicui, quod effectus tam ſalubris longè ultra placitum protraheretur, ille conſtanter admonendo tibi proponere deberet, quod ego ex parte tui ſalutem ipſi promiſiſſem. Quartò addidiſti me certificando, quod quicunque humili ac devota intentione ſe orationibus meis commendaſſet, procul dubio conſecuturus eſſet omnem fructum, quem credere poſſet aliquem hominem per alterius orationem obtinere poſſe. Quintò quaſi ſpeciali

Digitized by Google

ſpeciali dono contuliſti mihi, ut omnis, qui cum bona intentione, & humili confidentia de profectu animæ ſermonem mihi moveret, nunquam à me diſceſſurus eſſet ſine ædificatione ſive conſolatione ſpirituali. Sextò certificaſti me, quod quicunque in charitate pro me devota fidelitate oraverit, vel etiam ad emendandum delicta, & ignorantias juventutis, immo malitiæ & nequitiæ meæ, hoc præmio remuneraretur, quod nunquam exiet de hoc ſæculo, antequam tali gratia donaretur, quod alicujus ſpecialis familiaritatis delectationem in anima ipſius poſſis habere. His ſuperaddidiſti, quod ſi quis poſt obitum meum ſe vellet orationibus meis humiliter commendaſſe, illum velles tam dignanter exaudire, ſicut aliquem exaudire poſſes per alterius orationem, ſi ad recuperanda neglecta cum humili devotione gratias ageret ſpecialiter pro quinque beneficiis; primò, pro amore, quo me gratuita pietas tua ab æterno præelegit. 2. Quod me ſalubriter attraxiſti. 3. Quod familiariter tibi uniſti. 4. Quod jucundè habitare & delitias habere dignatus es in anima mea. 5. Quod feliciter conſummare me dignaris. Hæc ſunt dona, quæ ſe Dominus Gertrudi per totam vitam nunquam ablaturum promittit; addit tamen L. 2. C. 21. ſe ea tantùm conſervaturum quoad habitum, non quoad actum, immo ea ſuo effectu nonnunquam caritura. Chriſtus ad Gertrudem ſic ait: Ecce dona tibi collata me tibi illibata ſervaturum promitto; id tamen, quod ſi ad tempus diſpenſativè ipſorum effectum ſubtraxero, obligo me poſtmodum triplici lucro id perſoluturum. Ad hanc promiſſionem iterum reſponderi poteſt, eſſe generalem propenſione amoris, limitatam tacitè exigentiâ rationis in poſtulante & concedente.

X. L. 2. C. 23. S. Gertrudes Dominum rogans ait: Rogo, ut quicunque ad laudem tui defectum meum ſupplere voluerit etiam uno gemitu vel alio quantumvis parvo opere in vita mea, vel poſt mortem meam, ut pro ipſo ſuſcipias paſſionem filii tui

Digitized by Google

in emendationem & ſuppletionem omnium peccatorum & negligentiarum ipſius. Ad quod obtinendum exoro, ut apud te permaneat deſiderium meum indefeſſum usque ad finem ſæculi etiam adhuc, cum tecum conregnavero in cœlis. De hac gratia tanquam obtenta agit eo capite, ubi gratias agit pro acceptis beneficiis. At num probabile eſt, eum ſtatim habiturum plenariam indulgentiam, qui oraverit pro ſupplendis negligentiis B. Gertrudis? Obſervo præterea, quod easdem promiſſiones diverſimode proponat. Exemplum habetur hoc ipſo capite, ubi S. Gertrudes ad finem ſic ait: Grates perſolvo, Domine, quod me certificaſti veriſſimè, quod quicunque etiam peccator cum ſupraſcripta intentione ad tui laudem mei memoriam facere voluerit, ſive orans pro peccatoribus, ſive gratias agens pro electis, ſive etiam in quacunque re benefaciens, quo devotius poteſt, nunquam præſentem vitam terminabit antequam te eum tali ſpeciali gratia remuneres, quod tibi converſatio ipſius placeat & etiam in corde ejus habeas aliquam familiarem delectationem. Hæc promiſſio longè eſt diverſa à priori ſupplicatione S. Gertrudis. Superius dicebatur, qui oraverit *in charitate*; hìc privilegium extenditur etiam ad peccatores. Superius requirebatur, ut oraret pro ſupplendis negligentiis S. Gertrudis; hìc permittitur orare pro quacunque cauſa, dummodo id fiat in memoriam S. Gertrudis; Superius promittebatur remiſſio omnium peccatorum; hìc tantùm promittitur familiaris delectatio Dei in ejus orantis corde. Cæterum liberalitas generalis iterum intelligenda juxta conditiones tacitas regulatas ratione.

XI. L. 3. C. 18. §. 16. Chriſtus ad S. Gertrudem ait: In communione Sacra te mihi ſic intraham, ut tecum omnes animas è purgatorio pertrahas, ad quascunque pervenerit odor deſideriorum tuorum. Poſt hoc promiſſum, cum ad ſumptum Sacramentum deſideraret, ut ſibi Dominus de purgatorio tot animas præſta-

præſtaret, in quot partibus hoſtia in ore ipſius divideretur, & ideo conaretur illam in plures partes dividere, Dominus dixit ad eam: Ecce præſto ſum, ut per pretium hujus Sacramenti multo plus accipias, quàm orare præſumis. Hæc methodus liberandi animas juxta numerum particularum videtur abſurda, adeoque non digna, quæ exaudiretur à Chriſto. Sed reſponderi poteſt, eam petitionem non fuiſſe approbatam à Chriſto, quia noluit ſe alligare numero, ſed plus conceſſit.

XII. L. 3. C. 45. Chriſtus ad S. Gertrudem ait: Adjunge petitionem, quamcunque deſideras, & dabitur tibi. Tunc orans pro quibusdam cauſis exaudita eſt.

XIII. L. 4. C. 2. Chriſtus ad S. Gertrudem ait: Omnes, qui ſe tuis commendant orationibus, vel ſaltem aliquo cogitatu interventum tuum exoptant, exinde tantam conſequentur ſalutem, quantam adepti ſunt judæi à ſerpentibus percuſſi ex aſpectu ſerpentis ænei, quem per miniſterium Moyſis feci in eremo exaltari. Ex aſpectu illo judæi ſolùm conſequebantur ſalutem corporalem, nempe ſanationem à plaga; quomodo ergo omnes etiam ſani talem conſequenter ſalutem? Sed reſpondetur, hoc intelligendum proportionaliter in Spiritualibus, ſicut Chriſtus dixit; relinquentibus bona temporalia *tantum* tribuendum in altera vita.

XIV. L. 4. C. 7. In Dominica *Omnis terra*, dum more fidelium Romæ imaginem Faciei Domini videre deſiderantium per confeſſionem ſpiritualem ſe præpararet, & inde ex recordatione peccatorum ſuorum ſibi deformata videretur, proceſſit ad pedes Domini JESU petens à Domino remiſſionem omnium peccatorum; qui dedit illi benedictionem in hæc verba: Indulgentiam & remiſſionem omnium peccatorum tibi tribuo. Sed in veram emendationem omnium delictorum tuorum ſuſcipe à me hanc tibi injunctam ſatisfactionem, ut per totum annum hunc ſingulis diebus

diebus perficias aliquod opus bonum in unione pietatis illius, qua ego remiſi tibi omnia peccata tua. Dein orare cœpit pro amicis ſuis ſpecialibus, ut ipſi etiam acciperent ſimilem conſolationem; cujus precibus Dominus annuens ait: Omnes qui volunt tecum perſolvere ſatisfactionem tibi injunctam, ſimul tecum habeant remiſſionem omnium peccatorum ſuorum ex hac mea benedictione. Et ſic iterum extenſa manu dedit benedictionem. Hæc promiſſio videtur cedere in contemptum clavium, & Indulgentiarum, maximè illis temporibus, quibus Indulgentiæ plenariæ non poterant obtineri, niſi difficillimis operibus. Hìc autem præſcribuntur opera facillima. Dein motivum iſtud non videtur adeo magnum; ac denique aliud eſt remittere peccata, aliud pœnas peccatis debitas. Reſponderi poteſt, hìc tantùm inſinuari indulgentiam plenariam pro amicis, ut nunc ſolet concedi à Summis Pontificibus cuivis peregrinanti Romam, ſed ſalvis conditionibus, quæ inſunt Indulgentiis.

XV. L. 4. C. 11. S. Benedictus S. Gertrudi apparens ait: Quicunque me admonere ſtuduerit illius dignitatis, qua me Dominus tam glorioſo fine dignatus eſt honorare ac beatificare, huic ego in hora mortis ſuæ tali fidelitate volo adeſſe, quod certè opponam me illi ex omni parte, qua videbo inſidias inimicorum nocivius contra ipſum ſævire, ut mea præſentia munitus laqueos inimicorum evadat ſecurus ac cœli gaudia petat ſine fine beatus. In hoc ipſo capite S. Gertrudes narrat, ſe vidiſſe multos Benedictinos damnatos. In Indice expurgatorio meritò continentur omnes precandi formulæ, in quibus continentur ſimiles promiſſiones. Sed poteſt reſponderi, promiſſiones poſſe eſſe veras, utpote ſemper limitatas tacite ad limites rationis; quia tamen ſunt privatæ, & limitationes omnes à populo non poſſunt cognoſci, rectè prohibentur ſpargi in populum, aut legi à populo.

XVI.

XVI. L. 4. C. 12. In illis, qui commemorant ſalutationem angelicam, recitando Ave Maria, renovatur omne bonum, quod unquam per ſalutiferam Incarnationem Filii Dei ſunt adepti. Quid eſt hoc *renovari?* Sed dici poteſt, idem eſſe, ac reduci in memoriam quaſi Deo vel B. Virgini.

XVII. L. 4. C. 12. S. Gertrudes deſiderans inveſtigare, quid orationis B. Virgo in feſto Annuntiationis ſpecialius acceptaret, edocta eſt, quod ſiquis per Octavam quotidie legeret quadraginta quinque *Ave Maria* cum devotione in memoriam illorum dierum, quibus Dominus JESUS crevit in utero ſuo, ille tam acceptum famulatum exhiberet, ſicut ſi eo die, quo Dominum accepit, ſibi adfuiſſet, & per ſingulos dies usque ad partum diligentiſſima ſibi obſequia impendiſſet, & quàm invitè illi tunc pro ſervitio ſuo Virgo denegaſſet, quidquid ab ea deſideraſſet, tam invitè vellet iſti denegare petitionem ſuam. Hìc nulla æqualitas inter obſequium illud ſpeciale ac reale cum iſto generali ac mentali, ut per ſe patet. Sed reſponderi poteſt, non affirmari hìc omnimodè æqualem propenſionem benefaciendi, ſed proportionalem.

XVIII. L. 4. C. 14. Chriſtus ad S. Gertrudem ait: Sicut per memetipſum juravi ſervo Noë, quod non adducerem ultra aquas diluvii ſuper terram ad delendum eam; ſic juro tibi per divinitatem meam, quod nullus eorum, qui audit verba tua cum humilitate & dirigitur ſecundum ea pia intentione, unquam poterit perire, ſed via tutà directoque tramite absque omni errore ſecurus perveniet ad me. Et hoc juramentum meum confirmo cum ſigillo meæ ſanctiſſimæ humanitatis, quo tunc carui eò quod nondum eſſem homo factus. Hæc promiſſio, ſi vult dicere, eum ſalvandum fore, qui usque ad ultimum halitum obſervat monita Gertrudis, haud dubiè monentis etiam obſervationem mandatorum Dei, eſt quidem veriſſima; ſed ſic nil

continet ſpeciale, nec opus eſt juramento, cum tali modo certiſſimè ſalvetur, qui ſequitur monita parentum, parochi, piorum &c. Reſponderi poteſt, promiſſionem gratiæ finalis hìc fieri ad perſonas, quæ ſequebantur directionem S. Gertrudis viventis, ita, ut ſi perſeverarent in ea directione bona mente usque ad articulum mortis, in illo extremo diſcrimine & concertatione non permitterentur ſuperari à dœmone.

XIX. L. 4. C. 22. Chriſtus ad S. Gertrudem ait: Quicunque contra blasphemias & contumelias mihi in terris illatas me ſalutaverit illo affectu, quo tu me modo ſalutaſti, huic ego me in judicio illo diſtricto, quo in morte judicandus accuſationibus dœmonum prægravabitur, eadem blanditate exhibebo, qua me modo exhibui tibi, & eisdem verbis ipſum conſolabor, dicens: Ego creator, redemptor, & amator tuus per anguſtias mortis aquiſivi te. Unde ſi nunc ad illa verba Sancti in cœlo ſic ſunt admirati, quanto magis putas obſtupeſcent & territi fugient omnes adverſarii animæ illius? Porro ſalutatio S. Gertrudis, de qua hìc ſermo eſt, erat iſta: Ave vivificans gemma divinæ nobilitatis; Ave immarceſcibilis flos humanæ dignitatis amantiſſime JESU; tu mea ſumma & unica ſalus. Hìc ſine dubio iterum intelligendum, ſi hanc ſalutationem dicens habuerit usque ad mortem eandem affectionem animi etiam internam conſcientiam & charitatem, quam habuit S. Gertrudes.

XX. L. 4. C. 23. S. Gertrudes in die Palmarum ad Chriſtum ait: Doce me, quomodo poſſim tibi hodie obviare? Reſpondit Dominus. Primò exhibe mihi jumentum in contritione cordis confitendo, quod ſæpius neglexiſti ſequi rationem &c. Secundò exhibe mihi turbam obviantem, ſuſcipiendo me ex affectu totius Univerſitatis &c. Tertiò, exhibe mihi turbam conſequentem confitendo, quod nunquam ſtuduiſti exempla mea perfectè

fectè imitari. &c. Quartò, exhibe mihi turbam ſequentem miniſtrando, & confitendo, quod nunquam debita fidelitate pro defenſione veritatis & juſtitiæ mihi adſtitiſti; ac propone te in his omnibus, quantum poſſibile eſt, emendare. Si quis mihi ex parte univerſitatis his quatuor modis ſe exhibuerit, ad ipſum certè tam dignanter veniam, quod ex hoc fructum percipiet ſalutis æternæ. Hæc promiſſio intelligenda eſt non de certitudine ſalutis, ſed de gratia aliqua ducente ad ſalutem, vel de prœmio aliquo ſuppoſitis ſupponendis ad ſalutem.

XXI. L. 4. C. 23. S. Gertrudes à Domino requiſivit, qualiter acceptaret à quovis homine, qui feſtum Cœnæ Domini celebraret ea devotione, qua ipſa conſcripſerat celebrandum, ſumens materiam de Eſther, & Sermonem ſic incipientem: Egredimini filiæ Jeruſalem. Reſpondit Dominus: Ego celebrationem illam ſic accepto, quod ſi quis devota intentione ipſum ita percolere ſtuduerit, huic ego in æterna vita præter omnem remunerationem, quam ipſi perſolvam pro ſingulis operibus ſuis bonis, præparabo etiam convivium nuptiarum ſecundum regalis munificentiæ meæ liberalitatem, quà tantum habebit dignitatis, gaudii, & delectationis præ aliis, quantum ſponſa in convivio nuptiarum ſuarum habet præ cæteris. Hæc promiſſio poteſt explicari de prœmio convivii analogi cum devotionis objecto & proportionali cujusvis affectui; vel ipſum convivium poteſt intelligi in ſenſu prorſus metaphorico.

XXII. L. 4. C. 25. Chriſtus ad S. Gertrudem ait: Ob compaſſionem, qua paſſioni meæ compaſſa es, do tibi omnem fructum meæ venerandæ paſſionis in augmentum tuæ beatitudinis, & hunc honorem ſuperaddo, quod ubicunque adoratur lignum crucis ſimul cum illo anima tua ſuſcipiet fructum intimæ compaſſionis, quam mihi per diem iſtum exhibuit. Hoc etiam ſuperaddo, quod pro quacunque cauſa oraveris, nunquam con-

Digitized by Google

tra beneplacitum meum cauſa illa ſtabit, ſed bono fine terminabitur. Adjecitque Dominus: Quandocunque pro aliqua cauſa orare volueris, cor meum, quod tibi ſæpius donavi, applica mihi in unione amoris illius, quo illud ſuſcepi pro ſalute humana; & illud tibi ſæpius donavi, ut inde benefaciam illis, pro quibus oras, ſicut tibi præſentatur arca, unde ſumat, quo benefaciat ſuis amicis. Reſponderi poteſt ut ſupra, cauſam, pro qua S. Gertrudes oraverit, ſuppoſitis ſupponendis non ceſſuram in peccatum.

XXIII. L. 4. C. 35. Dum S. Gertrudes in ſalutationem vulnerum totius corporis Chriſti 5466 vicibus diceret hunc verſiculum: Gloria tibi ſuaviſſima &c. Trinitas pro roſeis vulneribus mei unicè electi amatoris, Chriſtus ſuper quodlibet vulnus habens flores illi dixit: Ecce in hac forma & gloria, qua me modo tibi exhibeo, etiam in hora mortis tuæ tibi totus florens & amœnus apparebo, & tali decore, quali nunc vulnera mea ex ſalutatione orationum tuarum ſunt adornata, ego omnes maculas peccatorum & negligentiarum tuarum contegens, adomabo, & etiam omnium, qui ſimili ſtudio & devotione ſingula vulnera mea ſalutant cum eadem vel ſimili oratione. Hæc promiſſio iterum non intelligenda eſt de certitudine ſalutis, nec de apparitione in morte reſpectu aliorum, ſed tantùm de analoga indulgentia peccatorum quoad pœnas peccatis debitas ſuppoſitis ſupponendis.

XXIV. L. 4. C. 35. Chriſtus ad S. Gertrudem ait: Tu es illa amabilis Eſther, quæ incredibili pulchritudine oculis meis es gratioſa; pete ergo quod vis, & dabitur tibi.

XXV. L. 4. C. 60. Cùm S. Gertrudes inſtar Eſther adſtaret Domino audivit Dominum blandè ſibi dicentem: Ecce exhibeo tibi totam abundantiam dulcedinis cordis mei divini, ex

qua liberaliter partiri poteris univerſis, quantumcunque volueris. Tunc Gertrudes tanquam manu hauriens aſperſit in multitudinem adverſariorum, qui tunc minis ſuis conturbaverant villam. Quo facto cognovit, quod quemcunque illorum aliqua guttula illius aſperſionis attigiſſet, hunc in ipſo operabitur effectum, quo veraciter compungetur per veram pœnitentiam ad ſalutem. In aqua luſtrali contingens eſt, ad quem guttula perveniat vel non perveniat. At verò hoc lepidum eſt, quia applicatio gratiarum non poteſt relinqui legibus contingentium, ſed debent determinatæ perſonæ applicari, niſi quis expreſsè relinquat applicationem Chriſto vel alicui ſancto, quod in hoc caſu non contigit. Sed reſponderi poteſt, S. Gertrudem diſtributionem tacitè reliquiſſe Chriſto, ut diſtribueretur gratia converſionis juxta congruitatem ſoli DEO notam.

XXVI. L. 5. C. 21. Cum Conventus legeret magnum Pſalterium (id eſt, 150. Pſalmos) pro animabus, S. Gertrudes quæſivit Dominum: Quot animas dignatur tua Clementia cujuslibet orationibus donare abſolutas? Reſpondit Dominus: Amor inſtigat me, quod ad uniuscujusque preces nimium numerum abſolvo animarum. Attamen ad quemlibet verſum Pſalterii tres animas aſſignabo redimendas. Tunc Gertrudes ſpecialiter quæſivit pro ſe, quot ſibi tribueret animas. Cui Dominus reſpondit: Animarum tot multitudines aſſigno ad orationes tuas perſolvendas, quot vicibus linguam commoveris ad aliquod verbum Pſalterii. Sed hoc modo ſingulis diebus evacuaretur purgatorium, immo nulla anima deſcenderet ad pavimentum purgatorii, ſed in deſcenſu jam exſpectaret ac interveniret aliquis verſus Pſalterii pro ejus liberatione. Rem ſic deduco; tempore Gertrudis nempe circa annum 1300. Eccleſia conſtringebatur fere in ſola Europa, quia America & India Orientalis nondum erat retecta, uti nec regna Africæ ultra æquatorem. Reliquæ Provinciæ in

Digitized by Google

Africa & Aſia quæ adhuc erant Catholicæ, erant exiguæ, ac certè omnes ſimul ſumptæ non æquabant Galliam. Jam in Gallia numerantur 20. milliones hominum, in tota Europa non numerantur à Geographis ultra 150. milliones, quibus ſi addantur 20. milliones ex aliis partibus, Eccleſia non complexa eſt ultra 170. milliones animarum. Si è centum hominibus intra annum moriuntur quatuor, ex iis omnibus intra annum non morientur ultra 7. milliones, & intra diem ultra viginti millia; ex iſtis viginti millibus dimidia certè pars moritur vel in infantia, vel deſcendit in infernum; igitur impoſſibile erat, ut intra diem ultra decem millia deſcenderint in purgatorium. Jam verſus in Pſalterio numeravi 2511, ſi pro quolibet verſu liberantur tres animæ, quilibet recitans Pſalterium liberat ultra 7000 animas, & cum in ſolo monaſterio S. Gertrudis fuerint ultra centum moniales, ſequitur, quod intra diem liberaverint plus quàm 700000 animas, quibus addendæ illæ animæ, quas S. Gertrudes liberavit motu linguæ ad ſingula verba Pſalterii, quæ excedunt 70000. ſequitur proin, quod in ſolo monaſterio S. Gertrudis intra diem liberatæ fuerint plus quam 770000 animæ, id eſt, plures quam intra 77 dies potuerint deſcendere in purgatorium. Jam adde numerum Miſſarum, & talium comprecationum per univerſam Europam, erant ad minimum tunc temporis 200000 Religioſæ & Religioſi in Europa, tribue ſingulis recitantibus pſalterium 7000 animas, & unam ſingulis Miſſis, prout volunt aliæ revelationes, quæ etiam per diem celebrabantur ultra 300000, habebis ſingulis diebus plus quam 1400 milliones animarum liberatarum, id eſt tot animarum, quot intra 70000 annos non poſſent deſcendere ad purgatorium, ſi tot annis ſtetiſſet mundus. Verum quidem eſt, quod S. Gertrudes pro obtinendo tali effectu Pſalterii inſuper requirat, ut Pſalterio adjungantur quinque oratiunculæ ibi expreſſæ, & alia quædam exercitia pietatis, ibidem expreſſa, nempe 150 Pater noſter &c. ſed cum levia illa ſint, id non impedit, quin hac metho-

Digitized by Google

methodo ſingulis diebus in tota Eccleſia poſſent liberari plus quàm mille milliones animarum. Reſponderi fortè poſſet, eam conceſſionem tantum valuiſſe pro unica vice, & ſub tacita conditione, ſi tot in purgatorio animæ fuerint ad liberationem idoneæ; & poteſt dici, in ea liberatione potuiſſe etiam comprehendi animas gentilium & hæreticorum cum ignorantia invincibili ad purgatorium deſcendentium, quæ poſſunt juvari precibus privatis fidelium, cum excludantur a ſolis publicis Eccleſiæ.

XXVII. L. 5. C. C. 31. S. Gertrudes accipit promiſſum, quod in hora ſui obitûs à pœnis ſolventur infinitæ multitudines animarum. At verò infinitæ non dantur, maxime poſt evacuationem Pſalterii ope. Sed reſponderi poteſt, *infinitas* ſumi pro *innumeras quoad nos.*

L. Dona S. Gertrudi conceſſa videntur excedere menſuram à divina Sapientia conſtitutam.

Quod Deus conferat ſingulis hominibus ſua dona in determinata menſura, patet ex Apoſtolo ad Rom. 12. & 1 Cor. 12. ibi dicit: *Dico omnibus, non plus ſapere, quam oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem, & unicuique ſicut DEUS diviſit menſuram fidei.* &c. Qualis verò ſit illa menſura, aliter ſciri non poteſt, quàm ab exemplo aliorum Sanctorum etiam primi Ordinis, & ex conſenſu cum legibus ac praxi divinæ ſapientiæ, quas obſervamus in hac ſalvationis modernæ methodo. Jam verò dona S. Gertrudi collata excedere videntur eam menſuram, quia nec exemplum habent certum in alio Sancto, nec coarctantur intra ordinem & limites, quos divina Sapientia obſervat in progreſſu meritorum, donorum, & prœmiorum.

I. L. 1. C. 4. Chriſtus ait: Tanta Gertrudis delectatione afficior, ut ſæpenumero, dum ab aliis hominibus offendor, meipſum

ipſum in ea quieturus inſinuem, atque preſſuram ei deſtinem, quam dum tanta gratiarum actione ſuſcipit - omnino me reddit placatum, facitque, ut innumeris ſæpe hominibus illius amore parcam. Quod DEus innumeris hominibus parcat ob actum unicum unius perſonæ, cujus interceſſio non imploratur, immo quæ non orat pro illis innumeris hominibus, neque ex Officio illorum curandæ ſaluti præficitur, aut ex ſpeciali ordinatione DEI cum illis connectitur, rationem, aut exemplum invenire difficile videtur; non eſt tamen dedecens poſitivè, ſi Sancta generaliter ſe & ſua obtulit pro aliorum ſalute.

II. L. 2. C. 23. S. Gertrudes ait ad Chriſtum. Exhibuiſti mihi familiaritatem præbendo mihi cor tuum, nunc illud gratis dando, nunc pro indicio majoris familiaritatis illud mihi pro meo commutando. Si iſtud intelligatur phyſicè, vix reperiet fidem. Forte tamen nec implicat phyſicè unione transeunte operari per cor alienum, præſertim in corpore glorioſo, aut per cor glorioſum, aut ope replicationis; alioquin poſſet hoc factum eſſe affectivè.

III. L. 2. C. C. 23. S. Gertrudes ad Chriſtum ait: Inſuper in ſpeciale miniſterium deputaſti mihi ſæpius nobiliſſimos palatii tui principes non ſolùm de Choris Angelorum & Archangelorum, ſed & altiorum, ut ad convenientiora tibi obſequia in ſpiritualibus me promoverent. In hac gratia nulla eſt inconvenientia, quia omnes Angeli ſunt adminiſtratorii ſpiritus.

IV. L. 3. C. 12. Chriſtus ad S. Gertrudem ait: Tota dulcedo meæ divinitatis eſt ſuper te commota, & ex hujus gratiæ commotione tu apud me ſuſcepiſti talem glorificationem, qualem corpus meum ſuſcepit in monte Thabor coram tribus dilectis diſcipulis meis, ut de te gratulabundè dicere poſſim; Hic eſt

Digitized by Google

eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. Quod 8. Gertrudes verè glorificata fuerit in corpore, & quod illa gloria tantùm apparuerit Chriſto, non autem fuerit viſibilis aliorum oculis, videtur otioſum. Sed poteſt reſponderi, eam glorificationem fuiſſe tantùm in radice, conſiſtente in jure, vel qualitate ſuo tempore operatura glorificationem actualem. Vel potuit etiam actualis glorificatio Sanctæ ſervire humanitati Chriſti pro objecto delectationis.

V. L. 4. C. 2. Quoniam tu à me Imperatore Imperatrix effecta es, omnes principes mei cœleſtes ita obtemperant tuæ voluntati, quod ſi tu eos aliqua facere juberes, ſtatim ad verificandum verba tua ſummopere ſtuderent ea cum ſumma feſtinatione complere. Veroſimile eſt, angelos præter inclinationes ſuas naturales non habere inclinationem elicitam ſeu liberam niſi aut generalem ad actus obedientiæ, aut particulares ad actus ſubſtantes divinis decretis cognitis. Sed uterque modus eſt poſſibilis in S. Gertrude.

VI. L. 4. C. 7. Chriſtus elevata manu dedit Gertrudi benedictionem in hæc verba: Indulgentiam & remiſſionem omnium peccatorum tribuo tibi ex viſceribus meæ gratuitæ pietatis; & in veram emendationem omnium delictorum tuorum ſuſcipe à me hanc tibi injunctam ſatisfactionem, ut videlicet per totum annum ſingulis diebus perficias aliquod bonum opus in unione pietatis illius, qua ego tibi remiſi omnia peccata; & omnes, qui volunt tecum perſolvere ſatisfactionem tibi injunctam ſimul tecum habeant remiſſionem omnium peccatorum ſuorum ex hac mea benedictione; & ſic iterum longe extenſa manu dedit benedictionem. Iſte modus eſt multò remotior à legibus divinæ ſapientiæ, quàm priores; quia Deus non ſolet tales abſolutiones aut indulgentias generales concedere præter ordinem Eccleſiæ; ſic enim fieret confuſio, ſi homines poſſent dicere, ſe habere abſolutionem aut in-

Digitized by Google

indulgentiam à Chriſto, non ab Eccleſia; & turbaretur ſubordinatio. Sed reſponderi poteſt, eam gratiam fuiſſe datam per modum indulgentiæ plenariæ determinatis perſonis S. Gertrudi familiaribus, ut nunc ſolent dari quædam Indulgentiæ peregrinantibus Romam.

VII. L. 4. C. 21. S. Gertrudes ad Chriſtum ait: Si poſſibile eſſet, cor meum in tot partes dividere, vellem, quot homines vivunt, ut ex eo cuilibet eorum partiri poſſem bonam voluntatem ad obſequendum tibi, & ſi poſſem ad te adducere omnes homines, usque in diem judicii vellem nudis pedibus circuire totum mundum, & quemlibet ulnis geſtando tibi præſentare. Ad quod Dominus: Talis voluntas tua beneplacens & perfecta per omnia ſufficit; & Gertrudes ſtatim agnovit univerſam Eccleſiam miro modo decoratam ante conſpectum Domini præſentatam. Et ait Dominus: Huic multitudini tu hodie miniſtrabis. At illa mox divinitus inſpirata oſculabatur vulnus ſiniſtri pedis in emendationem omnium peccatorum ab univerſali Eccleſia unquam cogitationibus aut voluntatibus perverſis commiſſorum, orans Dominum, ut digniſſimam emendationem, qua ipſe totius mundi purgavit peccata, ipſi donaret in emendationem veram. Et Ecce ſtatim dabatur animæ effectus orationis ſuæ in ſimilitudine unius panis, quem Dominus benedixit, ac dein Gertrudi reddidit ad diſtribuendum toti Eccleſiæ.

VIII. L. 4. C. 23. S. Gertrudes ad Chriſtum dixit: Peto, Domine, ut mortifices in anima mea omnia, quæ tibi in ea diſplicent. Cui reſpondit Dominus: Exſpira modo omnia vitia & defectus, quos in te mori deſideras, & intrahe tibi ex ſpiritu omne, quod ex virtutibus & perfectione mea habere optas, ſciasque indubitanter, quod omnium, quæ modo exſpiraveris, plenam indulgentiam, & omnium, quæ ex ſpiritu meo tibi intraxeris,

xeris, effectum ſalutarem obtinebis; & quotiescunque deinceps pro devincendis defectibus jam exſpiratis ſive pro obtinendis virtutibus jam à me tibi inſpiratis laborare ſtudueris, duplicem ſemper fructum ſcilicet meæ paſſionis & tuæ victoriæ reportabis.

IX. L. 4. C. 25. In feſto Cœnæ Domini, dum ad Matutinas cantarentur Lamentationes Jeremiæ, Gertrudes coram Deo Patre ſtans conquerebatur ipſi ex parte totius univerſitatis de omnibus peccatis ex humana fragilitate contra ſuam Omnipotentiam commiſſis; ad ſecundam lamentationem adſtitit Filio DEI ſimiliter querimoniam movens de omnibus peccatis contra inſcrutabilem ſapientiam Dei ex humana ignorantia commiſſis; ad tertiam autem conquerebatur Spiritui Sancto de omnibus peccatis, quæ unquam contra benignitatem ipſius malitiosè commiſſa ſunt. Hinc dum ad verſus, *JESU Chriſte.* &c. Puellæ cantarent Kyrie eleiſon, Gertrudes acceſſit ad cor JESU, illudque devotè exoſculans ex parte totius Eccleſiæ impetravit remiſſionem omnium peccatorum, quæ unquam cogitationibus, deſideriis, & affectionibus ac voluntatibus perverſis ſunt contracta. Per Chriſte eleiſon verò deoſculans os Domini benedictum petiit remiſſionem omnium peccatorum, quæ unquam ore ſunt commiſſa. Iterum per Kyrie eleiſon venerandas manus Domini deoſculans obtinuit indulgentiam omnium peccatorum à quoquam in Eccleſia per opera commiſſorum. Deinde per illa quinque Kyrie eleiſon, quæ populus canebat ad hymnum, *Rex Chriſte*, per ſingulos verſus ipſa quinque vulnera Domini roſea deoſculabatur pro indulgentia omnium peccatorum à quinque ſenſibus hominum commiſſorum. Quod dum faceret, protinus de ipſis quinque vulneribus copioſo impetu emanare cœperunt quinque rivuli ſalutaris gratiæ, qui per totam Eccleſiam defluentes ipſam ab omni macula peccatorum emundabant; ſicque perſenſit, ſe plenum obtinuiſſe effectum omnium, quæ tam per lamentationes quàm etiam per Kyrie eleiſon exoraret;

Digitized by Google

rarat; unde quilibet eiſdem intendere poteſt his tribus noctibus confidens de divina bonitate, quod ſi devotè in talibus laboraverit, conſimilem merebitur effectum. Hucusque revelationes. In hac providentia peccata non remittuntur per condonationem extrinſecam, ſed requiritur retractatio eorum, quæ propria voluntate tractata ſunt; quis autem credet, in toto mundo omnes retractaſſe ſua peccata in uno eodemque momento, quo S. Gertrudes iſta peregit pia exercitia? Neque etiam dici poteſt, in tota Eccleſia omnibus remiſſas eſſe pœnas peccatorum, quia nec Chriſtus, nec Apoſtoli, nec Summi Pontifices id unquam fecerunt ſine merito ullo ac diſpoſitione congrua recipientium. Sed reſponderi poteſt, hìc tantùm fuiſſe obtentam remiſſionem in actu primo, ſeu ſolam præparationem gratiæ remiſſivæ pro eam dignè ſuo tempore recepturis.

X. L. 4. C. 26. Chriſtus ad S. Gertrudem in die Paraſceves ait: Ego cum tam magno deſiderio feſtino ad te, quaſi me cohibere non valens, cum jam in ſinum meum congregaverim univerſa, quæ hodie per totam Eccleſiam in memoriam meæ paſſionis per cogitationes verba & opera ſunt perfecta, ut omnia ſimul tibi in Sacramento corporis mei infundam ad æternam ſalutem tuam. Ad quod Gertrudes: Gratias tibi ago Domine, ſed vellem tamen, donum illud ſic mihi dari, ut ego ultra poſſem illud dare pluribus, quibuscunque mihi placeret. Tunc Dominus: Nihil aliud requiro à te, quàm quod evacuata venias ad recipiendum.

XI. L. 4. C. 27. S. Gertrudes ad Chriſtum ait: Peto, ut abſolvere animas digneris omnium ſpecialium tuorum. Tunc Dominus illi oſtendit multitudinem animarum à pœnis abſolutam dicens: Ecce pro dote ſponſali has omnes aſſigno tuæ dilectioni, quia æternaliter apparebit in cœlis, quod ſint tuis precibus liberatæ. Tunc Gertrudes. Et quantus eſt earum numerus? Reſpondit Dominus.

Digitized by Google

minus. Numerum earum ſolius divinitatis meæ ſcientia complectitur. Sancti in cœlo, B. Virgo, ipſæ animæ liberatæ, ac præſertim angeli tam boni quàm mali ſine dubio ſciverunt hunc numerum, illi quidem, quia noſſe debuerunt ſuos concives, iſti verò, quia ſcire debuerunt, quot animarum captivarum individuis fuerint ſpoliati. Sed reſponderi poteſt, Deum hìc loqui ſolùm comparativè ad ſcientiam humanam; ita ut particula excluſiva *ſolius* tantùm excludat ſcientiam humanam.

XII. L. 4. C. 36. Cum Gertrudes Dominum exoraret pro animabus omnium fidelium defunctorum, viſus eſt Dominus demittere quaſi virgam quandam auream in medium purgatorii habentem tot uncos, quot affectus dirigebantur ad Deum pro animabus, & per quemlibet uncum extrahebantur aliquæ animæ de locis pœnarum ad amœna prata quietis. Facillimum eſt intra unum minutum ſecundum elicere tres affectus, ut cuivis experientia notum eſſe poteſt; cum ergo una hora contineat minuta ſecunda 3600 poterunt intra horam liberari plus quàm decem millia, & intra decem horas plus quàm centum millia animarum; & intra menſem tres milliones animarum, quantus numerus non poteſt deſcendere in purgatorium fere per dimidium annum, ut ſupra oſtenſum eſt. Sed reſponderi poteſt, hanc gratiam fuiſſe reſpectivam ad caſum particularem, in quo dabantur determinati ac pauci affectus.

XIII. L. 4. C. 44. Cum Gertrudes accederet ad communionem, adeſſe ſibi intellexit Sanctum Leonem devotè pro ea Domino ſupplicantem, ut ipſa per ſuſceptionem ejuſdem Sacramenti mereatur eandem ſuavitatem divini influxus ſentire, quam ipſe Sanctus Papa ſenſit in Miſſa illa, cum primò recuperata per Virgineam Matrem abſciſſa manu ſua divina celebraret myſteria. Cujus precum interventu donavit Dominus Gertrudi omne meritum,

Digitized by Google

quo idem Beatiſſimus Papa refulget in cœlis pro tam veneranda victoriæ ſuæ tentationis ſublimatus. Iſta praxis donandi merita actûs Heroici non videtur conformis Scripturæ dicenti 1. Cor. 3. Unusquisque propriam mercedem accipiet ſecundum ſuum laborem. Et 2. Cor. 5. Omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti ut referat unusquisque propria corporis, prout geſſit, ſive bonum, ſive malum. Reſponderi poteſt, ſenſum eſſe hunc quod S. Leo tantùm deprecatoriè applicaverit ſuum meritum S. Gertrudi, aut ſecundum unam partem effectus, ſicut nobis applicantur merita Chriſti.

XIV. L. 4. C. 45. Dum Gertrudes ſub Miſſa laudibus extolleret B. Petrum pro ſpecialibus ſuis privilegiis & inter cætera pro eo, quod audivit à Domino, *Quodcunque ligaveris*, apparuit idem Apoſtolus in Papali gloria ſacerdotalibus indutus, & extenſa ſuper eam manu benedictionem dedit ad perficiendum in anima ipſius omnem ſalutem quam unquam prævaluit operari in aliqua anima ex poteſtate ſibi in verbo prædicto collata. An non S. Petrus majora dona promeruit ac contulit ſuæ B. Petrillæ, & aliis dilectiſſimis animabus à ſe multo ſudore evangelio genitis, ac enutritis, & aliis eximiis ſuis cultoribus, qui omnem vitam in ejus cultu conſervando & augendo impenderunt? an ordinatæ rationi conveniens, ut plus tribuat S. Gertrudi ob unum actum laudis tranſitorium? Sed poteſt reſponderi, eum operatum eſſe omnem ſalutem, ex ſuo genere talem, ſed in individuo proportionatam congruæ diſpoſitioni recipientis.

XV. L. 4. C. 45. Poſt ſuſceptionem Euchariſtiæ cum ſe Gertrudes in orationem dediſſet, apparuit ipſa cum Domino tanquam Regina cum Rege in ſolio ſedens, & Principes Apoſtolorum Petrus & Paulus coram utroque genua flectentes, ac ſi milites à Domino Dominaque ſua prœmia ſuſciperent; nam de virtute Sacræ communionis videbatur meritum Sanctorum augmentari.

tari. Quod merita Sanctorum augeantur, & quod Sancti, Patroni noſtri, coram clientibus ſuis genua flectant, abſonum à moribus divinis videtur. Sed quis ſcit luſus amorum cœleſtium? de augmento verò meritorum ſupra reſponſum eſt Num. 12.

XVI. L. 4. C. 53. S. Gertrudes hanc à Domino percepit eruditionem, ut ad minus quotidie Matrem ſuam beatiſſimam per iſta duo verba, ſcilicet, *Eia ergo advocata noſtra, &c: Illos tuos miſericordes oculos*, invocaret, certa, quod per hoc in hora ſua noviſſima non mediocre ſolatium obtineret.

XVII. L. 4. C. 62. Dominus innuit S. Gertrudi, ut legeret *Pater noſter* in unione illa, qua eadem oratio in ſuo corde fuit dulcorata & pro ſalute omnium fidelium prolata; quod cum illa legens compleſſet, Dominus hoc ab ea gratiſſimè ſuſcipiens omnibus Angelis & Sanctis per talem ejus affectum donavit, quod cum illo *Pater noſter* perficerent omne, quod unquam per aliquam orationem perficere poſſent ad ſalutem totius Eccleſiæ, & etiam fidelium defunctorum. Hinc iterum innuit Dominus animæ, ut oraret pro Eccleſia; cumque devotiſſimè oraret pro omnibus generaliter & pro ſingulis ſpecialiter, Dominus illam orationem in unione omnium orationum & operum ſanctiſſimæ humanitatis ſuæ univerſali Eccleſiæ communicavit cum tanto fructu, quantus unquam per aliquam orationem poteſt obtineri dicens: Oratio iſta mihi modo per te oblata pro Eccleſia erit ipſi incomparabiliter ſalus ſalutum ſuperabundans pro ſui ſublimitate. Mandata Dei, quæ dantur Angelis & Sanctis, debent eſſe determinata, non indeterminata, prout hic fit in verbo, *perficerent omne.* Dein, quod unum *Pater noſter* in S. Gertrude ſit tantæ efficaciæ, ac omnes orationes etiam poſſibiles omnium Sanctorum, videtur falſum, quia quolibet finito poteſt dari majus. Dein non congruit divinæ Sapientiæ, ut alliget ſalutem totius Eccleſiæ uni orationi, quæ juxta meritum ac condignitatem intrinſecam non ſuperat

Digitized by Google

ſuperat alias Sanctorum orationes eadem intentione & affectione fuſas. Sed poteſt reſponderi, eum valorem tantùm reſpondiſſe orationi ut unitæ cum oratione Chriſti, quæ utique eſt valoris infiniti in actu primo:

XVIII. L. 5. C. 19. S. Gertrudes pro anima defuncti orans ait: Eia Domine mi, vellesne cauſa mei animæ illi miſereri? cui Dominus: Non ſolùm animæ illi, ſed etiam mille millibus animabus volo amore tui miſereri. Iſte modus ſe ultro offerendi pro animabus non convenit divinis moribus, aliàs etiam DEUS debuiſſet ſe ſæpius offerre oranti Chriſto quà homini, B. Virgini, & aliis Sanctis. Syſtema modernæ providentiæ ſic inſtructum eſt, ut ſerviat ad manifeſtandas divinas perfectiones æqua omnium perfectionum contemperatione; adeòque nec agit ſolus amor, nec miſericordia, nec juſtitia, in quantum propendent & in quantum poſſunt, ſed in quantum exigit earum perfectionum æquilibrium, & temperamentum inter ſe invicem. Sed reſponderi poteſt, eam propenſionem fuiſſe tantum in actu primo: ſicut voluntas in Chriſto moriendi pro omnibus hominibus fuit tantùm efficax in actu primo.

XIX. L. 5. C. 22. S. Gertrudes requiſivit à Domino dicens: Quem fructum conſequitur Congregatio noſtra de magno Pſalterio quod legit? Reſpondit Dominus: Ex abundantia pietatis meæ hunc fructum ipſis ſuperaddam, quod ubicunque poſt hoc in toto mundo idem Pſalterium perſolvitur, ex hoc quælibet earum tam gratioſè participabit, ac ſi pro ſui ſolius remedio legeretur. Iſta donatio exceſſiva ut videtur, repugnat juſtitiæ diſtributivæ; ſi enim DEus his monialibus tantum confert ſuæ pietatis prœmium, cur non & aliis piis perſonis? an quia bonus eſt, & in ejus arbitrio ſitum, dare cuivis, quod voluerit? Hoc locum habet in conferendis juxta congruitatem meritorum aut diſpoſitionum gratiis, non verò in conferendis alterius vitæ prœmiis, quæ tantum

tantum correſpondent merito perſonali, ut ſupra ex D. Paulo oſtenſum eſt. Sed reſponderi poteſt, Chriſtum agnoviſſe ſingularem diſpoſitionem illarum Monialium, intuitu cujus potuerit facere exceptionem à ſuis legibus juſtitiæ generalis.

XX. L. 5. C. 29. Chriſtus ad S. Gertrudem ait: Percepta extrema unctione de cætero nullus pulvis peccatorum aut negligentiarum qui meum blandiſſimum reſpectum ad ictum oculi à te avertere poſſit, tibi poterit adhærere. Non eſt ſenſus quod non poſſit peccare, ſed quod non ſit peccatura.

XXI. L. 5. C. 30. S. Gertrudes accepit à Deo promiſſionem, quod revera amor divinus omnes vires ejus conſumere deberet; item, quod nulla mors ipſi prævalere deberet, præterquàm illa nobiliſſima virtus amoris, quæ in filio Dei prævaluit, & pretioſam ipſius animam à delicato corpore ejus ſeparavit. Item, Spiritui Sancto commiſſum eſſet ex conſilio ſemper venerandæ Trinitatis, ut in eodem amore quo ipſe præcellentiſſimam incarnationem amantiſſimi filii Dei ineffabili modo operatus eſſet in utero virginali; etiam omnia ſua quæ tam per totam infirmitatem, quàm etiam in morte circa ipſam agerentur, feliciter perficeret virtute & operatione ſua divina. Item, quod amor ei ſervire deberet, & omnes, qui ei affectu & factis aliquod in charitate miniſterium exhiberent, in ſua infirmitate à divina liberalitate hoc recepturi erant in remunerationem, quod ipſis etiam amor DEI miniſtrare deberet in extrema ſua infirmitate. Item, quod Dominus tanta eam gratia perfundere dignaretur, quantum tunc temporis aliquis hominum percipere poſſet. Item, quod in hora dormitionis ſuæ magna multitudo peccatorum per veram pœnitentiam deberet converti, & inſuper omnes, qui unquam ad gratiam Dei eſſent perventuri, aliqualiter illa hora deberent adaptari. Item, quod infinitæ multitudines animarum etiam ipſa hora à pœnis ſolverentur in augmentum meriti & gaudii ejus. Item certi-

Digitized by Google

ficata erat per ineffabile divinæ veritatis promiſſum, quod quidquid aliquis pro ea à Deo poſtularet, illius effectum ſalutarem in ſeipſo feliciter deberet experiri ille, qui pro ipſa oraret. Item, quot vicibus aliquis Deum cum devotione laudaret, aut gratias ageret Domino pro beneficiis ipſi collatis, tot virtutibus ſive gratiis ſpiritualibus Dominus ipſum laudantem vellet ditare, ſi non in inſtanti, certè tamen tempore congruenti. Item, quod ſi quis devotè pro ea Dominum laudans & gratias agens oraret pro quacunque re: primò per amorem illum, quo eam Dominus ab æterno ad ſpecialem gratiam elegit. Secundò, quo eam ſuaviter attraxit. Tertiò, quo eam ſibi familiariter univit. Quartò, quo eâ jucundè frueretur. Et quintò, quo feliciter eam conſummare dignaretur, illius preces indubitanter vellet adimplere, ſi ſalubria ſibi eſſent, quæ peteret. Item, quod juravit ei Dominus, quod ſi quis ante vel poſt mortem ejus perageret ea, quæ ipſe ſibi in morte fieri deſideraret &c. ille in morte ſua propria invenire deberet omne, quod aliquis in mundo pro ipſa faceret, ac ſi ipſe ſolus cum magna devotione omnia pro ſeipſa perfeciſſet. Hæ promiſſiones videntur in hoc exorbitantes. 1. Quod nulla mors ipſi prævalere debeat, niſi virtus amoris, cum ſine dubio per peccatum originale contraxerit debitum moriendi. 2. Quod SS. Trinitas dederit aut dare poſſit commiſſionem Spiritui Sancto. 3. Fingitur amor inſtar alicujus perſonæ, quæ Gertrudi ſervire debeat. 4. Quod tanta gratia perfuſa ſit, quantæ ullus homo capax eſt, cum poſſit conferri major & major in infinitum. 5. Quod infinitæ multitudines animarum dentur in purgatorio. 6. Quod in morte propria quis accipiat omnium meritorum alienorum præmium. Sed reſponderi poteſt ad 1. ſolum amorem prævaluiſſe in ea infirmitate. Ad 2. ſumi totum pro parte. Ad 3. illum modum loquendi tropicum fuiſſe jam receptum. Ad 4. congruentiam, quæ intelligitur hìc nomine capacitatis, non ſe extendere ad infinitum. Ad 5. infinitum ſumi pro innumerabili quoad nos.

nos. Ad 6. omnia opera fidelium poſſe generaliter & ſpecialiter inveniri in aliis applicativè, ſed juxta congruam diſpoſitionem recipientis.

LI. Modus agendi & loquendi mutuus inter S. Gertrudem, & Chriſtum ut videtur, non decet majeſtatem Dei, & modeſtiam morum.

Quia licet Deus ſoleat ſe accomodare motibus ſanis humanorum affectuum, nunquam tamen, dum converſaretur in terris, alios oſtendit, quàm valde compoſitos; nec veroſimile eſt, eum nunc alios tales aſſumere, & propalare mundo. Sit, quod S. Gertrudes & quævis alia ſimilis ſancta anima, jam exuta omnibus motibus depravatæ naturæ, poſſit uti variis amoroſis expreſſionibus, & formulis, non tamen decet, ut Chriſtus ipſemet ſimiles formas induat; ſufficit, quod ſimiles expreſſiones ob tenerum amoris affectum libenter toleret, & non iraſcatur, ſi pia anima ipſi Chriſto in ſua phantaſia tales exorbitantes formulas amoris affingat, & in Chriſto revera dari exiſtimet. Itaque omnes hujusmodi expreſſiones quæ non decent Chriſtum viatorem, dum verſaretur nobiſcum in terris, nec decent illum regnantem in cœlis; & quæ hominibus ſunt ſcandalo, ſi fierent in publico, non fiunt poſitivè à Deo in ſecretò, eo fine, ut proferantur in publicum; ſed ad ſummum tanquam humani comites amoris teneri in phantaſia animæ piæ tolerantur. Idem dicendum de quibusdam exceſſivis ac frequentibus laudibus, quæ præbent fortem tentationem ad motus vanæ gloriæ aut complacentiæ, niſi fiant cauſa neceſſitatis ad ſolandum afflictum, aut cauſa utilitatis publicæ aut privatæ. Videamus nunc aliquas talium expreſſionum formulas.

I. L. 1. C. 10. Chriſtus præcipit alicui moniali, ut nunciaret Gertrudi hæc ſola verba: *Pulchra & amœna*, quæ deſignant ipſam Gertrudem.

II. L. 1. C. 12. Chriſtus ad S. Gertrudem ait: Libenter ac merito tibi calcandam ſe terra offert, quando univerſa quoque cœlorum dignitas ineffabili deſiderio exſpectat hanc horam jucundiſſimam, qua te dignanter portet. - Ego neque in cœlis, neque in terris quid reperio, in quo ſine te oblecter. - Cumque Gertrudes labore gravatum caput cuperet refocillare, & propterea ſpecies aromaticas in ore teneret, Dominus ſe ad illam inclinavit, quaſi hauſturus ex ea odoris fragrantiam, ſimulans, odore hoc ſpecierum ſe egere & confortari.

III. L. 1. C. 15. Chriſtus ad S. Gertrudem. Ego amator tuus creavi te, ut in delitiis utar te. Et L. 3. C. 5. iterum Chriſtus: amor meus tibi in tantum intricatus eſt, quod ſine te beatè vivere nolo. Et L. 3. C. 8. intende mihi, & dulciſona & amatoria cantabo tibi epithalamia. Perpende, quod totum tempus 33. annorum, quo laboravi pro te, nihil aliud fuit, quàm legatio deſponſationis tuæ. Et C. 12. Tota dulcedo divinitatis meæ eſt ſuper te commota.

IV. L. 3. C. 16. S. Gertrudes ad Chriſtum. Domine, quomodo potuiſti mihi indignæ tanta dona conferre? cui Dominus: Amor coegit me. Et L. 3. C. 30. §. 26. Dominus cum tanta dignatione ſe Gertrudi inclinavit, quod tota cœleſtis curia eum revocare nitebatur, quaſi cum admiratione. Ad quod Dominus reſpondit: Nullo modo poſſum me continere, quin ſequar eam, quæ tam efficacibus humilitatis tractibus cor meum divinum intrahit ſibi. Et L. 3. C. 50. Chriſtus ad G. Sicut tu certè affirmas, te in nulla creatura delectari poſſe extra me, ſic & ego in divina virtute mea confirmo, quod nunquam in ulla creatura delectari volo extra te - viſus divinitatis meæ inæſtimabili modo delectatur inſpicere te, quam mihi tam acceptabilem in multis donis creavi. Auditus etiam meus divinus quaſi quibusdam ſuaviſſimis muſicis inſtrumentis afficitur in omnibus & ex

Digitized by Google

ex omnibus verbis oris tui, quibus mihi blandiris; ea medullitus commovent intima cordis mei divini; omnes quoque gemitus & deſideria tua dulciter ſapiunt mihi ſuper omnia aromata; amor quoque tuus præſtat mihi delectamentum ſuaviſſimi amplexus.

V. L. 3. C. 63. Dominus ad G. ait: Nimium conſortio ac commanſione tua ſedula delector, ut ea crebrius frui poſſem; unde deſiderans te lateri meo nunquam deeſſe permitto, ut amici tui tibi in aliquo contrarientur, ut ad me recurras. Hinc aſſumpſit eam Dominus in ſinum ſuum, quaſi tenellum infantulum, & multis modis ipſi blandiebatur, apponensque os ſuum deificum auri ejus, & diverſimodè ipſam demulcens ait: Sicut mater infantulo per oſcula lenire ſolet quæque ſibi adverſa; ſic ego per ſuſurrium amatoriorum verborum lenire tibi deſiderio univerſa gravamina tua; cumque ſic per moram in ſinu Domini infinitis divinarum conſolationum blanditiis multipliciter fuiſſet delectata, præbuit ipſi Dominus cor ſuum.

VI. L. 4. C. 25. Chriſtus ad G: applica mihi cor meum, quod tibi in ſignum mutuæ familiaritatis ſæpius donavi.

VII. L. 4. C. 62. Dum S. Gertrudes conquereretur Domino, quod ob infirmitatem non poſſet audire Miſſam, Dominus blandè ipſam conſolabatur dicens: Viſne dilecta, ut ego ipſe decantem tibi Miſſam. Quæ ſtatim rapta in ſpiritu reſpondit. Etiam, o Dulcor animæ meæ, hoc toto cordis affectu ſupplex oro, & Dominus: Qualem Miſſam delectat te audire? Reſpondit. Quamcunque tu cantare deliberas. Et Dominus. Num audire vis in medio Eccleſiæ? Reſpondit; non. Cumque Dominus plures Miſſas ipſi nominatim propoſuiſſet, & illa nullam illarum deſideraret, requiſivit Dominus; an *Dominus dixit*, delectaretur audi-

audire? - - Tunc Dominus intonavit *Kyrie*, *Gloria in excelſis*, &c. & legit totam Miſſam.

VIII. L. 1. C. 11. dicitur: Quando Gertrudes divinæ gratiæ influxum ſentiebat ſibi occurrere uberiorem, tunc non ad pœnitentiæ exercitia ſe dabat, ſed divino beneplacito, ejusque tractui conſentiens in omnibus reddebat ſe velut inſtrumentum idoneum ad omne opus amoris in ſeipſa & ſecum ipſa exercendum, adeo ut tunc non cunctaretur, prout in humanis rebus ſolet dici, cum Domino ludere de pari.

IX. L. 1. C. 17. Mechtildes vidit JESUM ſponſum floridum & delicatum dexterâ ſuâ delitioſa Gertrudem blandè amplectentem, ita ut latus Virginis ſiniſtrum, ubi cor jacet, quaſi affixum hæreret aperturæ amatorii vulneris JESU; vidit quoque illam Gertrudem è diverſo ſiniſtra ſua Dominum JESUM quaſi dorſotenus circumplectentem.

X. L. 2: C. 10. S. Gertrudes dicit: Pertractare mecum cœpi, qualiter poſſem invenire ſenſum aut verba, quibus mihi dicta à Chriſto ſine ſcandalo ad humanum intellectum produci poſſent.

XI. L. 3. C. 17. Inter hæc, dum cantaretur *Gloria in excelſis* JESUS divinum afflatum adinſtar ardentis flammæ ad cœleſtia direxit in gloriam Patris. Et in illo verbo; Et in terra pax hominibus; eundem afflatum in ſpecie nivei ſplendoris ad præſentes emiſit. - Poſt Agnus Dei poſt oſculum oris etiam pectori præſentium virginum oſculum prædulce infixit - Gertrudes verò ſenſit ſe per amplexus Domini ad pectus ipſius tanto ſuavius quantò fortius preſſam per divinam unionem.

XII. L. 3. C. 18. Chriſtus ad Gertrudem tanquam dulcis amator acclinans, & oſculum ſuaviſſimum animæ ipſius imprimens,

mens, Ecce, inquit, do tibi omnem ſanctitatem tam divinitatis, quàm humanitatis meæ, ut cum illa ſatis dignè ad Communionem accedas.

XIII. L. 3. C. 19. Chriſtus coram B. Virgine genua flexit, & pro Gertrude oravit.

XIV. L. 3. C. 26. Chriſtus demittere videbatur quaſi auream quandam fiſtulam de corde ſuo, per quam fiſtulam mirabili modo influxit Gertrudi omnium mirabilium affluentiam.

XV. L. 3. C. 30. §. 11. Gertrudes petiit à Domino benedictionem, quam cum eſſet conſecuta, Dominus vice verſa ab ea videbatur benedictionem poſtulare - (ſeu pœnitentiam) ad quam benedictionem Dominus gratanter profunde inclinans oſtendit eam in tantum ſibi fore acceptam, ac ſi tota ſalus ipſius per illam perficeretur.

XVI. L. 3. C. 51. Chriſtus ad Gertrudem ait: Viſne Chariſſima ut ego tibi prædicem? at illa. Libentiſſimè. Tunc reclinavit eam Dominus ſuper cor ſuum, ita quod cor animæ cordi ſuo divino applicabatur. Cumque ibi anima per moram dulciter requieviſſet, ſenſit in corde Domini duos mirabiles & valde ſuaves pulſus. Idem ipſi contigit alia vice, ut refertur L. 3. C. 52.

XVII. L. 3. C. 74. §. 1. Gertrudes ſenſit cor ſuum apponi mellifluo cordi JESU. Dein vidit illam perſonam, pro qua orabat advenientem, ad quam Dominus manum ſiniſtram extendens videbatur illi præbere tres digitos manus ſuæ ſiniſtræ ſcilicet indicem, medium, & annularem; cui illa perſona vice verſa eosdem digitos ſuæ ſiniſtræ manus apertæ ſuperponens, annularem ſcilicet annulari, medium medio, ac indicem indici Domini pulchrè

pulchrè coaptavit, quo facto, Dominus manum ſuam circumvertit, ita quod digiti perſonæ prædictæ apparebant infra, ſuique ſupra, per hoc dans intelligi &c.

XVIII. L. 4. C. 2. Chriſtus videbatur cum ingenti gaudio adventum Congregationis (ſeu Monialium) præſtolari ſedens in loco Dominæ Abbatiſſæ; Cùmque Congregatio ſediſſet, Dominus tanquam præ gaudio ſe ultra continere non valens, cum ſerena hilaritate ait: Ecce advenerunt amiciſſimi mei Hinc cum puella legeret: *Jube Domine*, & alia reſponderet, *In viam mandatorum* &c. Dominus extenſa manu benedixit conventum dicens: Ego ex omnipotentia Dei Patris mei his aſſenſum præbeo.

XIX. L. 4. C. 2. Quando aliqua perficere vellet ad laudem meam, ad quod vires non habet, &c. toties pietas mea tam efficaciter me ipſi attraheret, quod me nullatenus valerem continere, quin oſculum ei infigerem ſuave.

XX. L. 4. C. 3. B. Virgo in Choro circumiens, & ſingulis Monialibus circumponens brachium ſuum dextrum humero illarum impreſſit animabus ſingularum puerum JESUM per blandum amplexum.

XXI. L. 4. C. 4. Cum Gertrudes ex motu pulſuum, quibus ſine intermiſſione movebatur cor divinum, ineffabili delectatione afficeretur, dixit ad B. Joannem: Nunquid & tu horum pulſuum ſenſiſti delectamentum, dum in cœna ſuper idem pectus recubuiſti? Reſpondit: Etiam fateor ſenſi.

XXII. L. 4. C. 5. Chriſtus blandè ſe & quaſi in impetu divini amoris ad Gertrudem inclinans infixit ori animæ ejus oſcuculum vincens mellis poculum dicens: Ecce impreſſi ori tuo nomen meum digniſſimum, quod palam portabis coram omnibus. His dictis comperit in ſuperiori labio animæ ſuæ aureis & vivis litteris

Digitized by Google

litteris delectabiliter inſcriptum *JESUS*, in inferiori verò labio ſimiliter aureis & vivis litteris ſcriptum, *Juſtus.* - Dein JESUS animam Gertrudis in ſinum ſuum repoſuit, eamque blandè demulcens dixit. &c.

XXIII. L. 4. C. 12. Cum anima (S. Gertrudis) ſic decorata divinis conſpectibus appareret, Dominus in ornatu virtutum illarum tantopere delectatus & allectus eſt, quod velut amore captus ſe cum tota virtute divinitatis ſuæ ad eam inclinans ipſam totam mirabiliter ſibi intraxit, & in ſinu ſuo delicatè confovens amicabiliter ipſi blandiebatur.

XXIV. L. 4. C. 14. Dominus mira blanditatis exhibitione adſtans coram anima Gertrudis dixit: Eia Domina regina conſolare me nunc, ſicut ego ſæpius te conſolatus ſum; ſicque Dominus ultra modum delicatè nimis ſe inclinabat, tanquam oſculum ab ea accepturus.

XXV. L. 4. C. 15. Si deſideras mihi gravamen meum alleviare, tunc oportet te gravamen habere, & ſtare ad ſiniſtram meam, ut pauſem ſuper pectus tuum; & ſic directè reſpicio in cor tuum & in clangore delectabili deſideriorum tuorum me continuò demulces. Et inſuper patet mihi theſaurarium cordis tui, unde ſufficienter diſtribuere potero univerſis de tua bona voluntate, qua omnibus indigentibus benefacis. Nam ſi adſtares ad dexteram, ſcilicet proſperitatis, his delectationibus privarer.

XXVI. L. 4. C. 15. Dominus ad Gertrudem ait: Sis mihi in protectricem, quia à cæteris fugatus pauſare deſiderans ad te confugi. Tunc illa circumplectens eum totis viribus nitebatur ipſum ad intima ſua perducere.

XXVII. L. 4. C. 16. Dum Gertrudes veniret ad Dominum in perſona Eccleſiæ, tanta ſerenitatis blanditate ab ipſo inter jucundos amplexus ſuſcepta eſt, quod per experientiam didicit Chriſtum ſponſum nimio affectu duci erga ſponſam ſuam, ſcilicet Eccleſiam.

XXVIII. L. 4. C. 23. Chriſtus ad S. Gertrudem ait: Sicut divinitas requievit in humanitate mea, ſic delectatio divinitatis meæ pauſet in tua laſſitudine.

XXIX. L. 4. C. 26. Chriſtus ad S. Gertrudem ait: Ut plenam in corde tuo poſſim habere delectationem, da mihi libertatem faciendi & continendi in eo, quæcunque volo.

XXX. L. 4. C. 31. Chriſtus ad G. Tu nunquam poteris à me Societate disjungi; & omnia opera tua mihi perfectiſſimo modo placent.

XXXI. L. 4. C. 35. Chriſtus ad G. Ego me tam dignanter modo in tuam dedi poteſtatem, ſicut in patibulo crucis me Patri totaliter mancipavi; unde ſicut tunc contra placitum Patris nequivi deſcendere de Cruce; ita & nunc nihil aliud velle poſſum, quàm quod tuæ placuerit dilectioni. Ergo quæcunque deſideras, ex virtute divinitatis meæ tu cuilibet diſtribue largè. - Finitis Matutinis cum Gertrudes ſe pauſaturam in lectum recollegiſſet, blandiſſima ſerenitate ait ad eam Dominus: Qui laſſatur ex operibus charitatis, juſtiſſimè requieſcet in tranquillo thalamo charitatis; & his dictis accepit eam inter amplexus ſuos divinos, ac ſupra pectus ſuum quaſi ſuper quendam quietiſſimum thalamum reclinavit. Tunc quaſi de medio intimorum cordis divini, ad quod verſa jacere videbatur effloruit arbor charitatis, quæ thalamum undique circumvallabat.

XXXII. L. 4. C. 37. In die aſcenſionis poſt communionem venit ad ſingulas moniales è congregatione Gertrudis, & dextro brachio ſuo blandè circumplectens ori cujuslibet oſculum prædulce impreſſit; quibusdam verò videbatur etiam annulum porrigere aureum.

XXXIII. L. 4. C. 42. In feſto Trinitatis, dum cantaretur Antiphona, *Oſculetur me*, facta eſt vox de throno Dei dicens: Accedat filius meus dilectus, & delitioſitati meæ perſuaviſſimum præbeat oſculum. Tunc filius Dei procedens in humana forma

ma præbuit ſuaviſſimum oſculum incomprehenſibili divinitati. Poſt hæc filius Dei blandiſſimè ad virgineam ſuam matrem dixit: Accede & tu Mater mea dulciſſima, & ſume oſculum à me perſuave.

XXXIV. L. 4. C. 47. In feſto B. Magdalenæ Dominus JESUS mentem ejus amicabiliter tenens ſuaviſſimis illi blandiebatur verbis.

XXXV. L. 4. C. 49. B. Virgo in feſto Aſſumptionis reclinavit ſe ſupra pectus filii ſui, & quaſi in jubilo cœleſtium amœnitatum requievit usque ad verſum, *O Glorioſa* - dein ſalutavit eum JESUS per octavum Reſponſorium: *Salve Maria* - Dein Gertrudes translata eſt in ſpiritu usque ad celſitudinem gloriæ ſibi meritis B. Virginis conceſſæ; ſicque complacuit ſibi in ea ultra quàm dici poteſt Dominus majeſtatis, & amicabiliter blandiendo tenebat mentum ejus.

XXXVI. L. 4. C. 62. Chriſtus blandè ſuſcipiens Gertrudem inter ſuaves amplexus divino cordi ſuo eam applicuit - quæ intraxit ſibi omnem delectationem, quam unquam aliquis expertus eſt in oſculis, & illam ſimiliter ſuo Dilecto per ſuave oſculum, quod ori ejus mellifluo impreſſit, offerebat. - Et advocans Chriſtus Gertrudem ad ſe & in ſinu ſuo delicatis eam ſtringens amplexibus & oſculis prædulcibus demulcens & in ſe transmutans, ſecumque unum efficiens beatificavit, quantum poſſibile creditur hominem experiri poſſe.

XXXVII. L. 5. C. 5. Poſt mortem S. Gertrudis apparuit Dominus JEſus tenens animam defunctæ inter brachia ſua, blandiendoque mentum ipſius contrectans eam ſic alloquebatur &c. Similia occurrunt plura tenerioris affectus paſſim in his Revelationibus exempla, quæ ſtudio brevitatis omitto. Talia verò, ut prœmonui, quamvis à Deo permitti poſſint in phantaſia caſte amantium ad fovendos varios bonos affectus, poſitivè tamen ut cauſentur à Deo directè & immediatè, non decent majeſtatem Dei,

S 2 &

Digitized by Google

& leges modeſtiæ. Ex quo ſequitur, ſimiles apparitiones non eſſe reales, ſed imaginarias, ac ad ſummum excitatas à Deo indirectè & concomitanter, in quantum movendo animam ad bonos affectus cum iis concomitanter ob connexionem ſpecierum liberè contractam ſimul excitantur iſtæ phantaſiæ. Sed reſpondendum, non ſolùm decere Deum, ut ejusmodi amoris formulas in phantaſia amantium toleret, ſed etiam, ut eas poſitivè excitet in mentibus caſtiſſimis; quia & ſimiles formulæ proponuntur in *Canticis*, & non multum diſſimilia permiſit in S. Magdalena, dum erat quaſi in Ecſtaſi ſeu raptu amoris. Immo potius videtur, decere Deum, ut eas formulas cauſet, quàm toleret; dum enim eas cauſat, ſimul ligat omnes potentias animæ, memoriam, phantaſiam & appetitus, ne concomitanter proſiliant in cogitationem aut affectionem non caſtam. Si verò ſine divino ſpeciali inſtinctu ex ſolo motu proprio aſſumerentur, id foret temeritatis ac præſumptionis, ſaltem regulariter, quia anima etiam caſta non poteſt eſſe certa de ligatione reliquarum ſuarum potentiarum in ejusmodi occaſionibus. Cæterùm Chriſtus non dat ſcandalum, ſi ſimilia vult manifeſtari, quia non manifeſtantur, niſi doctis, non populo niſi diviſim cum involucro explicationum. Doctis autem amor Chriſti non videtur inordinatus, ſed ſapiens, dum utitur natura, quantum poteſt uti, ad fines ſupernaturales.

LII. In Revelationibus S. Gertrudis dantur omnes proprietates operationis imaginariæ, ergo præſumendum eſt, eas eſſe imaginarias, quia veræ revelationes perpetuos habent characteres proprios quibus ſemetipſos diſcernunt à falſis aut imaginariis. Hinc omnes apparitiones, quæ non habent poſitiva ſigna divinarum, nec ſe diſcernunt poſitivè ab imaginariis, pro imaginariis haberi debent. Jam verò tales eſſe revelationes S. Ger-

S. Gertrudis, probatur ex eo, quia habent ſimiles cauſas, concomitantia, connexa, tendentias, & conſequentia, quæ ſolent haberi in imaginariis, ut jam oſtendam ab inductione

S. Gertrudes habuit capacitatem & diſpoſitiones ad formanda ſibi earum apparitionum Syſtemata, quæ reperiuntur in ejus libris; ubi ergo ſufficiunt vires naturæ cum gratia directrice piis omnibus communi, non eſt recurrendum ad operationem divinam extraordinariam. *Ant. prob.* S. Gertrudes, ut apparet ex ejus vita, erat optime inſtituta in lingua latina, S. Scripturam volvebat continuò, libros SS. Patrum & aliorum piorum Scriptorum perlegebat, quotquot invenire poterat; immo diu etiam incubuit ſcientiis profanis; totum tempus impendebat poſtea in exercitiis piis, & compoſitione piorum librorum, quorum multos ex ſelectis Patrum Sententiis compilaverat; frequenter etiam vertebat pios libros in linguam vernaculam ſeu Germanicam; hæc omnia oſtendunt vivacitatem memoriæ, ingenii, & imaginationis aptam ad inveniènda & congruè formanda doctrinarum & rerum in imaginatione apparentium ſyſtemata. Præterea à teneris annis erat inſtituta ad vitam contemplativam. Jam quinquennis erat oblata in monaſterium Monialium; & quidem eo tempore, quo Germania, & ipſum Monaſterium S. Gertrudis abundabat viſionariis; ſic ut apparitiones facile ab illa æſtimari, optari, ſperari, ac exſpectari potuerint; præſertim in hoc genere excelluit B. Mechtildes ſoror S. Gertrudis, & comprofeſſa in eodem monaſterio, & major ætate, utpote in ſenio ante Gertrudem mortua; eodem tempore jam erant celebres revelationes Hildegardis, Eliſabethæ Schönaugienſis & aliarum Beguinarum in Germania abundantium. Iſta exempla poterant formare animum in ſimiles modulos & formas. Nec vita inidonea erat ad ſupernaturalia lumina, quibus multa principia ſacra intelliguntur, apta ad directionem phantaſiæ, ne in rebus pertinentibus ad ſalutem multum exerraret ad dogmata pietati adverſa. Erat caſtitati excellenter dedita;

virum nullum unquam in vultu aſpexit, nec ullam unquam ſe expertam eſſe in hoc genere tentationis luctam ipſa faſſa eſt; alios in colloquiis perpetuo ad divina accendebat; digna proin erat illuſtrationibus ac inſpirationibus divinis extraordinariis, quibus poſtea in ſuis emotionibus phantaſiæ dirigeretur, ne facile laberetur, niſi in iis, in quibus laborabat præjudiciis difficulter mobilibus ſine miraculo. Multum quoque conferre poterat ad immobilitatem phantaſmatum auſteritas vitæ, & morbi frequentes & calamitates, quibus affligebatur; quia iſta hominem ſegregatum à diſtractionibus humanis negotiorum & colloquiorum tandem eo redigunt, ut interpolato ſomno per vigilias, & die per ſomnum tanta fiat brevium dormitiuncularum & evigilationum perpetuò diu noctuque ſuccedentium confuſio, ut homo non amplius diſcernat ſomnia à cogitationibus vigiliæ, & imaginationes à viſionibus, maximè ſi non conetur diſcernere; prout in S. Gertrude facile potuit contingere; quia habebat hoc præjudicium, quod viſiones in ſuis ſororibus eſſent frequentes; & quod ipſa ſit à Deo electa ad inſtruendos alios per ſuas viſiones; immo aliæ perſonæ frequenter ab illa petebant explicationem dubiorum per viſionem. Hæc omnia apta ſunt ad emovendam ac dirigendam phantaſiam S. Gertrudis ad eas viſiones, quæ in illa leguntur, una forte vel altera excepta, in quibus ad manifeſtandam hujus Virginis ſanctitatem & ad comprobandam divinam complacentiam, quam Deus habet in familiari converſatione talium animarum cum Deo interna neglectis mundanis cogitationibus, interceſſit ſpecialis ac immediata operatio Dei. Addo, S. Gertrudem potuiſſe ob unum vel alterum defectum leviſſimum, à qualibus nullus Sanctorum niſi B. Virgo, excipitur, permitti nonnunquam illuſionibus phantaſiæ, aut dœmonis; & idem potuit contingere in ejus ſororibus. Tales defectus forte erant, quod nonunquam petierint à Deo explicationem dubiorum per viſionem, quorum tamen ſolutionem facile poterant obtinere à Confeſſario vel alio Doctore, quod petierint

tierint ſcire aliqua curioſa, aut obtinere dona magis ſervientia ad curioſitatem, quàm profectum, item, quod etiam nonnunquam videantur tentaſſe Deum, aut petiiſſe miracula & viſiones pro rebus levis momenti. Omnium harum aſſertionum probationes habentur in libris harum Revelationum. L. 1. C. 1. ſic habetur: Dum adhuc ageret annum ætatis quintum eam Deus à mundi turbinibus ſegregans in monaſterio abſcondit - erat docilis & miro pollens ingenio adeo ut cunctas coœtaneas longo poſt ſe in omni ſcientia & ſapientia relinqueret intervallo; ſuperabat ætatem incredibile ejus diſcendi artes liberales deſiderium. C. 2. dein placuit Deo, eam vocare ab externis ad interna, & accidit, ut ipſa, dum inter humanarum litterarum ſtudia continuè verſaretur, agnoſceret, ſe nimium adhuc diſtare in regione diſſimilitudinis à Deo, quippe quæ immodicè litteris inhæſerat humanis. Inde igitur viſibilia & externa ſibi vileſcebant omnia; & ideo relicta grammatica Theologiæ, hoc eſt, ſtudio ſacræ Scripturæ ſe applicuit, nec deſtitit, quoscunque ſanctos habere potuit libros, donec intelligeret; inde acceſſit ei ſententiarum, quas ex S. Scriptura, doctorumque libris ſibi collegerat meliores, ubertas tanta ac promptitudo, ut ſemper illi ad manum eſſet utriusque Teſtamenti locus, quem appoſitè citaret. - Collegit præterea ex ſententiis Doctorum grana varia ac potiora, velut columba, quæ ad multorum ædificationem ſcribens complures perfecit libros. Orationes quoque multas mellis favo dulciores & nonnulla alia ſtilo certè non fœmineo compoſuit, quæ à nullo adhuc virorum gravium viſa ſunt non laudari; erant enim non humano duntaxat ingenio ſcripta, ſed ſpiritus etiam ſancti unctione condita, ut nemo ea vel præcipuorum Theologorum potuiſſet aſpernari - vix eidem quis poterat loqui, quin fateri cogeretur, magnam ſe ex illius ſermone accepiſſe conſolationem. C. 5. illi uſuvenit, ſemper confiteri dona, quæ acceperat à Deo, ſe absque fructu negligere, præcipuè ſi ea aliis non feciſſet communia; Hinc aliis ea

Digitized by Google

ea manifeſtabat, ut aliis manifeſtata fructum DEO referrent. C. 8. quæ in ſacris libris ſalutaria reperit, intellectu tamen difficilia mutato mox ſtilo latino faciliori intelligendi modo ſcribens minus peritis utilia reddidit; his autem occupationibus ac ſtudiis diem fere totum abſumpſit à mane usque ad veſperum, aut faſtidiosè prolixa abbreviando, aut difficilia explanando, aut certè colligendo utilia, quibus proximorum promoveret ſalutem. En! Studia idonea ad ordinandam in ſublimes conceptus phantaſiam. Videamus nunc imperfectiones, quæ potuerunt eſſe cauſa, cur Deus permitteret illuſiones.

L. 1. C. 4. dicitur: Accidit, ut quædam devota, atque in revelationum divinarum gratia multum perfecta odore bonæ famæ tracta ex longinquo monaſterium Gertrudis accederet. Quia vero nullius ibi habebat cognitionem, rogavit Dominum, ut ejusmodi ſibi virginem in colloquium ſociaret, ex qua animæ ſuæ hauriret utilitatem. Cui Dominus cum reſponderet, eam quæ tibi hoc in loco aſſederit prima, ſcito mihi fideliſſimam. Accidit, ut Gertrudes illi prima aſſideret. En! communicatio cum viſionariis etiam exteris; in monaſterio enim erant plurimæ, etiam curioſæ. v. g. C. 10. dicitur. Quædam devota rogavit Dominum, ut dignaretur aliquid nuntiare Gertrudi per ſeipſam. Reſpondit Dominus: Hoc illi nuntiabis ex me. Pulchra & amœna. En! viſionarias curioſas.

C. 14. Dum Gertrudes ſederet ſuper copioſo ſtramine, ſi quandoque ei è manibus laberetur ſtilus, aut acus, perexiguumque aliquid, quod, ubi tanta eſſet ſtraminis congeries, nemo dignabatur quærere, propterea, quod reperiri deſperaretur, cunctis audientibus dicebat; Domine da, ut inveniam. Hæc dicens averſis oculis miſit manum Domino eam regente, & mox extraxit. En! factum, quod aliis non liceret.

C. 17.

Digitized by Google

C. 17. Gertrudes D. Mechtildem in gratia revelationum tunc celebrem accedens ei ſupplicat, ut Dominum conſuleret. En! iterum familiaritas cum viſionaria.

L. 1. C. 19. Chriſtus S. Gertrudi aſſerit, ſe illi conferre revolationes, ut eas aliis inſinuet. Idem dicit C. 16. immo addit: Si qui maligno corde maluerint iſtas revelationes calumniari, peccatum eorum ſit ſuper eos; propheta namque ex me dicit: Ponam eis offendiculum, ac ſi diceret; multa diſpono in ſalutem electorum, licet inde reprobi ſcandalizentur. Ex hoc ergo præjudicio factum, ut ſuas viſiones ſine hæſitatione haberet pro divinis, quæ confidentia plurimum auget vim imaginationis, utpote liberatæ à metu illuſionis. Sed reſponderi poteſt, ex eo, quod in S. Gertrude reperiatur ingenium feliciſſimum, & imaginatio vivaciſſima, aliæque diſpoſitiones propinquæ ad hoc, ut ex concurſu luminum ſupernaturalium, ſanctarum affectionum, & operationum phantaſiæ naſcantur viſiones naturales & quandoque illuſiones dœmonis, non eſt tamen certum, ſic contigiſſe; quia & Deus ſolet uti cauſis ſecundis, quantum poteſt, ad ſuas operationes ſupernaturales, eas aſſumendo, dirigendo ac perficiendo. Idem non raro ſolet obſequi ſanctis, etiam dum nonnunquam videntur tentare Deum, ſicque præbere occaſionem illuſioni dœmonis, cedit enim Deus ſæpe non ſoli exigentiæ Eccleſiæ ac Religionis, ſed etiam habituatis præjudiciis amicorum, ut proin in notoriis amicis Dei in ejusmodi caſu diſpoſitionis vel apparentis temeritatis præſumptio potius ſtet pro operatione Dei, quàm illuſione dœmonis, niſi ex effectu vel circumſtantiis dentur poſitiva indicia illuſionis diabolicæ.

LIII. Obſervantur in Revelationibus S. Gertrudis plura alia, quæ aut præbent argumentum operationis phantaſticæ, aut facilis deceptionis, aut contradictionis. Sunt autem ſequentia. Sic

I. S. Gertrudes teſtatur, ſe etiam ſtatim poſt ea tempora familiares habuiſſe viſiones, quibus delectabatur in rebus tranſitoriis, quod videtur alienum à moribus divinis, & inſuetum. L. 2. C. 3. ait: Quantumcunque mente vagarer per tranſitorias res diſtracta & delectata, tamen poſt horas & heu poſt dies, & ut proh dolor timeo, poſt hebdomadas rediens ad cor meum ſemper idipſum te inveni, ut nunquam cauſari poſſem ad ictum oculi te mihi ſubtractum. Aliæ gratiæ ſimiles præſertim viſiones non ſolent eſſe perpetuæ, ſed dantur, & ſæpe diu ſubtrahuntur. Sola phantaſia perpetuò adeſt. Sed reſponderi poteſt, modos vocantis & trahentis gratiæ divinæ eſſe diverſos; aliquando vel ſemel repulſa non redit; & aliquando pulſat infatigabiliter, & per tres annos colit infructuoſam arborem; & mittit plures nuntios ad vineæ cultores ingratos.

II. S. Gertrudes ſentit, ſibi in anima impreſſa eſſe petita quinque vulnera. L. 2. C. 4. ait: Cum ſedendo in refectorio memoriam circa hujusmodi haberem devotius occupatam, ſenſi quaſi divinitus collata mihi dona, quæ in oratione dudum petieram. Nam intus in corde meo quaſi corporalibus locis per ſpiritum cognovi impreſſa vulnerum tuorum ſtigmata - & pietas tua vulnerum impreſſionem mihi usque in præſens conſervat. Reſpondeo, conſtantiam hujus impreſſionis eſſe potius argumentum, id non eſſe effectum phantaſiæ, ſed Dei, quia effectus phantaſiæ vivacitatem perdunt, & oblivione delentur.

III. S. Gertrudes teſtatur frequenter, quod poſt aliquam turbationem, aut morbum in viſionem inciderit. Sic prima viſio contigit poſt turbatio-

nem

Digitized by Google

nem menſtruam. Ut ſupra oſtenſum N. 6. ex L. 2. C. 1. & L. 2. C. 7. ait: Dum poſt gravem infirmitatem lecto decumberem, & mane mœſta intra me querularer a Matre Dei talibus ſum verbis conſolata. Et L. 2. C. 9. Non multo poſt tempore, videlicet in jejunio, dum iterum gravi infirmitate laborans lecto decumberem, & cæteris ſororibus circa alia occupatis quodam mane ſola jacerem, Dominus aderat &c. Et L. 2. C. 18. Feſtivo die, dum corporali infirmitate præpedita non poſſem accedere ad communionem à pietate tua taliter ſum inſtructa. Et L. 3. C. 3. Cum die quodam intolerabili lateris torqueretur dolore, benignus Amator hanc illi vicem reddebat. Et L. 3. C. 4. Ex inordinata quadam triſtitia ſimul & impatientia tantas incurrit tenebras, quod ex magna parte jucunditatem divinæ præſentiæ ſibi videbatur amiſiſſe - & cum ſequenti die Dominico quaſi deſperatius diceret Domino: Fac finem malis meis, quibus nec ego finem, nec modum impono, cujus deſolationi Dominus compatiens oſtendit illi hortulum. Quis neſcit, triſtitias, turbationes, infirmitates, & jejunia eſſe potentiſſimas emovendæ phantaſiæ cauſas? Sed reſpondendum. Sicut Deus ad immittendas viſiones ſæpe utitur ſomno & quiete tanquam diſpoſitione, ita convenienter ad viſiones conſolatorias poteſt uti emotione phantaſiæ in tribulatione tanquam diſpoſitione.

IV. S. Gertrudes L. 2. C. 7. narrat hanc viſionem: Cum ſumpta Euchariſtia Deo & mihi intenderem, recognovi animam meam in ſimilitudinem ceræ ad ignem emollitæ adeſſe, quaſi ſigillo imprimendo, Dominico pectori, & ſubito videbatur illi circumpoſita, & partim intracta ipſi theſaurario, in quo habitat corporaliter plenitudo divinitatis inſignita charactere fulgidæ Trinitatis. Iſta haud dubiè ſunt accommoda phantaſiæ. Sed reſpondendum, non eſſe alienum à viſionibus divinis, intelligibilia repræſentare per Symbola ſenſibilium,

T 2 ubi

ubi hæc ſunt magis accommoda capacitati recipientium, ut patet ex Prophetis.

V. S. Gertrudes aliquoties non ſe ſatis diſtinguit ab illo Beguinarum errore, qui ejus ætate, nempe circa annum 1300 graſſabatur, quod in hac vita poſſet haberi viſio intuitiva Dei, & ſtatus Beatitudinis; Chriſtus autem magis utique ſe diſtinxiſſet, & ſuam doctrinam. L. 2. C. 8. ait: Inter quæ demonſtraſti mihi, quas regiones liberalitas tua pollicetur. O Regio illa beata, & beatificans affluentiis beatitudinum, ager deliciarum, cujus granum ſatisfacere poteſt aviditati omnium electorum in diverſis, quæ humano cordi deſiderabilia poterunt excogitari. Dum verò his intenderem, apparuit benignitas Salvatoris habilitando & confortando me ad ſuſcipiendum in me adorandam, ſupercœleſtem, & ſuperinæſtimabilem illam tui intimiorem unionem. Sed quibus meis meritis hoc donum in me perficere potuiſti - ut me evocares ad aſſociationem regiæ immo divinæ dignitatis? - O æternale ſolſtitium, manſio ſecura, paradiſus perennium deliciarum - immutans mira blanditate ſecretorum amplexuum. O ter felix, quaterque beatus, qui illuc meruit appropinquare, ubi dilecto Deo ſuo intimè valet uniri & incorporari? O quid videt, quid audit, quid olfacit, quid guſtat, quid ſentit? ſed quid ex illis rebus balbutire conatur mea lingua, quæ quamvis in illis divina favente benevolentia ſim admiſſa, tamen nihil veriſimile apprehendere volebam &c. Et L. 2. C. 9. O beatitudinem beatæ illius animæ, quam Dominus tantæ dignitatis æſtimat, quod ita dulciter trahit & unit eam ſecum beatificando animam. Milleſies beata, cui datur perſiſtere in tali ſtatu, in quem ego, ut mihi timeo, nec ad momentum unquam perveni, ſed exopto, ut divina clementia donum qualiſcunque gratiæ mihi indulgeat meritis

ritis illorum, quos per tam longa tempora, ut ſpero, in tali ſtatu conſervavit. Similia habentur L. 2. C. 22. Videtur ergo S. Gertrudes admittere ſtatum beatitudinis in hac vita, ad quem aſpirandum; Qui tamen error eorum temporum damnatus eſt brevi poſt mortem S. Gertrudis in Concilio Viennenſi. Sed reſponderi poteſt, in Beguinis non eſſe damnatum quod divina eſſentia in hac vita videri poſſit dono Dei transeunte; ſed quod illa beatitudo in hac vita haberi poſſit per modum habitus, & dependenter à meritis obtineri.

VI. S. Gertrudes L. 2. C. 14. oſtendit, ſe à Chriſto edoctam eſſe de Sede animæ. Sic habet: Cum usque ad tempus te docente ſciviſſem, animæ manſionem in corde conſtare, oſtendiſti tunc, etiam in cerebro manſionem ipſius. Quod poſtea fateor ſcriptura teſtante cognovi, licet ante id neſcirem. Ex hoc videtur colligi, quod anima nec in ſolo cerebro, nec in toto corpore ſedem habeat, quod nec placeret Carteſianis, nec Peripateticis. Sed reſponderi poteſt, hìc tantùm eſſe ſermonem de animæ nobilioribus operationibus; aut inſenſu excluſivo, non autem aliorum membrorum excluſivo.

VII. S. Gertrudes L. 2. C. 18. ad Chriſtum ait: Gratiarum actiones tibi offero per mutuam gratitudinem Trinitatis pro multis documentis, quibus me erudiiſti. SS. Trinitas propriè non exhibet gratitudinem, ad intra. Sed ad hoc jam ſupra fuit reſponſum Num. 15.

VIII. S. Gertrudes L. 2. C. 21. dicit ad Chriſtum: Poſt quæ verba tua, cum manum

meam retraherem, apparuerunt in ea ſeptem circuli aurei in modum ſeptem annulorum in quolibet digito unus, & in annulari tres in teſtimonium fidele, quod prædicta ſeptem privilegia mihi ad votum eſſent confirmata. Quid opus hac repræſentatione, cum promiſſa debeant probari reali pignore, aut effectu? Sed reſponderi poteſt, ſignum hoc rememorativum divinæ gratiæ potuiſſe manere ita impreſſum memoriæ S. Gertrudis, ut æquivaluerit pignori reali.

IX. S. Gertrudes videt S. Gregorium M. omnibus ſanctis æqualem, quod non videtur verum, quia ſinguli habent ſuum donum. L. 4. C. 10. ait: Videbatur omnium Sanctorum meritis pro ſui dignitate ſingulariter coæquatus. Par enim erat Patriarchis in paterna proviſione & diligenti cura, qua nocte dieque ſollicitabatur pro utilitate Eccleſiæ ſibi commisſæ. Compar etiam videbatur Prophetis, eò quod in Scriptis ſuis diverſas machinationes inimici, quibus infeſtaturus erat genus humanum, prænuntiavit, & ad reſiſtendum illi utilia monita & cautelas adjunxit; ex quibus ille majori gloria lætabatur dotatus, quàm aliquis Sanctorum Prophetarum pro ſua prophetia. Æquipollebat quoquè meritis Sanctorum Apoſtolorum per fidelem adhæſionem, quia tota devotione tam in adverſis quàm in proſperis Domino fideliter adhærebat, & verbi Dei ſemina univerſæ Eccleſiæ liberaliter diſtribuebat. Aſſimilabatur inſuper meritis Martyrum & Confeſſorum per diſtrictam corporis caſtigationem devotamque religionis & totius ſanctitatis perfectionem. Videntur iſta phantaſiæ, quia ſpeciales gloriæ in cœlo v. g. Martyrum non commenſurantur meritis diverſi ordinis v. g. caſtigationi corporis. Sed reſponderi poteſt, tò *coæquari* hic ſumi pro *aſſimi-*

Digitized by Google

aſſimilari, aſſimilatio autem recipit diſparitatem, quia omnis ſimilitudo claudicat, nec ulla eſt adæquata.

X. S. Gertrudes L. 4. C. 12. cognovit, quod quotiescunque Salutatio Angelica ſcilicet Ave Maria cum devotione recitatur à fidelibus in terris, renovatur omne bonum in ſingulis, quod unquam per Incarnationem ſunt adepti. Ad hoc reſponderi poteſt, eam innovationem tantùm fieri in conſpectu ſeu memoria Dei.

XI. S. Gertrudes L. 4. C. 49. ait: Poſt hæc Deus Pater ſpecialiori laude B. Virginem extollere delectatus, ſonore decantabat Reſponſorium. Ave ſpecioſa. Cui Filius ſubjunxit: Sunamitis ſecundum cor ſummi Regis. Et Spiritus S. addidit: Ave Mater Maria. Cui Filius iterum addidit: Spiritu Sancto teſte. Tunc omnis Cœtus Sanctorum addidit: Tu olim *Ma. Sor. Ægyp.* Hinc Angelorum Chorus ſubintulit, *Tutheo. Deſpera. Apor.* Quid iſtud Ma. Sor. Ægyp? Sed forte erant litteræ initiales Reſponſorii eo tempore notiſſimi. Dum autem dicitur Deus cantaſſe, hæc forte intelligi poſſunt de complacentia approbante.

XII. L. 4. C. 51. S. Gertrudi apparuit S. Auguſtinus in gloria juxta S. Bernardum, compar nimirum ipſi in cœleſti gloria. Sed poteſt dici, per hoc tantum innui ſimilitudinem.

XIII. In

Digitized by Google

XIII. In Revelationibus S. Gertrudis reperiuntur propoſitiones ſibi invicem ut videtur repugnantes.

1. L. 1. C. 12. Chriſtus de S. Gertrude ad quendam devotum loquens ait: *Scito, electam meam tanta devotionis dulcedine, quàm tu modo ſentis, continue viſitari.* Et tamen ſæpius illi ſubtractam fuiſſe conſolationis divinæ dulcedinem conſtat. Sic L. 1. C. 11. dicitur: Non gravatè ferebat, ſi ſenſibilem ei Dominus aliquando gratiam ſubtraxiſſet. Et L. 1. C. 17. dicit Chriſtus de Gertrude loquens: Si poſt aliquod tempus ſenſerit in ſe acceptam gratiam aliquantulum tepeſcere, ut fit nonnunquam propter occupationes & varias & multijuges, nequaquam mihi diffidat. Et L. 1. C. 19. dicitur: Cum aliquamdiu à Domino non eſſet viſitata, nec tamen gravatè id ferret, accidit, ut, unde hoc eſſet, data occaſione Dominum interrogaret; cui Dominus reſpondit; vicinitas nimia quandoque impedit amicos, ne ſe perfectè queant contueri. L. 2. C. 21. Chriſtus dicit: ſi tibi donorum meorum effectum ad tempus diſpenſativè ſubtraxero, obligo me id poſtmodum triplici lucro perſoluturum. Et L. 2. C. 23. S. Gertrudes ait: Quando diſpenſativè ſaporem delectationis ex parte ſubtraheres, ſtatim dona tua quaſi nihil valentia oblivioni tradidi. Et L. 3. C. 4. Ex inordinata quadam triſtitia & impatientia tantas incurrit tenebras, quod ex magna parte jucunditatem divinæ præſentiæ ſibi videbatur amiſiſſe. Itaque non continuò fuit viſitata *tantâ* dulcedine, ut non prævaluerit interdum triſtitia. Sed reſponderi poteſt tò *continuè* ſumendum moraliter, non phyſicè, ut ſenſus ſit, *ſæpiſſime*, ita ut interruptio non ſit intenta ad ceſſationem, ſed proſecutionem paulò poſt reſumendam.

2. L. 1.

2. L. I. C. 17. dicitur, quod S. Gertrudes nihil poſſit loqui aut velle, niſi quod vult Deus, & tamen alibi ſæpius dicitur, quod adhuc peccaverit, etiam verbis. Sic dicitur: Ad tantam cum Deo unionem perveniet, ut oculi ejus non videant, niſi quod per eos Deus vult videre, nec os ejus loquetur, niſi quod per illud Dominus voluerit loqui. Et Chriſtus ait: Singulis horis quod ego intendo illa perficit; eſt quaſi dextera mea, qua operor, quæcunque volo. Et ſpiritus impetus ejus eſt mihi per modum linguæ, nam loquitur, quæ ego volo. Et L. 1. C. 14. Chriſtus: Voluntas tua meæ adeo unita eſt, ut aliud atque ego nequeas velle. Aliis verò locis ſæpe fit mentio, quod etiam habuerit ſuos defectus. L. 2. C. 12. S. Gertrudes ait: Cum quodam veſpere in iram commota fuiſſem, & ſequenti die ante diluculum orandi opportunitas inſtaret, exhibuiſti te mihi in tam peregrina ſpecie, ut ſecundum formam judicarem te tam rerum, quàm virium ſolatio penitus deſtitutum. Tunc conſcientia ex præcedenti lapſu emordente querulans cœpi revolvere &c. tunc Chriſtus. Ego tecum habitans inter omnes procellas vitiorum ad ſerenum tuæ emendationis intendo. Et L. 2. C. 20. S. Gertrudes ait: Cum ego heu non deſiſtam in majoribus ſæpe culpis delinquere, ſic habes occaſionem, culpas meas remiſſius judicandi. L. 2. C. 23. S. Gertrudes confitetur humiliter culpas ſuas his verbis: Ego ingratiſſima dona tua contemnens cepas & allia nimis irreverenter tuo cœleſti manna prætuli, exteriorem delectationem quærens. - Et heu ſæpius induravi cor meum contra voluntatem tuam in tantum, quod cum lachrimis dicendum eſſet; quandoque diſſimulavi intelligere voluntatem tuam, ne cogerer inſtigante conſcientia perficere illam. - Super his omnibus maxima culpa mea eſt, quod poſt talem tecum unionem non pertimui animam meam maculare defectibus illis, quos mihi inhærere ad hoc permiſeras, ut certando eos devincerem. &c. &c. Huc pertinet, quod L. 5. C. 3. dicatur, S. Gertrudem in cœlo in ſenſu tactus non habuiſſe

Digitized by Google

ſpecialem delectationem ob negligentiam in hoc genere commiſſam. Hæc & plura ſimilia teſtimonia oſtendunt, S. Gertrudem à peccatis non fuiſſe immunem, ut proin exaggeratio illa de perpetua unione voluntatis illius cum voluntate Dei non videatur vera. Sed reſponderi poteſt, culpas verſari circa actus ex incuria, præcipitantia, inadvertentia, ignorantia commiſſos; unionem verò circa actus deliberatione & ſcientia plena commiſſos.

3. L. 2. C. 4. S. Gertrudes dubitat, an licitè revelarit aliis ſuas revelationes, & tamen alibi fatetur, id ſibi imperatum fuiſſe à Deo. Sic habet: Multoties ſenſi mihi auctum fervorem devotionis occaſione hujusmodi detectionis. Sed utrum effecerit ſpiritus tuus, ſeu affectio humanitatis, non mihi liquidò conſtat. Econtra L. 1. C. 16. dicitur: Cum Gertrudes intellexiſſet, Dei voluntatem eſſe, ut Scripta hæc ad hominum venirent notitiam, quando jam animo firmaverat, in vita ſua nulli hæc manifeſtare, Dominus reſpondit &c. Ex quo colligitur, mandatum Domini, revelationes publicandi præceſſiſſe publicationem. Sed reſpondendum, timorem S. Gertrudis fuiſſe de manifeſtatione ſuarum revelationum privata, nullo præcedente mandato divino; non de ſcripta, ſuſcepta ex ordinatione Dei, propalanda poſt ſuam mortem.

XIV. In Revelationibus S. Gertrudis habentur aliqua, quæ ab Hiſtoricis paſſim ſine ſcrupulo vocantur in controverſiam. Sic

1. L. 3. C. 46. Chriſtus ait: Hora prima coram gentili homine (Pilato) judicandus adſtiti. Hora tertia crucem dignatus ſum bajulare. Hora nona morti in cruce ſuccubui. B. Virgo ſola tempore mortis meæ recedentibus Apoſtolis & deſperantibus univerſis in vera fide perſtitit immobilis. An ergo S. Joannes

nes non perſtitit in fide? Nicodemus, Joſephus ab Arimathæa, & mulieres, quæ adſtiterunt cruci? Sed poteſt hoc in B. Virgine intelligi de fide perfecta, non vacillante circa circumſtantiam reſurrectionis & myſterium crucis tanquam opus redemptionis.

2. S. Gertrudes vidit multos Benedictinos damnatos, quod tamen repugnat alteri revelationi, aſſerenti, quod nullus damnetur. L. 4. C. 11. ſic habet: Geſtabat B. Benedictus velut pro baculo ſceptrum quoddam decentiſſimum; quod cùm manu teneret ex gemmis ſceptri arridebat ei felicitas omnium qui per regularem diſcretionem Ordinis ſui unquam ſunt correcti & emendati, à parte verò altera reſpondebat decor divinæ juſtitiæ in hoc, quod illos, quos ad tanti Ordinis dignitatem ſublimaverat, culpis eorum exigentibus juſto judicio ſuppliciis deputavit æternis. Sed reſponderi poteſt, alteram illam revelationem, ſi concordari non poſſit, debere cedere huic certiori. Quod & reſpondendum ad tres objectiones ſequentes.

3. De paſſione Domini L. 4. C. 15. ſic habet: Circa tertiam apparuit ei Dominus JEſus in tali diſpoſitione, qua ad ſtatuam eſt flagellatus, ſtans inter duos lictores vinctus, quorum unus videbatur eum cædere ſpinis, alter verò flagello nodoſo; uterque verò cædebat eum in faciem, unde faciei ejus miſerabilis videbatur aſpectus. Nam pars illa faciei quæ ſpinis cædi videbatur, intantum apparuit dilacerata, quod etiam pupilla oculi interius erat vulnerata, inſuper & livida ex tumore flagelli nodoſi. Videbatur etiam ex amaritudine paſſionis ſubtrahere faciem quam dum uni ſubtraheret, alter acrius inſurgebat in illum. Aliæ Revelationes aliter narrant; & in Propheta dicitur: Faciem meam non averti ab increpantibus & conſpuentibus in me.

4. De Latrone converſo in cruce L. 4. C. 24. ſic ſcribit: Latro ille, qui tam ſalubrem adeptus eſt fructum pœnitentiæ, ad illam fuit habilitatus per hoc; quamvis ſceleratus & latrociniis

Digitized by Google

deditus eſſet, tamen ubicunque manifeſtam agnovit injuſtitiam, ſæpe redarguit, ſociisque reſtitit; quod etiam in cruce fecit. Unde miſericordiam conſecutus eſt apud Dominum. Sed alii aliam aſſignant cauſam ejus converſionis.

5. L. 4. C. 26. De Paſſione ſua Chriſtus loquens ait: Si quis alienum ſenſum ſequitur, & non ſuum, ille mihi captivitatem, qua hora matutinali captus, ligatus, multisque injuriis affectus ſum, rependit; qui verò humiliter culpabilem ſe reddit, judicium, qua hora prima multis falſisque teſtibus accuſatus & morti adjudicatus ſum, recompenſat. Quod Chriſtus hora matutinali captus fuerit, repugnat aliis narrationibus & revelationibus.

6. S. Gertrudi Chriſtus revelat, non ſolum S. Thomam Chriſti latus & manus contrectaſſe, quod videtur repugnare hiſtoriæ Evangelicæ. L. 4. C. 32. ait: Si deſideras Spiritum Sanctum accipere, oportet te ad modum diſcipulorum meorum prius latus & manus meas contrectare. Reſponderi poteſt: hic diſcipulis tribui, quod unus fecit, ſicut dicitur, latrones blaſphemaverunt; vel diſcipuli reſponderunt; quod ab uno factum eſt.

7. Determinat modum & horam obitûs B. V. ſic L. 4. C. 49. dicitur: Gertrudes intellexit, quod B. Virgo præcedenti die ſuæ Aſſumptionis circa horam nonam ita penitus abſorpta eſt in Deum, quod omni humanitate exutâ jam in præludio cœleſtium delitiarum ſolo ſpiritu Dei vegetabatur usque ad horam, qua circa noctis horam tertiam advenienti Domino in omni perfectione præparata exivit obviam; ſicque in ulnas ejus convolans unus ſpiritus cum eo effecta introivit in potentias divinitatis. Sed in revelationibus Ven. Mariæ de Agreda id dicitur contigiſſe hora tertia pomeridiana. Sed ex hoc non probatur, quod potius revelationes S. Gertrudis ſint falſæ.

8. Videt quinquaginta Philoſophos à S. Catharina ſuperatos, de qua re non omnes conveniunt. L. 4. C. 59. dicitur: Oſtendit illi Dominus D. Catharinam in ſolio ſublimiter elevato. Appa-

Digitized by Google

Apparebant etiam infra eam quinquaginta illi Oratores, quos ipſa ſuperatos direxit ad cœlum, qui omnes aurea ſceptra in manibus tenentes capitella eorum ſuper veſtes ejusdem Virginis declinando ipſam in modum florum exornabant. Non eſt ex hiſtoria demonſtrata falſitas hujus narrationis.

XV. Extant in his Revelationibus aliquæ prorſus ſuperfluæ de objectis, quorum notitia poterat haberi à Confeſſario, vel alio viro perito. Cur ergo neglectis ſubſidiis ordinariis conferrentur viâ extraordinaria? immo aliquæ ſunt valde intricatæ, ut pro earum elucidatione opus fuerit alia meliore revelatione. L. 3. C. 1. dicitur: Cum Gertrudes ab aliqua devota perſona cogeretur detegere, quidquid ſibi Dominus ſpecialis doni in antecedenti feſto contuliſſet; quia propter aliquas cauſas hoc facere tunc difficillimum judicabat, & tamen ſi omnino reniteretur, timeret divinæ voluntati contraire, recurrit ad B. Virginem, cupiens ab ea edoceri, quid in hac cauſa magis expediret. Unde ab ipſa tale accepit reſponſum: Expende, quod habes, quia Filius meus prædives eſt ad rependendum, quidquid in laudem ejus expenderis. Sed cum illa ſecretum ſuum tot adinventionum ſuarum clauſulis obumbraſſet, quod nequaquam credere poſſet ad aliorum ædificationem, hac de cauſa etiam Domino ſupplicavit, ut intimaret quid ſibi magis placitum eſſet. Unde tale meruit reſponſum. Da pecuniam meam ad menſam. &c. Sic & L. 3. C. 18. revelantur ipſi variæ doctrinæ de S. Communione, quæ omnes extant in Theologis; cur ergo opus revelatione? ſic §. 9. docetur, quod reverentiæ causâ abſtinere à communione non ſit malum, quod tamen dudum docuit S. Auguſtinus, & cum illo Theologi. L. 3. C. 13. narratur ſimilis curioſa Revelatio his verbis: Accidit aliquando, quod quædam oblata cecidit de præparamento, dum plica-

plicaretur, de qua dubium erat, utrum eſſet conſecrata vel non. Qua de re cum iſta conſuleret Dominum, & ab eo intelligeret, hoſtiam illam non fuiſſe conſecratam, gaviſa quidem eſt, pro eo, quod talis negligentia non erat commiſſa, ſed tamen lucro laudis divinæ inhians dixit ad Dominum: licet nunc contumelia tibi non ſit exhibita; quia tamen toties à tuis, etiam quandoque à ſacerdotibus ac Religioſis ſimili contumelia afficeris, ego non pandam, quod hæc hoſtia non ſit conſecrata, ne forte per me qualicunque defrauderis emenda. Da mihi intelligere, quam emendationem maximè acceptares pro qualibet offenſa? tunc intellexit Dominum acceptare, ſi in honorem Sanctiſſimorum ſuorum membrorum dicerentur ducenta viginti quinque Pater noſter, & totidem opera charitatis proximis exhiberentur; & etiam tot continentiæ inanium & inutilium delectationum ipſius divinæ delectationi offerentur. Sed reſponderi poteſt, Deum nonnunquam obſequi ejusmodi deſideriis ſanctorum, quæ videntur tentatio Dei, quando ob familiaritatem cum Deo & uſum miraculorum jam ſunt certi de voluntate Dei approbante.

LIV. Vltima difficultas objici poteſt, quod Chriſtus in his Revelationibus velit, eas omnibus publicari, & à nullo impugnari. Sed hoc non videtur eſſe actus prudentiæ, quia ſicut Cantica Salomonis non debent omnibus permitti aut commendari ad legendum, ita nec libri myſticorum, & tales revelationes, in quibus occurrunt blanditiæ extraordinariæ Chriſti ad animam & animæ ad Chriſtum nempe oſcula, amplexus, & ſimilia. Et hoc prudenter obſervat P. Tannerus S. J. in Diſſertatione Proëmiali ad Revelationes Marinæ de Eſcobar, ubi §. 6. ait: Ut ſuus fructus his revelationibus conſtet, advertendum eſt, non pro omnibus vulgari, cum non deſint quidam ita diſpoſiti, ut noxiæ potius eis eſſent futuræ, quàm ſalutares, prout nec ſcripturæ ſacræ lectio omnibus expedit. Inprimis

primis ergo non porrigendæ hæ revelationes hæreticis. Secundò non ſunt ad harum lectionem admittendi homines ſceleribus præſertim carnalibus penitus immerſi, ne margaritæ projiciantur ante porcos. Siquidem & his non minus quàm Lutheranis mox ſe ingerit caro, & omnia hæc cœleſtium blanditiarum ſpecimina eis obnubilat exhalatio libidinoſa. Tertiò nec ſunt hæ revelationes utiles hominibus penitus idiotis, aut quibus nihil penitus de via perfectionis innotuit, hi enim non adverterent ſub corporalibus his ſymbolis latere myſteria, adeoque ex omnibus nimis ruditer acceptis tanquam Deo indignis non niſi offenſionem & confuſionem referrent; hinc etiam non expedit in quavis lingua vernacula eas edi. Quartò non ſunt his revelationibus legendis apti, quorum aut indoles, aut prava conſuetudo eſt omnibus contradicere; multoque minus illi, qui à ſpiritualibus abhorrent, ita ut nonniſi profana eos delectent. Quintò non proficient ex his revelationibus quicunque etiam docti ac Religioſis ordinibus adſcripti, qui nihil antea de ſublimi ac delicata via unitivi cum Deo amoris legerunt. Hinc non in quovis cœnobio expedit, eas publicè legere. Sic quoque non ſunt proponendæ oſoribus omnis teneræ devotionis. En! ſana ratio oſtendit, tales revelationes non eſſe pro omnibus; quomodo ergo Chriſtus dicere potuit, eas publicandas pro omnibus? L. 5. C. 36. dicit: *Quicunque humiliato corde ad me veniens amore amoris mei in hoc libro legere voluerit, huic utilia demonſtrabo, & effectum animæ ſalutarem inſpirabo.* Certè à lectione nullus excipitur. Mandatum Chriſti ſcribendi has revelationes etiam extat L. 1. C. 16. & L. 5. C. 10. Chriſtus dicit: ſuffero perverſores, qui iſtis ſcriptis contradicunt; quibus tamen ſicut & cæteris prævalebo. Et L. 1. C. 19. Chriſtus ad S. Gertrudem ait: Ad hoc te elegi, ad hoc utor te, ut ſis tanquam triclinium theſaurorum meorum, in quod gratiarum mearum divitias colligam, providens, ut unusquisque, quæ quæſierit, in te inveniat, tanquam in ſponſa, quæ omnium ſecre-

Digitized by Google

ſecretorum ſponſi ſui conſcia eſt, & propter diutinam cohabitationem cum ſponſo ejusdem in omnibus voluntatem & beneplacitum agnoſcit; hanc enim ſponſi voluntatem, quam pro ſingulari familiaritatis gratia à ſponſo didicit, aliis debet revelare. Sed reſpondendum: Chriſtum non præcepiſſe, ut *omnes* illæ revelationes manifeſtentur *omnibus aliis* indiſcriminatim, ſed *aliis*, ſupponendum, ad capiendam utilitatem *idoneis*. Quod attinet calumniatores & contradictores harum revelationum, id ad illos pertinet, qui omnia tribuerunt illuſionibus diabolicis, aut impoſturis humanis, non verò ad illos, qui movent rationabile dubium ſaltem de nonnullis illuſionibus phantaſiæ. Sit ergo

Concluſio.

Ex omnibus hucusque dictis liquet, non eſſe demonſtratum, Revelationes S. Gertrudis eſſe falſas; ſed nec eſſe poſitivè demonſtratum, omnes & ſingulas eſſe divinas, ita ut non potuerit aliquoties intervenire illuſio phantaſiæ, aut aliquando etiam dœmonis. Utrum verò fortiores ſint præſumptiones pro hac vel illa parte, relinquo judicio Eccleſiæ, & eorum, quorum dignitati ac officio incumbit ejusmodi controverſias dijudicandi neceſſitas. Illud tamen fateor, me in eam firmum ſtare ſententiam; illuſiones dœmonis adeſſe nullas, cum non appareant fines & effectus conſueti in operationibus dœmonum. Cenſeo præterea, has Revelationes non eſſe paſſim uſurpandas in concionibus, & libris Aſceticis, cum de ſingularum divinitate non habeantur argumenta indubia; multo minus permittenda eſt quibuslibet lectio earum in lingua vulgari, cum paucula exinde provenientia bona, quæ & aliis mediis obtineri poſſunt, non ſint compenſatura abuſus plurimos, in quos inclinant ſpectata imperitia & credulitate populi. Hæc verò cautela Scriptorum finis ille eſt, quem neceſſariò quærendum duxi, dum conſiderabam multitudinem libellorum & librorum

Digitized by Google

brorum ejusmodi revelationes præciſè ut jacent ſine congrua explicatione aut hæſitatione adducentium, nec ullum appareat aliud in actu ſecundo efficax ſaltem in regionibus Româ remotioribus remedium. Abſit verò, me per hoc cultui & fiduciæ erga tam dilectam ſponſam Chriſti detractum velle. Nullus enim dubito, eam habuiſſe donum revelationum, eamque non ſolùm habuiſſe familiaritatem cum Deo ſummam, ſed etiam eſſe eximiam converſationis internæ cum Deo Magiſtram. Hinc ſuadeo, ut pietatis cultores ejus Revelationes, ſeu *Inſinuationes divinæ pietatis* prout aptè inſcribuntur, diligenter legant; ea, quæ nullam offenſionem pariunt populo, ſaltem per modum *inſinuationum* ſeu *inſpirationum* à Deo S. Gertrudi factorum, proponat, eamque tanquam magnam Patronam interioris vitæ, ac familiaris converſationis cum Deo eligant. Neque abſterreantur ab ea erga dilectiſſimam Chriſti Sponſam reverentia & fiducia, quod ex hucusque dictis probabile ſit, in his viſionibus aliquoties interveniſſe luſus phantaſiæ; quia pro certiſſimo teneo, Deum delectari ejusmodi luſibus phantaſiæ animarum ſanctarum; atque iisdem luſibus phantaſiæ eum immiſcere ſancta lumina, & pios motus animi; & non ſolùm his luſibus eum delectari, ſed etiam interdum per ſe vel per angelos de die vel in ſomno excitare phantaſiam, ut exeat in ſuas operationes ſibi conſuetas, quibus dein immiſcere poſſit ſua lumina, oſtenſiones, & bonos motus. Eatenus Deus facit, ſicut mater, pater, aut amici faciunt cum dilectis ſibi infantibus; gaudent enim eorum innocentibus, infantilibus, & erroneis diſcurſibus, quibus pro inſtructione immiſcent interdum bonas doctrinas & motiones ad bonum. Simili modo DEus facit cum operationibus phantaſiæ ac diſcurſibus internis animarum ſanctarum, quibus immiſcet ſua lumina & amorum delitias. Itaque nil prohibet, S. Gertrudem etiam in ipſis operationibus phantaſiæ, ſi quæ in ejus Revelationibus interveniunt, conſiderare tanquam vas ſanctum ſemper plenum Deo, & tanquam Sponſam juvenculam ſem-

per mira divinarum operationum cum humanis mixtione delitiantem cum Deo. Hæc mea etiam de ſimilibus aliarum animarum ſanctarum viſionibus mens eſt, in quibus humana examinanda & corrigenda, divina autem ſuſpicienda, & amplectenda ſunt.

Num. IX.

Revelationes S. Eliſabethæ Virginis Schönaugienſis, ex Codice MS, aſſervato ad S. Udalricum Auguſtæ, ac ſcripto circa annum 1450.

Proëmium.

Hic eſt liber viarum Dei, qui annuntiatus eſt ab angelo Dei altiſſimi Eliſabeth ancillæ Chriſti & Dei vivi, in quinto anno viſitationis ejus, in quo viſitavit eam Spiritus ad ſalutem omnium, qui paternas admonitiones Dei grata benedictione percipiunt. Et erat in anno Dominicæ incarnationis M. C. LVI.

1. Factum eſt in exordio quinti anni viſitationis meæ. Ego Eliſabeth vidi in viſione ſpiritus mei montem excelſum - & quaſi tres vias à radice ejus usque ad ſummum porrectas. - Mons excelſus, ſicut ab angelo percepi, altitudo cœleſtis beatitudinis eſt. - Via hyacinthina contemplationis ſtudium eſt; - via viridis eorum, qui in activa vita perfecti ſunt. - Via purpurea beatorum Martyrum eſt. - Tunc angelus dixit ad me; Ecce incepiſti librum viarum Dei, ſicut

Digitized by Google

ſicut propoſitum tibi fuerat. Hæc idcirco dicebat, quoniam in anno priore die quadam, cum eſſem in ſpiritu, duxerat me quaſi in pratum quoddam, in quo fixum erat tentorium, & introivimus illuc, & oſtendit mihi congeriem magnam librorum illic repoſitorum, & ait: vides libros iſtos? omnes adhuc ante diem judicii dictandi ſunt. Elevans autem unum ex eis dixit: Hic eſt liber viarum Dei, qui pro te revelandus eſt, quando viſitaveris ſororem Hildigardi, & audieris eam, & ita quidem impleri cœpit, cum ab ea rediſſem. - - Factum eſt autem in Feſtivitate beati Jacobi Apoſtoli, cum eſſem in ſpiritu & viderem viſionem viarum Dei, rapta ſum in ſublime, & montem Dei contemplata ſum, & Ecce lux illa, quæ montis verticem occupabat, ſcindi viſa eſt, & introſpexi per eam, & vidi ſanctorum multitudinem, cujus æſtimari non poterat numerus. - Eram poſt hæc quieſcens in lectulo meo, nec adhuc ſomnum ceperam, cum repente viſitavit me Spiritus Domini, & replevit os meum ſermone hujusmodi: Attendite igitur nunc, qui renuntiaſtis ſæcularibus deſideriis &c. &c. Nondum verba hæc finierat Angelus, cum incidit mihi dubitatio, & interrogavi dicens: Quid dicemus de Pontificibus & Præpoſitis, & hujusmodi magnis Eccleſiæ Prælatis? & reſpondit mihi in hæc verba. Superbia regnat in cordibus Prælatorum, & repellunt Deum à cordibus ſuis - procul dubio mittet eos in ignem æternum. - Et conſummatis omnibus ſermonibus his in die, quo beati Michaelis memoriam agebamus, iterum ſe mihi præſentavit, & allocuta ſum eum dicens: Nunquid Domine mi ſecurè affirmare poterimus, omnes hos ſermones ex te proceſſiſſe. Hæc idcirco dicebam, quia verba iſta protulerat ita, ut tamen faciem ejus non viderem. Ille igitur me intuens ait: Crede ex toto corde tuo, quod verba hæc de ore meo proceſſerunt; beatus, qui legerit & audierit verba libri hujus. Alium quoque Sermonem continuò inchoavit his verbis dicens: Admoneo eos, qui in ſæcularibus curis oppreſſi ſunt. &c. &c.

Digitized by Google

2. Dies feſtus agebatur, & eramus aſſiſtentes divino Officio, cum ex conſuetudine apparuit Angelus in conſpectu meo; cumque de mora ejus longiore delicta mea culpaſſem, dixi ad eum: Placeat nunc Domine mi, ut & tertiæ illius viæ, quæ eſt Sanctorum Martyrum, diſciplinam nobis inſinues. Tunc aperiens os ſuum locutus eſt, dicens: Agnus Chriſtus præcedit coram ſanctis Martyribus &c. &c.

3. Factum eſt autem, poſtquam verba hæc terminaſſet Angelus, qui mecum loquebatur, ut ſuperveniret feſtivitas beatorum Virginum Urſulæ & Sociarum ejus undecim millium, tunc decantabatur in Vigilia Matutina ſermo ille divinus, quo dicitur: Reddet Deus mercedem laborum Sanctorum ſuorum, & deducet illos in via mirabili. Unde interrogavi Inſtructorem meum, cum inter ſilentia Miſſæ more ſolito apparuiſſet, dicens: Domine demonſtra mihi, quænam eſt via illa mirabilis. Qui continuò reſpondens ait: Via Sanctorum Martyrum hæc eſt - hoc intueri potes in ſacris illis Virginibus, quarum hodie martyria celebratis. &c. &c.

4. Fui in oratione & apparuit mihi ſolito more Dominus meus, & poſtulavi ab eo diſciplinam viæ illius, quæ ad ordinem conjugatorum pertinet. Statimque aſſenſit, ſicque exorſus eſt: Ecce admoneo conjugatos, abſtinete vos à pravis operibus veſtris. &c. &c. - Dies feſtos, & dies legitimæ abſtinete, & tempora prægnationis per continentiam honorate - qui enim inter diem & diem, inter tempus & tempus continendo non diſtinguunt, vindictam Domini in ſemetipſis, & in ſemine ſuo, qua hora non putaverint, ſentient. - - - Rogavit me Germanus meus, ut ſciſcitarer ab Angelo, quomodo ad conjugatos pertineat etiam fornicatio. Cumque ſuper hoc dubio Dominum meum interrogare cœpiſſem, locutus eſt ad me dicens: plena eſt terra immunditia &c. &c.

5. Ce-

Digitized by Google

5. Celebrantibus nobis ſolennitatem B. Joannis Evangeliſtæ intenta eram orationi poſt vigilias Matutinas, ac deprecabar Dominum valida intentione cordis, ut diſciplinam viæ continentium, quam in ſpiritu videram, mihi aperire dignaretur. Cumque orando laſſata eſſem, remiſi paululum oculos ad ſoporem, & poſt puſillum repente expergefacta ſum, & Ecce Angelus mihi aſſiſtens ſermonem, quem deſiderabam, inchoavit his verbis: Dico vobis, o filii Dei. &c. &c.

6. Sequenti verò die, cum de beatis Innocentibus Officium Miſſæ ageretur, ego ſumpta occaſione ex lectione Apocalypſis, quæ legebatur, deprecata ſum Dominum meum, qui iterum mihi aſſiſtebat, dicens: Domine, dic obſecro, quale eſt hoc Canticum, quod decantabant beati iſti Martyres ante Sedem Dei & Agni, ſicut præſens Lectio teſtatur, aut quomodo ſequuntur Agnum quocunque ierit? Qui reſpondens ait: Quid me interrogas? nunquid lingua ſuper terram novit hoc Canticum; nihil tibi inde enarrabo. Quod autem interrogas, quid eſt, quod ſequuntur Agnum, quocunque ierit, hoc eſt, quod in omnibus virtutibus, quæ conſiderari poſſunt in Agno, eum imitantur. In virginitate eum ſequuntur, quæ in illis eſt ſine macula. Humiles, & ſimplices & ſine dolo fuerunt, ſicut & Agnus. Patientiam in martyrio habuerunt in ſimilitudinem Agni. Non ſunt virgines, neque ſunt martyres ulli, qui tam prope Agni veſtigia ſequuntur, ut iſti, excepta Regina noſtra, quæ prima virginitatem ſuam mundam Domino cuſtodivit. Ipſa Virgo egregia, & beati iſti Martyres ſpeculum ſunt omnibus ſacris virginibus. Hos intueri debent cunctæ virgines, & conſiderare, quali ſanctitate eos præierunt; in ſimilitudinem eorum vitam ſuam debent informare.

7. Rurſus in circumciſione Domini, cum ſe mihi obtuliſſet Dominus meus, dixi ad eum: Mi Domine, doceas me. Nunquid amitti poteſt virginitas per immundam libidinem, ſi non ad ipſum opus fuerit perducta? Qui ait: Non ammittitur, ſed inquinatur. &c. &c.

8. Cùm autem in Octava Joannis iterum ſe mihi præſentaſſet, prævenit verba mea, ita me hilariter alloquens: &c. &c. Iterum ſubjunxi dicens: Domine ſunt, qui non ſponte ſtimulos carnis experiuntur in tentatione, & moleſtè ferunt ardorem, qui adverſatur munditiæ corporis ſui; nulla tamen repugnatione eum vitare prævalent, nunquid hoc eis reputabitur in peccatum? Qui ait: Si moleſtè ferunt tentamenta hujusmodi, neque animo eis conſentiunt, leviori pœnitentia culpæ ſuæ, quam ſic contrahunt, indulgentiam conſequuntur, & mercedem magnam adipiſcentur. &c. &c.

9. Sermone præcedente ad finem perducto diſtulit ſolito diutius me viſitare Angelus Domini, quod ego delictis meis imputans anxiabar; hinc diligentius lachrimis & orationibus operam dedi, & adjuvabat me Conventus noſter communi oratione, & conſummatis decem & ſeptem diebus ſtabam in Oratorio ſola effundens Domino cor meum ac dicens: Obſecro, proſequere ſermonem de via Rectorum Eccleſiæ. Et Ecce Angelus ſubito apparuit coram me, & ſermonem initiavit dicens: - Caput Eccleſiæ elanguit, membra illius mortua ſunt, quoniam Sedes Apoſtolica obſeſſa eſt avaritia, & repleta eſt iniquitate & impietate, & ſcandalizant oves meas, & errare eas faciunt, quas cuſtodire & regere deberent - &c. &c.

10. In feſtivitate S. Maximi inter ſolennia Miſſæ allocuta ſum Angelum dicens: Placeat nunc Domine, ut nobis exhibeas diſciplinam congruentem viæ viduarum. Et protinus ait: Ecce, dico vobis &c. &c.

11. Cupiebam octavi ſermonis initium accipere die translationis Patris noſtri S. Benedicti, ſed impeditæ ſunt die illo orationes meæ ab hoſpitum præſentia, & translatum eſt deſiderium meum in proximam diem; tunc præſentavit ſe mihi angelus, & poſtulavi, ut ſermonem ordiretur de via Eremitarum; & continuo hæc locutus eſt. &c. &c.

12. Men-

Digitized by Google

12. Menſe Auguſto quinta die mane poſt Vigilias Matutinas cum eſſem cubans in lectulo meo, neque adhuc ſomnum cepiſſem, ſubito apparuit coram me Angelus, & novum ſermonem inchoavit (de via Adoleſcentum) dicens. &c. &c.

Explicit liber viarum Dei.

Viſio Eliſabeth ancillæ Domini, quam vidit in Schönaugienſi Cœnobio de Reſurrectione B. V. Mariæ.

IN anno quo mihi per Angelum annuntiabatur liber viarum Dei, in die, quo Octavam Aſſumptionis Dominæ noſtræ in hora divini Sacrificii fui in exceſſu mentis, & apparuit mihi ſuo more Domina Cœlorum, tunc ſicut ab uno è ſenioribus noſtris præmonita fueram, rogavi illam dicens: Domina mea, placeat benignitati tuæ, ut certificare nos digneris, utrum ſolo ſpiritu aſſumpta ſis in cœlum, an etiam carne; hoc autem idcirco dicebam, quia, ut ajunt, dubiè de hoc in libris patrum ſcriptum invenitur. Et dixit mihi, quod inquiris, nondum ſcire potes, futurum tamen eſt, ut pro te reveletur. Ego itaque toto illius anni ſpatio nihil de hoc vel ab Angelo, qui familiaris mihi eſt, vel ab ipſa, cum ſe mihi præſentaret, amplius interrogare audebam. Injunxit autem mihi frater ille, qui ad hanc inquiſitionem me hortabatur, aliquas orationes, quibus impetrarem ab ea revelationem, quam ſpoponderat. Cumque evoluto anno rurſus adeſſet feſtivitas Aſſumptionis ejus, languebam ægritudine dierum multorum, & ſicut eram jacens in lectulo in tempore divini Sacrificii, veni in mentis exceſſum cum labore vehementi; & vidi ſepulchrum quoddam multo lumine circumfuſum,

ſum, & quaſi ſpeciem mulieris in eo, & circumſtabat multitudo magna Angelorum; & poſt puſillum erecta eſt de ſepulchro, pariterque cum illa multitudine elevata eſt in ſublime. Cumque aſpicerem, Ecce in occurſum ejus venit de altitudine cœlorum vir ſupra omnem æſtimationem glorioſus portans in dextra ſignum crucis, in quo & vexillum apparuit, quem intelligebam eſſe ipſum Salvatorem. - - In eadem hora aſſiſtebat mihi Angelus, & dixi: Quid ſibi vult viſio hæc? & ait: Oſtenſum tibi eſt, quomodo tam carne quam ſpiritu Domina noſtra in cœlum aſſumpta eſt. Poſt hæc ſciſcitata ſum ab Angelo, in quoto die à die dormitionis ejus acciderit corporalis illa reſurrectio; & rurſus ait: Quoniam in eodem die, quo celebratur Aſſumptio ejus, de vita hac migravit. Quadrageſimo autem die poſt illum, hoc eſt, octava Kalendas Octobris, reſurrexit. Poſt hæc cum dubitarem publicare ſcriptum revelationis hujus, expletis duobus annis dixit: Non debet in populo divulgari hoc, quia ſæculum malignum eſt - debent autem innoteſcere per te familiaribus meis - iterum apparuit mihi, & interrogavi eam dicens: Domina mea, quanto tempore poſt aſcenſionem Salvatoris vixiſti ſuper terram? nunquid in ipſo anno aſcenſionis ejus aſſumpta es in cœlum? Et ait: Poſt aſcenſionem Domini manſi in vita mortali ſuper terram anno integro & tot diebus, quot ſunt à feſtivitate Aſcenſionis uſque ad diem, quo celebratur Aſſumptio mea. Iterum ſubjeci dicens: Et nunquid adfuerunt ſepulturæ Apoſtoli tui? & ait: Omnes adfuerunt, & cum magna veneratione corpus meum terræ commendaverunt.

Celebrantibus nobis feſtum Dominicæ Annuntiationis, cùm iterum mihi oſtenderet glorioſam faciem Domina mea, auſa ſum & hoc ſciſcitari ab ea, cujusnam eſſet ætatis, quando annuntiante Angelo verbum Dei in ſua virginali aula concepit, & reſpondit: Quindecim annos tunc habui, atque inſuper tantum temporis, quantum

Digitized by Google

tum eſt à commemoratione Nativitatis usque ad Dominicæ Annuntiationis ſolennitatem.

Cum eſſent pene conſummati ſermones libri hujus, in feſtivitate Apoſtolorum Petri & Pauli, in hora divini Officii fui orans in ſecreto, & apparuit in conſpectu meo Angelus, & locutus eſt audiente me verba hæc Trevirenſi Epiſcopo, & Coloniæ, & Moguntino Epiſcopis. Annuntiatum ſit vobis à Domino DEO magno & tremendo, & ab Angelo teſtamenti libri hujus, ut hæc verba, quæ inveneritis in præſenti libro, annuntietis Romanæ Eccleſiæ, totique populo & omni Eccleſiæ - nolite arbitrari, hic eſſe figmenta mulierum; quia non ſunt, ſed à DEO patre optimo - quod autem vobis dico, cæteris omnibus dico.

Sermo Elizabeth
De Undecim millibus Virginum, aliisque Martyribus paſſis inter eas Coloniæ.

VObis, qui pios affectus erga ea, quæ ſancta ſunt, geritis, ego Elizabeth famula ancillarum Domini, quæ ſunt in Schönaugia, aperio ea, quæ mihi per gratiam Dei revelata ſunt de illo virginali exercitu Sanctæ Urſulæ Britannicæ Reginæ, quæ in ſuburbio Colonienſis Civitatis pro Chriſti nomine in diebus antiquis martyrium paſſa eſt. De his enim me ſilere non permittunt quidam bonæ operationis viri, qui ad hæc inveſtiganda diutina me poſtulatione multum renitentem compulerunt. Scio quidem, quoniam & hinc ſumpturi ſunt occaſionem flagellandi me linquis ſuis hi, qui adverſantur gratiæ Dei in me, ſed voluntariè id ſuſtinebo, quia aliquid mercedis me recepturam ſpero, ſi tot mar-

tyrum honor aliquid incrementi acceperit ex his, quæ per meos labores Dominus de eis revelare dignatur. Quando complacuit Domino miſereri ſuper martyres ſuas pretioſas, quæ per multa tempora jacuerant ſine honore ſub pedibus hominum & jumentorum ſecus muros urbis Coloniæ, accidit, ut viri quidam ibidem manentes accederent ad locum martyrii eorum, & aperuerunt multa monumenta ſanctorum corporum, atque ea inde ſublata transferrent ad loca religioſa, quæ erant in circuitu, ſicut à Domino fuerat ordinatum. Erat autem annus Dominicæ Incarnationis M. C. LVI. his fieri incipientibus, & tenebat Romani Imperii principatum Fridericus Imperator; in Cathedra autem Pontificali in Colonia præſidebat Arnoldus ſecundus. Tunc inter cæteras Virgo pretioſa martyr ibidem inventa eſt, in cujus ſepultura titulus talis legebatur. *S. Verena Virgo & Martyr.* Hæc per manum venerandi Abbatis noſtri Hildelini inde in locum noſtrum translata eſt data à Tuitienſi Abbate Domino G. quia ad colligenda & honoranda illius ſanctæ Societatis corpora pia multorum devotio fervebat. Quæ dum à conventu fratrum noſtrorum, qui eam ſuſcepturi erant, ad ingreſſum Eccleſiæ exſpectaretur, ego in conclavi noſtro reſidens, antequam de adventu ejus quidquam audiſſem, teſtimonium ſanctitatis ejus tale accepi à Domino. Veni in mentis exceſſum, & vidi in via, per quam ſacra oſſa ferebantur, quaſi flammam candidiſſimam habentem formam globi, quem antecedebat angelus ſpecioſus nimis, habens in manu unum thuribulum fumigans, in altera verò candelam ardentem, ſicque pariter in aëre levi meatu migrabant usque intra Eccleſiam. Cumque die altera in ejus veneratione Miſſarum ſolennia celebrarentur, fui in ſpiritu, & apparuit mihi eadem Virgo ſtans in cœleſti claritate mirificè coronata, & palma victoriæ glorioſè adornata. Ego igitur eam alloquens interrogavi, an verè ita eſſet nomen ejus, ſicut relatum nobis erat, pariterque ſciſcitata ſum de nomine cujusdam martyris, cujus corpus absque certo nomine cum ipſa

pſa erat allatum. Et reſpondit dicens: Ita eſt, non ut audiſtis. Pene tamen per errorem aliter ſcribi debuerat, ſed ipſa ego ſcribentem prohibui. Venit autem mecum Cæſarius Martyr; & quando intravimus in hunc locum, intravit pax nobiſcum. Rurſus die altera cum de eodem martyre divinum Officium celebraretur, apparuit & ipſe mihi in gloria magna; & cum ab eo requiſiſſem, cujus officii in ſæculo extitiſſet, & qua occaſione cum illis virginibus martyrium ſubiiſſet, ait: miles fui in ſæculo, filius materteræ hujus ſacræ virginis, cui adjunctus ſum. Dilecta mihi valde erat, ideoque cum egrederetur de terra ſua, comitatus ſum eam; ipſa verò ad martyrium ſuſcipiendum me confortavit, & ego videns conſtantiam ejus in paſſione, ſimul cum ea paſſus ſum. Fuerunt autem longo tempore oſſa noſtra ab invicem ſeparata, & nunc impetravimus à Domino, ut ſic conjungerentur. Hoc igitur ſermone in magnam dubitationem adducta ſum. Exiſtimabam enim, quemadmodum opinantur cuncti, qui legunt hiſtoriam Britannicarum Virginum, quod absque comitatu virorum peregrinata fuerit illa beata Sodalitas. Præterea & aliud comperi, quod nihilominus hanc expoſitionem vehementer infirmabat. In tempore illo, quo prædicti duo martyres inventi ſunt, reperta ſunt inter ſepulchra virginum multa corpora ſanctorum Epiſcoporum, atque aliorum magnorum ſanctorum, atque virorum, erantque in monumentis ſingulorum repoſiti lapides habentes titulos ſibi inſcriptos, quibus demonſtrabatur, qui aut unde fuiſſent. Horum præcipuos ac maximè nobiles transmiſit ad me ex ſupra dicta urbe præfatus Abbas, ſperans aliquid mihi per gratiam Domini de eis poſſe revelari, & cupiens certificari per me, utrum credendum eis eſſet an non; habebat quippe ſuſpicionem de inventoribus ſanctorum Corporum, ne forte lucrandi cauſa titulos illos dolosè conſcribi feciſſent. Quales autem fuerint tituli illi, & quid de eis mihi revelatum fuerit, in præſenti ſermone per diverſa loca oculis legentium anteponere curavi, ut hinc animadvertatur, quàm

 dignè

dignè à fidelibus Chriſti omni honore proſequenda ſit illa verè ſancta Sodalitas, quam tam ſublimium perſonarum comitatu divina paternitas honorare dignata eſt.

Eram aliquando tempore cogitans mecum ſuper his, quæ dicta ſunt, & deſiderans à Domino accipere revelationes, quæ expetebantur à me. Et factum eſt, ut ſuperveniret feſtum Beatororum Apoſtolorum Symonis & Judæ, de quibus dum Officium Miſſæ celebraretur, venit ſuper me quædam paſſio cordis, quam pati ſolebam, quando primum mihi revelari inceperunt myſteria Dei; cumque diu defatigata fuiſſem, veni in extaſim, & ſic quievi. Cum ergo in ſpiritu meo, ſicut mos mihi eſt, cœlum intuerer, ſupradictos martyres de cœlo claritatis, in quo viſiones ſanctorum videre ſoleo, longè inferiorem aerem præcedentes conſpexi, eosque fidelis cuſtos meus angelus Domini præcedebat, quibus ego ita ut eram in ſpiritu allocuta ſum dicens: Magnæ benignitatis veſtræ hoc eſt, Domini mei, quod nunc me ita viſitare dignamini, cum nihil ſervitii vobis exhibuerim. Ad hæc beata Verena ita reſpondit: Senſimus, quoniam multum nos invitavit deſiderium cordis tui, & propterea venimus viſitare te. Tunc interrogans dixi: Domina mea, quid hoc ſibi vult, quod in loco martyrii veſtri etiam corpora Epiſcoporum ſepulta inveniuntur? & nunquid credendum eſt ſuperſcriptionibus titulorum, qui in quibusdam lapidibus illic reperiuntur? & quis fuit Scriptor illorum? Et dixit ad me: Ante multa tempora ad hoc ipſum te prælegit Deus, ut ea, quæ hactenus de nobis incognita fuerunt, per te faceret manifeſta. Propterea noli ferre moleſtè, quod ad hæc inquirenda quorundam precibus ſollicitaris. Sit injunctum tibi, ut omni tempore vitæ tuæ per ſingulos annos in Vigilia Paſſionis noſtræ in pane & aqua jejunes; aut ſi hoc implere non potes, unius Miſſæ celebratione redimi te facias, quatenus tibi revelare dignetur Dominus ea, quæ de nobis manifeſtare diſpoſuit, & ut tu noſtro conſortio quandoque jungi merearis. Poſt hæc

hæc cœpit loqui ad me ſermones iſtos in magna vultus hilaritate dicens: Quando primùm in patria noſtra congregari cœpimus, ſacra fama noſtra latè diſperſa eſt, & multi ad ſpectandum nos undique confluxerunt. Contigit autem Deo ordinante, ut etiam quidam Epiſcoporum Britanniæ nobis adjungerentur, atque in noſtra Societate mare transeuntes usque Romam nobiscum pervenirent; in quo itinère & Beatus Pantulus Baſilienſis Epiſcopus nobis aſſociatus eſt, & usque ad Romam nos perduxit, factusque eſt noſtræ paſſionis ſocius. Hujus titulus talis erat: *Sanctus Pantulus Baſilienſis Epiſcopus, qui virgines ſatis cum gaudio ſuſceptas Romam perduxit, inde rurſus Coloniam pervenit, ibique cum eis martyrium ſuſcepit.* Poſt hæc objeci dictis ejus illud, quod in hiſtoria ipſarum legitur, videlicet, quod cum eſſet Beata Urſula quaſi ludens in mari ſecundum conſuetudinem ſuam cum aſſociatis ſibi virginibus, ductis plus ſolito in altum navibus, quas ipſæ virgines gubernabant, repentino vento aſpirante cunctæ naves à finibus illis ablatæ ſint, neque ultra redierunt illuc. Juxta hæc etenim veroſimile eſt, quod absque virorum comitatu perrexerunt. Ad hoc ita reſpondit: Pater Beatæ Urſulæ Rex Britanniæ Scotticæ Maurus nomine vir fidelis conſcius erat voluntatis filiæ ſuæ, & quid de ea Deus ordinaſſet, cognoſcebat; quemadmodum & ipſa hoc quibusdam, quos familiares habebat, detexit; acceptoque conſilio cautè præordinavit, ut filia ſua, quam tenerrimè diligebat, viros, quorum ſolatio tam ipſa, quàm exercitus ejus indigebat, in comitatu ſuo diſcedens haberet.

Tituli, qui maximè notabiles erant, hunc habebant modum; *Sanctus Cyriacus Papa Romanus, qui cum gaudio ſuſcepit ſanctas virgines, & cum eis Coloniam reverſus martyrium ſuſcepit.* Et alius ſecus hunc repertus eſt talis. *Sanctus Vincentius presbyter Cardinalis.* De quibus cum beatam Verenam interrogaſſem, ait: In tempore, in quo ingreſſæ ſumus urbem Romam, præſide-

ſidebat Apoſtolicæ Sedi vir ſanctus nomine Cyriacus huc ingreſſus de finibus noſtris. Et cum eſſet vir prudens & nobilis, omnibusque acceptus, ſublimatus erat in Apoſtolicam dignitatem. Jamque per annum integrum & undecim ſeptimanas Romanam Eccleſiam rexerat, in numero Romanorum Pontificum decimus nonus. Qui cum nos adveniſſe audiſſet, lætatus eſt cum omni Clero ſuo, & in magna honorificentia nos ſuſcepit: habebat quippe cognatas quamplures inter nos. Nocte verò, quæ proxima erat poſt adventum noſtrum, revelatum eſt ei à Domino, quod relicta Sede Apoſtolica nobiscum eſſet profecturus, ſimulque martyrii palmam nobiscum accepturus. Ipſe verò erat celans apud ſe revelationem hanc, deditque ſacri baptiſmatis benedictionem multis Sodalium noſtrarum, quæ nondum erant renatæ in Chriſto. Cumque opportunum tempus accepiſſet, manifeſtam fecit voluntatem ſuam, atque in conſpectu totius Eccleſiæ reſignavit Officium dignitatis ſuæ, reclamantibus cunctis, præcipuè Cardinalibus, qui velut deliramentum arbitrabantur, & quaſi poſt fatuitatem mulierculårum declinaret, neſcientes admonitionem divinam, quæ eum urgebat. Ipſe autem conſtanter in propoſitio ſuo permanebat propter amorem virginitatis noſtræ. Nam & ab infantia ſua ipſe immaculatam virginitatem cuſtodierat in ſeipſo. Ab illo tempore omnem gratiam, quam in conſpectu Romanæ Eccleſiæ prius habuimus, amiſimus, & obſcuri nobis facti ſunt, qui prius applauſerunt nobis. Ipſe autem venerandus pater noſter Beatus Cyriacus non prius ab urbe egreſſus eſt, donec ipſius conſilio alter ei nomine Anterus ſubſtitutus eſt.

Poſt hæc cum perſpexiſſem Catalogum Romanorum Pontificum, neque usquam nomen ſancti Cyriaci reperiſſem, rurſus interrogavi beatam Verenam, cum ſe mihi die quadam præſentaſſet, quare inter cæteros Romanos Præſules adſcriptus non fuiſſet? Et dixit; hoc ex indignatione Cleri accidiſſe pro eo, quod

quod in ordine dignitatis ſuæ usque ad finem permanere noluiſſet.

Rurſus die alia, cum eam interrogaſſem de quodam Jacobo, cujus nomen in ſepultura ejus absque omni adjunctione ſcriptum inventum eſt, viſa eſt mihi quodammodo gratulari ſuper interrogatione mea; reſpondit ergo mihi hilariter dicens: Fuit in tempore illo quidam nobilis pater venerabilis vitæ Jacobus Archiepiſcopus, qui de patria noſtra in Antiochiam peregre profectus fuerat, ibique ad honorem Præſulatus aſcenderat, & ſeptem annis rexerat Eccleſiam illam. Hic cum audiſſet, Cyriacum ſuæ gentis virum Romæ in Apoſtolica dignitate ſublimatum, venerat viſitare eum; jamque nobis advenientibus nuper de Urbe fuerat egreſſus, quod cum nobis indicatum fuiſſet, miſſus eſt velociter nuntius ad revocandum eum, & inventus eſt in Caſtello quodam, quod erat remotum à Roma duabus Dietis. Cumque audiſſet de adventu noſtro, continuò reverſus eſt ad nos, & factus eſt ſocius itineris noſtri & particeps paſſionis noſtræ in Colonia. Habebat autem & ipſe neptes aliquas in noſtra Societate. Hic exhortante Cyriaco Papa, cum eſſet vir prudens, magnam diligentiam adhibuerat, ut ſciret nomina Sororum noſtrarum, atque ea ex magna parte, cum interemptæ fuiſſemus, lapidibus inſcripta corporibus noſtris adhibuit; ſed antequam hoc perficere potuiſſet, deprehenſus eſt ab impiis in hoc opere, & trucidatus eſt in medio noſtri; hinc eſt, quod quædam ex noſtris intitulatæ inveniuntur, quædam autem non. In ipſa autem hora paſſionis ſuæ, cum jam feriendus eſſet, hoc ſolùm à percuſſoribus poſtulavit, ut tantum differretur paſſio ejus, quousque ſuiipſius nomen lapidi poſſit inſcribere, & conceſſum eſt ei. Interrogavi etiam de die paſſionis ejus, quia non erat credibile ſecundum narrationem hanc, quod eodem die, quo virgines paſſæ ſunt, ipſe quoque fuiſſet interemptus. Ad hoc quoque reſpondit: Poſt diem paſſionis noſtræ tertia

Digitized by Google

tertia die paſſus eſt ab eodem tyranno, qui Beatam Cordulam interemit.

Addidit etiam de quodam Martyre, cujus titulus erat: *Sanctus Mauriſus Epiſcopus.* Cum adhuc Romæ eſſemus, hic fuit Epiſcopus in Lavicana annis duobus, habens & ipſe originem de patria noſtra, filius cujusdam Comitis de genere magnorum principum, eratque avunculus duarum virginum Babilæ & Julianæ, cum quibus ſepultus inventus eſt. Fuit autem ſanctiſſimæ vir vitæ, & virtutem magnam habebat prædicatio ejus, eratque ei maximum ſtudium, ut quicunque infidelis ſive Judæus, ſive gentilis ad eum veniſſet, non diſcederet ab eo, quousque ſacri baptiſmatis aqua eum lavaſſet, & ita rectè Officio ejus nomen Lavicana congruebat. Hic ſecum adduxit ad nos Beatum Claudium Spoletanum, quem ipſe in Diaconum ordinaverat, & Forcatum adoleſcentem laicum, fratrem ejus, qui nondum ad militiam fuerat promotus. Hi duo adhæſerunt Epiſcopis noſtris, & diligenter eis miniſtraverunt, & martyrium cum eis ſubierunt. Hæc dicebat, quia & de his ab ea fueram ſciſcitata propter titulos eorum, quos videram. Adjecit etiam ultra dicens: Cuncti Epiſcopi, qui in itinere nobiſcum fuerunt, ſegregatas à nobis manſiones habebant, ſed in diebus Dominicis in medium noſtri venire ſolebant, confortantes nos divino ſermone, & Dominici Sacramenti communione.

Habebam quodam tempore deſiderium interrogandi de duobus Epiſcopis, quorum titulos acceperam, talem habentes formam. *Sanctus Faillanus Lucenſis Epiſcopus*, ab Apoſtolica Sede miſſus, hoc loco fuit occiſus, & ferro peremptus, & cum iſtis virginibus eſt ſepultus. Item. *Sanctus Simplicius Ravennenſis Epiſcopus.* Et factum eſt, cum quadam die ageremus memoriam B. Virginis Dominæ noſtræ Sanctæ Mariæ, oſtendit mihi faciem ſuam ſecundum ſolitam benignitatem, cumque mecum plurima

Digitized by Google

plurima verba contuliſſet, interrogavi eam de eisdem Epiſcopis, & ait: Hi duo in tempore illo profecti fuerant Coloniam, & inde revertentes obviam habuerunt ſacrum exercitum, ſicque aſſociati ſunt Papæ & Clero, qui illic erant, & cum eis iterum redeuntes palmam martyrii cum eis adepti ſunt.

Rogata eram, ut inveſtigarem de titulo cujusdam venerabilis monumenti, quod intitulatum erat hoc modo: *Hic jacet in terris Etherius, qui vixit annis viginti quinque. Fidelis in pace receſſit.* Et ſubſcriptum erat in Capitalibus litteris. *Rex.* Et erat figura R. grandis, atque ita diſpoſita, ut in ea notari poſſent duæ litteræ ſcilicet *p.* & *r.* erantque duæ litteræ *f.* & *x.* in ſiniſtro latere figuræ ejusdem. In dextro autem latere capitale *a.* ſcriptum erat. Itemque in lapide quodam juxta invento ſcriptum legebatur: *Demetria Regina.* Interrogavi ergo Beatam Verenam de his: atque de infantula quadam, quæ juxta inventa eſt, habens titulum: *Florentina puella.* Et reſpondit mihi ad omnia dicens: Etherius fuit Rex ſponſus Urſulæ ſanctæ Reginæ. Demetria verò fuit mater Etherii; Florentina autem ſoror ejusdem. Et addidit ultra dicens: Narrabo etiam tibi, quid ſignificet *a* littera, quæ titulo Regis adſcripta eſt. Sume tibi tribus vicibus eandem *a* litteram, & adjunge ei tres litteras *x. p.* & *r.* & habebis *Axpara*, quod eſt nomen cujusdam Duciſſæ, quæ in vicino reperta eſt; fuit autem filia materteræ Etherii, magnæque dilectionis vinculo ei adſtricta, quod ſignificare voluit tituli ſcriptor, cum ita admiſcuit nomen ejus nomini regio. Hoc manifeſtius tunc exprimi non oportebat, quia futurum erat, ut pro te hæc omnia manifeſtarentur. &c. (ſequuntur hic multa de Etherio Rege Britanniæ Anglicæ, deſponſato Urſulæ, Catechumeno, & per revelationem admonito, ut iret in occurſum Urſulæ Româ abeuntis Coloniam) Poſt hæc de quodam ſancto viro, cujus titulus erat, *Sanctus Clemens Epiſcopus & Martyr*, inſtructa ſum, quod

præfatus Rex de patria ſua egrediens ſecum illum adduxerit.

Item cum requiſiviſſem de quodam, cujus titulus erat: *Sanctus Marculus Epiſcopus in Græcia.* Reſponſum tale accepi ab Angelo. Fuit in urbe, quæ Conſtantinopolis dicitur, Rex quidam *Dorotheus* nomine de Sicilia oriundus, & nomen uxoris ejus *Firmindina*, eratque ei filia unica dicta *Conſtantia*, & factum eſt, ut morerentur parentes ambo, dum adhuc filia eſſet absque ſolatio mariti. Deſponſaverunt ergo eam proximi ejus cuidam adoleſcenti alterius regis filio in conjugem, & ille ante nuptiarum tempus morte præventa eſt &c. &c. (hæc iterum per revelationem juſſa eſt ire Romam, & ſe ſociare S. Urſulæ eò venturæ,) Miſſus eſt ad me & hujusmodi titulus: *S. Geraſima* quæ duxit ſacras Virgines. &c. Tandem ad nos miſſa ſunt tria corpuſcula ſancta, quæ fuerant de Societate ſanctæ Urſulæ &c. & poſt triduum *mihi apparuerunt*; una dixit. Ego *Albina* vocata ſum, & hæc quæ mecum eſt *Emerentiana*; ſorores ſecundum carnem fueramus, filiæ cujusdam Comitis, cujus erat nomen Aurelianus. Hic autem Martyr, qui nobiscum venit, *Adrianus* vocatus eſt, & erat filius Regis, & cum eſſet decem annorum, paſſus eſt. Medium corpus eſt Adriani. Hic egreſſus eſt cum quatuor ſororibus, & cum eis Martyrium ſuſcepit; nomina autem earum ſororum hæc erant: *Babila*, *Juliana*, *Aurea*, & *Victoria*. Sancta Geraſima fuit regina Siciliæ & verè erat de fideli radice Aaron. Virum ſuum Quintianum Regem, cum eſſet primò tyrannus crudeliſſimus, convertit. Hic eam ſcripſerat de Britannia, & erat ſoror Sancti Mauriſii Epiſcopi & Dariæ matris S. Urſulæ Reginæ. Tres habebat filios, & filias ſex & erat minimus in eis S. Adrianus, frater ejus ſenior erat Dorotheus Rex Græciæ, qui erat pater S. Conſtantiæ &c. Quodam tempore à B. Verena ſciſcitata ſum, quisnam fuerit Author Martyrii illius beati exercitus? reſpondit: Cum eſſemus Romæ, fuerunt ibidem eò tempore duo

duo principes iniqui, quorum nomina erant Maximinianus, & Africanus, qui videntes magnam eſſe multitudinem noſtram, & multos confluere ad nos, & nobis aſſociari, indignati ſunt vehementer adverſum nos, ac metuebant, ne forte per nos multum creſcere deberet Religio Chriſtiana; unde cum exploraſſent iter noſtrum, quo profecturæ eramus, miſerunt cum feſtinatione legatos ad quendam cognatum ſuum nomine Julium, qui erat princeps gentis Hunnorum, hortantes eum, ut educto exercitu ſuo perſecutionem nobis inferret, ac deleret nos; qui cito acquieſcens voluntati eorum cum armata multitudine egrediens irruit ſuper nos, cum veniſſemus Coloniam, ibique effudit ſanguinem noſtrum. &c. &c. Fuit in Colonia in tempore illo ſacer Pontifex plenus ſpiritu ſancto, qui quartus poſt Beatum Martinum Eccleſiam Dei illic gubernabat, nomine Aquilinus. Hic cùm eſſemus regreſſuræ è Roma, audivit vocem, dicentem ſibi, ut ad ſepelienda corpora noſtra præparatus eſſet. &c.

Hucusque revelationes Eliſabethæ Schönaugienſis, ad finem additur ejus epiſtola ad Abbatem Tuitienſem, in qua per revelationem dicit ſe accepiſſe, quod in loco, ubi erat commiſſa irreverentia erga ſacram hoſtiam, 40 diebus eſſet ſacrificandum. Tandem liber hoc modo concluditur. In die S. Mariæ Magdalenæ ante Primam ego Egbertus ſtabam orans ante Altare S. Heriberti, & vidi flammam rubicundiſſimam tribus vicibus ſupra altare majus circa reliquias S. Heriberti. Exiſtimabam ibi eſſe lampadem, acceſſi, ut viderem, & non erat. Ipſo autem die obtuli ſuper easdem reliquias revelationes Eliſabeth, quas oſtendit illi Dominus de exercitu S. Urſulæ Virginis.

Explicit Liber Viarum Dei Deo Gratias.

Digitized by Google

Demonſtratio falſitatum, in his revelationibus contentarum.

1. ASſerit, Undecim millia Virginum ex Scotia veniſſe Romam ſub Cyriaco Papa decimo nono; eum præfuiſſe ultra annum, ac dein reſignaſſe invitis Cardinalibus, ſed propterea non fuiſſe poſitum in numero Romanorum Pontificum, quia non manſit in Dignitate. Addit, eidem ſucceſſiſſe Antherum Papam. Ipſum verò Cyriacum virgines comitatum & Coloniæ paſſum eſſe. Quot in una narratione falſitates! Primò falſum eſt, unquam extitiſſe Romanum Pontificem nomine Cyriacum; enumerantur omnes Romani Pontifices in antiquiſſimis Catalogis Romanorum Pontificum, item ab Euſebio, & S. Auguſtino, aliiſque ſcriptoribus illorum temporum; enumerantur anni, menſes, ac dies, quot quisque in Pontificatu habuerit; nullus unquam vel per ſomnium vidit ante Antherum Cyriacum; ſed omnes Pontiano anno 237 paſſo ſubſtituunt immediate anno ſequente 238 Antherum, qui adhuc eodem anno paſſus eſt. Secundò falſum eſt, Cyriacum reſignaſſe. Quia tempore Cœleſtini V nullum adhuc ſciebatur Romæ exemplum ullius reſignationis Pontificiæ, ut patet ex ejus Legenda apud Bollandianos. Tertiò falſum eſt, tempore Antheri Papæ jam extitiſſe nomen & Dignitatem Cardinalium, ſic ut ab eorum authoritate potuerit dependere conſtitutio vel reſignatio Pontificis.

2. Aſſerit illis temporibus fuiſſe Dorotheum Regem Conſtantinopoli, cum tamen ea urbs eo nomine & ſub ea forma necdum extiterit, ſed primùm fuerit conſtructa à Conſtantino M.

3. Aſſe-

Digitized by Google

3. Aſſerit, eo tempore fuiſſe Regem in Sicilia & Græcia, cum tamen ex Hiſtoria Romana certum ſit, Siciliam & Græciam fuiſſe Romanas Provincias, quæ regebantur à Præfectis ſine ullo titulo regio.

4. Aſſerit, Romæ Principes eo tempore fuiſſe Maximianum & Africanum; cum certum ſit, ſolum Maximianum fuiſſe imperarorem, & Africanus nunquam fuerit Collega Imperii.

5. Aſſerit, Hunnos avocatos Coloniam ad perdendas virgines, cum tamen Hunni eo tempore necdum fuerint in Europa. Et hoc conſilium ſtultum eſt, exercitum hoſtilem ex remotiſſimis orientis provinciis vocare in occidentem & ad Romanam Coloniam, ut perderent undecim millia virginum, quaſi verò ad hoc non ſuffeciſſent Romani Exercitus, ſicut ſuffecerunt Legioni Thebeanæ?

6. Aſſerit, Jacobum ſeptem annis rexiſſe Eccleſiam Antiochenam, cum ex Catalogo illorum Epiſcoporum conſtet, nullum eo tempore ſediſſe Jacobum.

7. Aſſerit, Epiſcopum Romanum, Antiochenum, Ravennatenſem, Lucenſem, Baſileenſem &c. deſeruiſſe ſuas ſedes comitandi virgines causâ; cùm tamen reſidentia Epiſcopis eo tempore fuerit ſeveriſſimè inculcata; & per ſe ſtultum ſit, tales Epiſcopos tempore perſecutionis deſerere ſuas Diœceſes, & peregrinari in terras remotiſſimas cum exercitu virginum.

Taceo plurima alia abſurda in hac narratione, & falſa & calumnioſa erga Romanos Pontifices ſæculo 12, & erronea, v. g. quod motus carnis culpa ſint, etſi non ſint voluntarii num. 8. & 9. & ſolum addo judicium Baronii & Janningi. Baronius ad annum 237 ait: *Non audiendi penitus recentiores quidam, qui poſt Pontianum introducunt Cyriacum quendam Pontificem, cujus*

Digitized by Google

nulla prorſus extat mentio in Serie Romanorum Pontificum vel apud Optatum Milevitanum vel Auguſtinum, vel Creſconium, aliosve Indices Vaticanos, nec apud Græcos, ut Euſebium & alios, adeo ut ne quidem digna ſit, quæ pluribus confutetur ſententia. Janningus verò in continuatione Actorum Bollandini in Propylæo ad vitam Pontiani & Antheri ponit integram diſſertationem de falſitate harum revelationum Eliſabethæ, & num. 12. ait: *cogor vereri, ne Swibertinis & Tuitienſibus monachis certamen fuerit, utri plura fingerent, hi ſub nomine B. Eliſabethæ divinitus inſpiratæ, iſti ſub titulo S. Marcellini. Quidlibet profecto toleraverim, quam pro cœleſtibus revelationibus talia ſuſcipiam.* Ita Janningus. Idem ad diem 18. Junii ubi exhibet vitam hujus Eliſabethæ Schönaugienſis, num. 110. ait: *Deiparæ, ut præfertur, Eliſabetham alloquenti, ſuamque ætatem infra quinquageſimum annum reſtringenti opponi poterit eadem Deipara aſſerens S. Brigittæ L. 7. C. 26. quod, poſtquam filius ſuus aſcendit ad cœlum, vixit in mundo per quindecim annos.*

Addo, hanc Hiſtoriam de Cyriaco Papa à Gregorio XIII. juſſam expungi ex Joannis Andreæ Gloſſis in Decretales, ut obſervat Papebrochius in ſua Apologia.

Aliæ

Aliæ variæ revelationes ejuſdem S. Eliſabethæ.

BOllandiani ad 18. Junii exhibent vitam & Revelationes præfatæ Eliſabethæ, ſcriptam ab Egberto Monacho, qui erat Eliſabethæ frater. Videamus, quales & iſtæ ſint.

C. 1. Videt in extaſi B. Virginem, & D. Benedictum, & dœmonem ſub variis formis. Audit ſecum loquentes, iisque reſpondet.

C. 2. Videt Spiritum Sanctum in ſpecie columbæ in variis locis, aliquando ſupra crucem, aliquando ſupra capita celebrantium, ſupra calicem ante conſecrationem. In feſtis Sanctorum videt ſanctos, quorum feſtum eo die celebrabatur, & quandoque Chriſtum ſub variis formis.

C. 3. Videt crucem in gloria, ſacrum ſanguinem in calice conſecrato, varios ſanctos, purgatorium, paradiſum, animas è purgatorio liberatas. n. 50. & 51. ſic habet: Vidi Dominum JESUM cum infinitis millibus venientem in regionem aëris hujus. Aſſiſtebant autem ei duo diverſa agmina innumeræ plebis, unum à dextris, alterum à ſiniſtris. Iis quidem, qui à dextris erant, lux immenſa circumfuſa videbatur, inter quos apparuit Dei mater Maria; ibi diverſitates omnium Eccleſiaſticorum graduum diſtinctè perſpexi, inter quos & Venerabilem Patrem noſtrum Benedictum cum ſua Monachali turba dignoſcere delectata ſum. Iis autem qui erant à ſiniſtris, tenebræ denſæ & horribiles circumfuſæ erant. Heu! quantos ex Clero, quantos noſtri Ordinis viros & mulieres plenos confuſione illic dignoſcebam; cumque omnia perſpexiſſem, dixit Judex ad eos, qui erant à ſiniſtris; Ite maledicti in ignem æternum, & continuo cum

prin-

principe dœmoniorum in profundiſſimas tenebras demerſi ſunt.

C. 4. Videt myſteria paſſionis & Reſurrectionis. N. 55. Vincto Domino in monte Oliveti videt diſcipulos *ad ſua latibula diſcurrere*. N. 56. ait: Vidi Dominum in Cruce, inque illa hora emiſit ſpiritum, & inclinata eſt cervix ejus; concidit amabile caput, complicata ſunt genua, & omnia ejus membra deorſum reſederunt. Hoc quoque vidi, qualiter unus accurrens lanceam lateri ejus infixit, & continuo copioſus ſanguis pariter cum aqua emanavit; & Ecce caligo denſa & horribilis ſuper univerſam terram orta eſt, & ſaxa per agros terribiliter concurrere & collidi, & ſcindi viſa ſunt. Et N. 57. Vidi hortum, in quo erat monumentum, & Ecce matrona quædam veniens acceſſit ad monumentum plorans, & introſpexit, & non invento ibi corpore quaſi mœſta paululum receſſit. Occurrit autem ei Dominus, moxque illa ſubſtitit quaſi interrogans aliquid ab eo, & poſt puſillum converſa eſt, *ut rediret ad monumentum*; iterumque ſubito ſe convertit, quaſi vocata ab illo, & currens procidit ad pedes ejus; cumque ipſe diſparuit, velociter cucurrit usque ad domum, ubi erant diſcipuli congregati - poſt hæc vidi duas matronas venientes ad ſepulchrum cum aromatibus, & ut viderunt angelos, ſubſtiterunt quaſi ſtupefactæ. Occurrit autem & illis Dominus in via; moxque illæ accurrentes prociderunt coram eo, & *tenuerunt pedes ejus*; hoc autem nequaquam de prædicta illa matrona viſum eſt. - N. 58. Poſt hæc vidi, qualiter Chriſtus manducavit cum diſcipulis, eratque in menſa *diſcus unus* habens piſcem, & alter continens favum mellis. Erant autem *veſtimenta* ejus, in quibus eum poſt reſurrectionem vidi, *candidiſſima* & *facies* ejus *tantæ claritatis*, ut vix eam diſcernere poſſem. N. 59. In die Aſcenſionis Domini vidi congregatos in domo diſcipulos & matrem Domini cum eis, & intravit ad eos Dominos, &

cum

integrum biennium his effectibus non caruiſſet. Ibidem C. 28. ait: Semel Humanitas Chriſti mihi apparuit eo modo, quo pingi ſolet in ſua Reſurrectione; pulchritudo & majeſtas ejus erat inexplicabilis, excedens omnia, quæ in terris pulchra ſunt, aut quæ imaginatio quantumvis plurium annorum conatu fingere poſſet. Splendor niveus, quo fulgebat, non perſtringebat oculos mentis, quibus videbatur, ſed recreabat. Lux ejus adeo diverſa erat à noſtra, ut ipſum lumen ſolis in ejus comparatione ſordeat, pigeatque ad iſtud aperire oculos. Illa ſe habet inſtar aquæ limpidiſſimæ in vaſe cryſtallino colluſtrato à ſole, iſtud vero inſtar aquæ luteæ. Verbô, ſe habet ad lumen ſolis ut lux vera ad lucem pictam. Etiamſi toto vitæ tempore quis conetur imaginatione ſua illam aſſequi, non tamen aſſequetur. Senſus externus viſûs ad eam videndam nihil conferunt, videbatur enim ſenſibus internis; nec poteſt impediri visio claudendo oculos, aut avertendo attentionem; cogitur enim anima ad attendendum & intuendum oculis internis. Videbatur mihi ex aliquibus indiciis, quod tantùm eſſet imago Chriſti; ex multis aliis verò, quod eſſet ipſemet Chriſtus; aliquoties quidem erat adeo obſcura, ut crediderim eſſe tantum imaginem, ſed & tunc excedebat tantopere effigies pictas, quantum excedit homo verus hominem pictum. Quandoque apparet tanta majeſtate, ut dubitari non poſſit, eſſe ipſum Chriſtum, præſertim poſt communionem; tunc tanta authoritate dominatur in ſuo habitaculo, ut anima ſeipſam quaſi annihilatam videat in Chriſto. Tunc non obſtante quod Chriſtus ſe exhibeat amicabilem, anima confunditur de ſuis peccatis, deque iis ſeriò dolet. Tanta eſt vis talis apparitionis, ut niſi Deus per Ectaſin, in qua apparitio diſparet, animam juvaret, ab infirmitate humana perferri non poſſet. Attamen illa majeſtas adeo impreſſa manet memoriæ, ut nunquam poſſit dari oblivioni, niſi in ariditate, in qua ferme anima obliviſcitur ipſius Dei. In iſta apparitione anima totaliter immutatur & immergitur Deo, & confertur ipſi de

Digitized by Google

novo vivax amor Dei. Hæc viſio, quamvis ſit imaginaria, & quantum eſt de ſe, inferior intellectuali, ſummopere tamen æſtimanda eſt, & meo judicio caret omni periculo; nam ex effectibus patet, quod dœmon in ea nullam habeat partem. Ter aut quater, ut puto, dœmon ſub tali figura conabatur mihi repræſentare Chriſtum viſione falſa; induit tunc quidem formam corpoream, ſed non poteſt imitari illam gloriam, quæ reperitur in viſione vera. Facit tales repræſentationes, ut animam perturbet in viſionibus veris; ſed anima per ſe illi reſiſtit ſentiendo tœdium; & perturbatur, amittitque omnem guſtum ad orationem. Hinc credo, quod anima etiam nondum experta viſiones veras, ſed ſolùm aſſueta contemplationi ac unioni cum Deo, has fraudes poſſit advertere. Qui verò ſemel habuerit viſiones veras, etiam à longe has fraudes ſentiet. Nam quamvis talis apparitio dœmonis incipiat cum ſuavitate & voluptate quadam interna, anima tamen ſtatim eam ſuavitatem reſpuit, & meo judicio hæc alia eſt, quam illa cœlica, quæ ſecum trahit amorem purum ac caſtum. Nec dici poteſt, talem apparitionem provenire ab imaginatione, quia pulchritudo vel unius manus tranſcendit omnem imaginationem. Et ſuppoſito etiam quod imaginatio ad hanc contribueret, ſequeretur tamen, quod non ſolùm nulli exinde naſcerentur effectus boni, ſed etiam anima afficeretur poſitivè tœdio. Econtrà in iſta apparitione, de qua ago, anima ditatur valde. Hinc quando aliquæ perſonæ ſanctæ, quas tamen Deus non ducebat iſta via, mihi injiciebant timorem de illuſione, reſpondebam hac paritate. Si quis amicorum in allocutione mihi donaſſet pretioſam gemmam, non poſſem perſuaderi, illam allocutionem eſſe merè phantaſticam, aut illuſoriam; ſic dum in momento ſenſi animam traductam eſſe ab amore vitiorum ad amorem virtutum, mihique virtutum ſolidam immobilitatem collatam eſſe, ut noverunt mei Confeſſarii & familiares, non poſſum credere dœmonem hoc medio uti velle ad me ſupplantandam. C. 29. S. Thereſia pergit aſſeverare, imagina-

ginationem noſtram inſufficientem eſſe, ad efformandam tantam pulchritudinem humanitatis Chriſti. Ibidem ait: Volui interdum conſiderare colorem & formam oculorum Chriſti ſic mihi apparentis, ſed nunquam potui hoc obtinere, ſed potius apparitio totaliter evanuit. Hoc contingit in omnibus apparitionibus, quod diligentia humana nihil poſſit addere, detrahere, aut juvare, ut appareat eſſe opus ſolius Dei. C. 38. ait: Ingens eſt diſcrimen inter lucem, quæ videtur in viſionibus, & lucem ſolis; hæc enim ad illam comparata étiam obſcura videtur, imaginatio non poteſt ad hanc pertingere, nec ad aliud eorum, quæ tunc videntur, præſertim illam voluptatem, quæ ſuaviſſimè per omnes ſenſus diffunditur. Semel ultra horam ſic permanſi in Ecſtaſi, ubi mihi Dominus mira oſtendit. Exinde ſenſi manifeſtam meliorationem in mea anima. Tunc noluiſſem iterum reverti ad hanc vitam, quia contemptus omnium terrenorum, qui in me remanſerat, erat ingens. Omnia arbitrabar ut ſtercora, & agnoſcebam, quàm malè in iis colloccetur tempus. Tunc & impoſſibile animæ eſt, æſtimare ea, quæ mundus æſtimat. Illud dominium animæ ſupra terrena tantum eſt, ut dubitem, an illud quiſpiam comprehenſurus ſit, niſi ipſemet id expertus fuerit. Ea alienatio animi ab omnibus terrenis fit ſine ulla noſtra opera, & eæ veritates ſic imprimuntur, ut clare agnoſcamus, quod eas tam brevi tempore non potuerimus aſſequi ex nobis ipſis. Exinde etiam in me effectum eſt, quod non amplius timeam, quem prius ſemper valde timueram; nam Ecſtaſis magnam habet ſimilitudinem cum morte, ſeu ſeparatione animæ à corpore. Præterea hæ viſiones juvant, ut animus libenter converſetur cum iis, quos vidit in cœlo; unde fit, ut in comparatione illorum mihi videantur viventes quaſi mortui, ſic ut totus mundus nullam mihi præbeat converſationis ſolatium. C. 39. ait: Semel facta in Ecſtaſi vidi thronum Dei, in quo ſedere Deum non quidem vidi ſed intellexi, mihi videbatur portari ab aliquot animalibus, & cogitabam an non forte eſſent quatuor ani-

malia. Qualis autem fuerit, & quid in eo fuerit, non vidi, ſed tantum vidi multitudinem angelorum, qui videbantur mihi pulchriores aliis angelis, quos vidi in cœlo; cogitabam an non forte eſſent Cherubini & Seraphini. Gloriam, quam tunc vidi, nullus imaginatione aſſequi poteſt, qui eam non eſt expertus. Exinde pudet animam meam, ſe demittere ad ullam rem terrenam. Ignis amoris divini, quem in duarum horarum Ectaſi concepi, abſumpſit in me totum veterem hominem cum omnibus ejus defectibus, tepore, & miſeriis; contigit mihi, ut Phœnici, qui ex ſuis cineribus reſurgit novus. Ita etiam anima in longe aliam immutatur, induendo aliam cupiditatem, & aliam fortitudinem, ita ut non videatur eſſe eadem. Semel, cum metuerem, meas viſiones eſſe meras illuſiones, Deus mihi apparuit dicens; omnia ea eventura, quæ peterem, ut etiam revera illud evenit, quod tunc petii. Dixit inſuper, ut attenderem ad quotidiana amoris in me incrementa; exinde enim me cognituram, quod viſiones non ſint à dœmone; non præſumi debere, quod ipſe in animabus ſervorum ſuorum tantum locum permitteret diabolo; & quod iſte non poſſit dare tantam claritatem intellectus & tantam quietem animi. In L. de fundationibus Monaſteriorum C. 8. ait: Non examinabo hìc, quandonam revelationes ſint à Deo; id enim ſufficienter innoteſcit ex ingentibus lucris, quæ relinquuntur in animabus. Cum ſemel Confeſſarius quidam mihi narraret de apparitionibus B. Virginis, alicui ſuarum pœnitentium factis, in quibus & varia prædicebantur, quorum aliqua eveniebant; unde & cætera omnia indubitato credebantur, reſpondi, exſpectandum adhuc aliquamdiu eſſe, an prophetiæ ceteræ evenirent, & quos relinquerent effectus; examinandumque, quam vitam illa perſona duceret. Tandem deprehenſum eſt, fuiſſe meras nugas. Itaque & ipſa perſona, cui fiunt revelationes, aliquamdiu expectet, antequam eas aperiat, ne contra ſuam intentionem ipſum etiam Confeſſarium decipiat. In L. de Manſionibus ſeu Arce animæ Manſ. 5. C. 1. ait: Quando

Deus

Deus apparet, tam profundè ſemetipſum in animam imprimit, ut dubitare non poſſit, Deum in ſe fuiſſe, & ſe in Deo. Et hæc veritas tam tenaciter inhæret, ut poſt multos annos ejus non poſſit obliviſci dari. Ibid Manſ. 6. C. 2. Non poteſt ille ſenſus amoris provenire ex naturali affectione aut melancholia, aut illuſione dœmonis. Facile enim agnoſci poteſt, eam affectionem provenire ex loco, ubi habitat Dominus incommutabilis. Dein effectus non ſunt tales, quales eſſe ſolent in aliis devotionibus, in quibus ob abundantiam dulcedinis abſorbentem relinquitur facultas dubitandi; hìc verò ſenſus non abſorbentur, & nihilominus ſuavem illam pœnam amoris conantis ſe diffundere nec poſſunt augere nec minuere. Si quis quærat, cur hìc ſit tanta ſecuritas, & major quàm in aliis, cauſam eſſe cenſeo, quia inprimis dœmon nunquam poterit dare tam ſuavem pœnam amoris, ut eſt iſta. Poterit quidem dare ſuavem aliquam dulcedinem & voluptatem, quæ videatur eſſe ſpiritualis, ſed ut tantam pœnam conjungat cum tanta quiete animi, facere non poterit. Nam ejus poteſtas ſe tantum extendit ad ſenſus materiales, in quibus ſi commovetur dulcedo, non eſt conjuncta cum tanta pace & tranquillitate, ſeu quiete. Secundò, quia hic ſuavis turbo venit ex alia regione, ubi nullum habet imperium. Tertiò, quia relinquit tantam utilitatem in anima, videlicet reſolutiones patiendi & magnas adverſitates perferendi amore Dei; & ſe ſeparandi à terrenis gaudiis ac negotiis, & ſocietate mundanorum. Quod in his non intercedat illuſio, ex eo liquet, quia ſi quis alio tempore conetur ſimilia percipere, id efficere non poterit; maximè cum tunc animo adimatur facultas dubitandi de hoc. Et ſi relinquitur in animo dubium, ſciat quivis, eoipſo non eſſe verum impulſum numinis, quia tam clarè ſentitur, ac ſi auribus magnam vocem audiremus. Neque dici poteſt, hoc provenire à melancholia; nam iſta ſua artefacta ludit in phantaſia, illa verò contingunt in intima partæ animæ. Poteſt quidem eſſe, quod in hoc errem; quamdiu autem mihi

Digitized by Google

non affertur à quopiam intelligente alia ratio, inſiſtam ſemper huic opinioni Ibid. Manſ. 6. C. 3. ait: Sive hæ allocutiones proveniant à parte interiore animæ, ſive ab externo, non prohibet, quin poſſint eſſe à Deo. Certiſſima omnium ſigna ſunt iſta: Primum & certiſſimum ſignum eſt magna efficacia talium verborum. v. g. Si anima ſit conſtituta in magnis anxietatibus, timoribus, curis, & inquietudinibus, tenebris, ariditatibus, & ſpiritus unico verbo dicat: *Non turberis*, vel, *non timeas*, aut, *non ſis ſollicita*, evaneſcunt in momento omnes anxietates, timores, curæ, immo & dubia de veritate apparitionis. Secundum ſignum eſt magna quies relicta in anima cum devota & tranquilla recollectione animi, & bona diſpoſitione ad laudem Dei. Tertium ſignum eſt, quod talia verba etiam poſt longum tempus non excidunt memoria, ut ſolent excidere alia verba, quæ audimus ab hominibus quantumvis magnæ authoritatis; nam quamvis interdum in intellectu oriatur aliqualis dubitatio de rebus, quæ videntur eſſe impoſſibiles, utrum ſint futuræ vel non, & inſuper intellectus aliquantum vacillet, remanet tamen in anima tanta ſecuritas, ut non ſinat ſe abſterreri, etiamſi difficultates perſeverent pluribus annis. Quando autem hæ allocutiones proveniunt ab imaginatione, non reperiuntur hi effectus. Sed qui magnam experientiam habet circa allocutiones divinas, non poteſt meo judicio in his errare, quando verò concurrunt enumerata prius ſigna, ſatis tutò credi poteſt, viſionem provenire à Deo, ita tamen, ut ſi revelentur illi res magni momenti, mandandæ executioni, aut concernentes proximum, nihil aggrediatur ſine abrobatione Confeſſarii verè docti & pii, etiamſi ipſi videatur certiſſimum, revelationem eſſe à Deo. Alius modus allocutionis divinæ eſt intellectualis, quando anima audit verba in intima parte animæ; ibi tam ex modo allocutionis, quàm ex verbis clarè cognoſcit, quod dœmon eo pertingere non poſſit. Signa ſunt quia verba ſunt diſtinctiſſima, ita ut ne ſyllaba quidem deſit. Secundò, quia ſunt de rebus inopi-

opinatis de quibus nunquam cogitavimus. Tertiò, quia tunc nos habemus per modum audientis, non per modum componentis. Quartò, quia tunc unico verbo multa comprehenduntur. Quinto, quia ſimul alia comprehenduntur, quæ verbis non explicantur. Poterit quidem dœmon etiam proferre verba tam clarè ac diſtinctè, ut æquè dubitari non poſſit, ac ſi provenirent à ſpiritu veritatis, ſed eosdem effectus producere non poterit, nec tantam conferre pacem, & lucem, ſed potius inquietudinem. C. 5. Ibid. ait: Effectus, quem in anima talis viſio producit, nemo ſatis æſtimare poterit, niſi qui illum expertus fuerit. Ex hoc ſatis innoteſcit, eam non provenire à dœmonè; hic enim non poſſet talia objecta proponere, ex quibus in anima relinquitur pax, quies, & profectus in bono; dein ſequentes tres effectus & quidem in ſummo gradu; primo agnitio magnitudinis ac excellentiæ divinæ; quia quò plura pertinentia ad Deum videmus, eo perfectius illam agnoſcimus. Secundò agnitio ſuiipſius & humilitas, videndo, quod res tam contemptibilis creatorem tantorum mirabilium offendere auſa ſit, & illum vel intueri audeat. Tertiò, quod omnia terrene valde contemptibilia reputet exceptis iis, quæ ad cultum divinum ſervire poſſunt. Ibidem C. 6. Rurſus deſcribens effectus veræ Ectaſis ait: Ex ejusmodi gratiis in anima naſcitur ingens deſiderium fruendi authore tantorum donorum, ita ut præ deſiderio diſſolvèndi vitam jam agat in pœna quantumvis ſuavi. Hinc ſolet cum lachrimis precari Deum, ut eam educat ex hac lachrimarum valle; omnia eam tœdio afficiunt, quæcunque in iſta videt. Quando ſola eſt, lenitur aliquando dolor; redit tamen citò, & ſi non redeat, dolet ex hoc ipſo. Verbò omnia quæ idonea ſunt inflammando amori, etiam media ſunt avolandi ad Deum. Inde frequentes Ectaſes, etiam in locis publicis; inde murmura, & perſecutiones; inde metus, hunc ipſis quandoque augentibus Confeſſariis. Quamvis enim in magna ſecuritate videatur eſſe conſtituta, quando converſatur ſola cum

Deo;

Digitized by Google

Deo; timet tamen, ne illudatur à dœmone. Ejusmodi animæ Deus etiam confert ingens deſiderium, cum nec in minimo offendendi, immo nec ullam imperfectionem committendi, ſi foret poſſibile; hinc vellet fugere ſocietatem hominum & invidet Eremitis in deſerto, ex altera verò parte vellet in mundo juvare ad ſalutem animarum ſaltem unicæ, dolet ob conditionem ſexûs, quod hoc præſtare non poſſit, invidetque quibus id licet. Veræ itaque Ectaſes ſine dubio cauſant hos effectus non enim conſiſtunt in deſideriis tranſeuntibus, ſed conſtanter permanentibus, & oblata occaſione operantibus, ex quo proin colligitur, eas non fuiſſe niſi vere divinas, neque quod anima nihilominus volente Deo humiliare ejus ſuperbiam poſſit relinqui in ariditate, timore, & conturbatione; ex hoc ipſo enim ingeneratur animæ cognitio ſui nihili, & miſericordiæ divinæ. Communiter tamen anima eſt in diſpoſitione priore. Interdum cum præfato deſiderio ſe uniendi cum Deo ſolet etiam infundi inexplicabilis jubilus ac gaudium, quo incitatur ad laudandum Deum; tunc nullo modo dubitat, ſe eſſe in ſtatu ſecuro; & meo judicio id merito; nam tale gaudium in intima parte animæ conjunctum cum tanta pace & incitamento ad laudes divinas eſt impoſſibile cauſari à dœmone. Ibidem C. 8. loquens de ſeipſa, tanquam de alia perſona, narrat, quod longo tempore per viſionem intellectualem viderit Chriſtum quaſi præſentem ac ſuo lateri cohærentem. Oculis corporeis, inquit, nihil viderat, intelligebat tamen certiſſimè, Chriſtum eſſe, ita ut dubitare non potuerit, præſertim, quando Chriſtus ad diſcutiendos timores illi à Confeſſariis proptera incuſſos dicebat: *Nolo timere, ego ſum.* His verbis ita confortabatur, ut nullatenus potuerit dubitare. Exinde etiam incitabatur ad perpetuam memoriam Dei, eò quod ſemper ſibi viſum ſit, Deum in ſe reſpicere; & quia advertebat, ſemper Chriſtum adeſſe ſuo dextro lateri, non quidem modo ſenſibus perceptibili, ſed ſubtiliori, qui explicari nequit, eoipſo tamen certiori; in illo enim

modo

Digitized by Google

ſi Sancta ita locuta eſt de omnibus ſuis viſionibus, inter quas reperiuntur & falſæ.

Undecimò. S. Eliſabetha veritatem ſuarum viſionum nullis probat miraculis, aut aliis indiciis characteriſticis; ſed econtrario potius in ea concurrunt eæ cauſæ & circumſtantiæ, quæ ſolent cauſare illuſiones phantaſiæ. Cur ergo etiam cum comminatione exigit indubitatam fidem? P. Mallebranche in ſuo Tractatu de inquirenda veritate L. 2. C. 6. explicat, quomodo imaginatio quarundam mulierculari illudatur, quæ putant ſe eſſe ſagas, ſeque transferri in conventus ſagarum nocturnos. Sic habet: Paſtor ſeu opilio in ovili narrat poſt cœnam coram uxore & liberis, quæ geſta fuerunt in conventu magorum; cum autem ipſius imaginatio vaporibus vini ſatis jam æſtuet, & ſe multoties imaginario huic conventui interfuiſſe autumat, de eo energicè & vividè loquitur. Ingenita paſtori eloquentia cum apta totius familiæ diſpoſitione ad rem adeo novam & terribilem accipiendam conjuncta ingentia ſine dubio edere debet veſtigia in imaginationibus debilibus, nec fieri poteſt quin mulier & tenelli liberi his auditis obſtupeſcant, toti occupentur ac convincantur. Maritus eſt & parens, qui ea narrat, quæ ipſe vidit & fecit. A ſuis amatur & colitur; cur ipſi fidem non adhiberent? idem per multos dies repetit paſtor. Veſtigia imaginationis matris & liberorum magis & magis creſcunt. Iis aſſuefacti metuque excuſſo convictio remanet; ac ipſos denique Conventum adeundi, remque ſuis oculis uſurpandi inceſſit cupido; ſeſe ungunt; dein compoſitis in lecto membris iſta cordis diſpoſitione ipſorum imaginatio efferveſcit; veſtigia ipſorum cerebro à paſtore impreſſa ſatis adaperiuntur, ut per ſomnum omnes ceremoniæ magicæ ſibi deſcriptæ motus tanquam præſentes & extrinſecus excitatos judicent. Poſtquam expergefacti ſurrexerunt ſeſe mutuo interrogant, ac ſibi mutuo quid viderint narrant. Hoc modo veſtigia viſionis confirmant, ac qui inter eos imaginatione pollet fortiori, intra paucas noctes imaginariam conven-

Digitized by Google

tûs hiſtoriam conflat. Hoc pacto paſtor peritos fecit veneficos, qui longè plures aliquando inſtituent, ſi imaginatione forti & vivida præditi ab ejusmodi fabulis narrandis præ timore non terreantur. Nemo eſt, qui neſciat fabulas lemurum, & ſpectrorum ita terrere infantes, ut ſoli & in tenebris manere non poſſint. Tunc enim cum cerebrum nullis afficiatur veſtigiis à parte objectorum præſentium, veſtigium ipſorum cerebro fabulæ ope impreſſum de integro aperitur, nec raro adeo vehementer, ut ſpectrum deſcriptum ſibi adeſſe judicent. Ejusmodi autem hiſtoriæ ipſis non obducuntur niſi tanquam fabulæ. Qui illis narrant eum non præſeferunt externum habitum, qui in veris hiſtoriis narrandis geri ſolet; immo narratio ſæpe lanquida & frigida eſt. Non mirum igitur eſt, quod qui ſe conventui intereſſe credit, quique ideo rem confidenter ac vividè narrat, nonnullos ſibi maximè addictos adeo facile perſuadeat circa omnes quas deſcribit circumſtantias, & veſtigia ſuis ſimilia in ipſos transmittat. Non raro contingit, ut per quietem nonnulli ſomnia habeant adeo vivida, ut expergefacti illorum exactè recordentur, quanquam ſomnium illud non verſetur circa terribilia. Non difficili ergo negotio poſſunt ſibi aliqui perſuadere ſe conventui interfuiſſe; ad id enim ſatis eſt, ſi cerebrum veſtigia per ſomnum facta conſervet. Nec obſtat, quod ſomnia noſtra pro rebus actu exiſtentibus non habeamus; id enim fit, quia ſomnia illa non poſſumus colligare cum rebus inter vigilandum agitatis; hinc enim mera eſſe ſomnia comperimus. Venefici autem imaginarii hoc Criterio judicare non poſſunt, an ipſorum conventus ſit merum ſomnium. Conventus enim veneficorum nunquam habetur niſi noctu, & quæ in conventu agitantur, nullo poſſunt colligari vinculo cum cæteris diei actionibus. Moraliter igitur impoſſibile eſt, ut hoc pacto ab errore expediantur. Nec etiam neceſſe eſt, ut quæ venefici imaginarii per conventum vidiſſe putant inter ſe connectantur ordine quodam naturali; eò enim majorem realitatem habere creduntur, quo

Digitized by Google

quo magis habent abſurditatis & confuſionis. Sufficit igitur ad eos decipiendos, ut ideæ rerum in conventu geſtarum ſint vividæ & terrificæ, quod neceſſario continget, quia ibi nova, inſolentia, & inuſitata prorſus agitari creduntur. Ita P. Mallebranche addens dari quidem veros veneficos, ſed raros. Non multum abſimile exemplum refert P. Joannes Nider in ſuo L. de Viſionibus L. 2. C. 4. ubi ſic habet: Recitabo exemplum ad intelligendum, quomodo per ſomnia adeo deludantur plurimi, ut jam evigilantes omnino ſe exiſtiment in veritate vidiſſe, quod ſolo ſenſu apprehenderunt interiori. Præceptore enim meo referente audivi, quod Pater quidam noſtri Ordinis (S. Dominici) villam quandam intrarit, ubi fœminam quandam invenit dementatam adeo, ut nocturno tempore ſe cum Diana & aliis fœminis transferri crederet per aëra. Cui cum Pater perfidiam verbis conaretur expellere ſalubribus, pertinax iſta experientiæ ſe plus credere affirmavit. Cui Pater: Sines ergo me eſſe præſentem, cum proximè recedes. Reſpondit iſta: Ita placet; & me recedere videbis præſentibus, ſi placet, teſtibus idoneis. Ut igitur deliram animarum Zelator convinceret, adveniente die receſſus, quem vetula præfixerat, affuit Pater cum fide dignis hominibus. At illa Cubellam, in qua paſta formari ſolet, ſupra ſcamnum poſitam intravit, & ſedere ibi cœpit, applicatisque verbis maleficis & unguento reclinato capite obdormivit. Statimque opere dœmonis ſomnia de Domina venere, & de aliis ſuperſtitionibus tam fortia habuit, ut in jubilo quodam voce ſubmiſſa clamitaret. Et in his plauſibus motis manibus Cubellam, cui inſidebat, nimis movit, quæ de alto ſcamno ruens vetulæ ſubjacentis caput non modicum contrivit. Et ita in terra jacentem, nec de loco motam Pater allocutus jam vigilantem: Ubi quæſo es? Num cum Diana fuiſti, quæ teſtimonio præſentium nunquam de Cubella receſſiſti? Ex his igitur geſtis, & mediantibus verbis ſalutiferis animum ad ſui erroris deteſtationem deduxit.

Jam, licet maximum ſit diſcrimen inter viſiones imaginarias talium veneficarum, & inter viſiones imaginarias piarum mulierum, conveniunt tamen in hoc, quod ambæ oriantur ex impreſſione viva alicujus narrationis, & quod ambæ habeant objecta, nullo modo connexa cum actionibus ordinariis, ex quarum incohærentia falſitas viſionum demonſtrari poſſet. Et ſic etiam potuit contingere in S. Eliſabetha, ut cum familiaris fuerit habentibus viſiones v. g. S. Hildegardi. Dicamus ergo, omnes revelationes Eliſabethæ aut eſſe confictas ab Egberto S. Eliſabethæ fratre, quod mihi videtur incredibile, eò quod illæ revelationes jam fuerint celebres illo, quo S. Eliſabetha vixit ſæculo, ut patet ex Encomio Emichonis qui præfato Egberto in Abbatia ſucceſſit, & ex Epitaphio S. Eliſabethæ apud Bollandianos; aut easdem eſſe operationem phantaſiæ; quam ſi quis velit quandoque fuiſſe emotam ab angelo in ordine ad fines utiles, non repugno. Neque per hoc aliquid detractum velim virtuti S. Virginis; quia & B. Margaritha itala nihil ſuæ ſanctitati detraxit, dum teſtata eſt, ſe credere, ſuas, quas ipſamet habuit, viſiones eſſe tantum vel illuſionem phantaſiæ, aut dœmonis. Ut dictum eſt part. 1. C. 20. Idem fuit judicium Venerabilis Alexiæ Le Clerc, primæ Canoniſſæ Regularis Congregationis à B. Petro Forerio inſtitutæ, cujus vita edita eſt idiomate Gallico, & Germanico, quæ & ipſa ſuas viſiones pro ſolo luſu phantaſiæ haberi voluit.

Num.

Digitized by Google

Num. X.

De Revelationibus B. Angelæ de Fulgineo.

IN Revelationibus B. Angelæ occurrunt ſequentia difficilia.

Primò. N. 36. ait: Video, quod dœmones ita animam meam ſuſpendunt, quod ſicut ſuſpenſus non habet aliquid ſuſtentamenti, ita animæ non videtur remanere ſuſtentamentum, & omnes virtutes animæ ſubvertuntur ſciente & aſpiciente anima mea; & quando anima mea videt ſubverti omnes virtutes & diſcedere, & quod non poteſt ſe opponere, eſt tantus dolor animæ, quod vix poſſum plorare ob deſperatum dolorem.

Secundò. N. 38. Quandoque ſum in tenebra horribiliſſima dœmonum, ubi videtur omnino deeſſe omnis ſpes boni, & eſt illa tenebra horribilis, & ſuſcitantur vitia in corpore, quæ cognoſco intus in anima eſſe mortua. - Et anima videt, quod eſt ei ablata omnis potentia, quamvis non conſentiat vitiis; non tamen habet poteſtatem omnino reſiſtendi vitiis - & eſt quædam virtus, quæ datur mihi à Deo manifeſtè contra præfatum vitium, & virtus prævalet ſemper - vitium eſt tam magnum, quod quando prædicta virtus eſt mihi abſcondita, & videtur mihi, quod me dimiſerit, non eſt res, quæ me poſſet tenere, nec pro verecundia, nec pro pœna aliqua, quin ſtatim ruerem in peccatum. Tunc tamen ſupervenit illa virtus, & virtuosè me liberat, ita quod nec ego ipſa poſſem peccare pro omnibus bonis & malis iſtius mundi. Et iſtos labores ſuſtinui per duos annos, & plus.

Tertiò. N. 65. Una vice elevata fuit anima, & videbat Dei potentiam inenarrabilem, & videbat Dei voluntatem & juſtitiam; & fuit anima extracta de illa tenebra, in qua prius erat; in illa enim tenebra ego jacebam in terra, ſed in iſta maxima illuminatione ſteti in pedibus in ſummitate digitorum groſſorum pedum, & eram in tanta agilitate corporis, & renovatione, quod nunquam tantam habueram.

Quartò. N. 70. Videbam in me duas partes, ſicut ſi facta fuiſſet in me una ſtrata, & ex una parte videbam amorem, & omne bonum, quod erat à Deo, & non à me; & in alia parte videbam me ſiccam, & quod à me non erat aliquod bonum; & per hoc videbam, quod non eram ego, quæ amabam, quantumcunque videbam me in amore, ſed illud erat ſolummodo à Deo - & poſtquam remaneo ab illo amore, remaneo tota contenta, tota angelica, quod diligo bufones, & etiam dœmones, & quidquid video fieri, etiam ipſum peccatum, quando video ab aliis fieri, non diſplicet mihi, credens, quod Deus juſtè permittat fieri.

Quintò. N. 76. Video Deum hominem, & trahit animam meam cum tanta manſuetudine, ut dicat aliquando, tu es ego, & ego ſum tu.

Sextò. N. 87. Dum eram in oratione, dicta mihi ſunt verba placibilia, & dixit ita: Filia mea, dulcis mihi multo plus, quàm ego tibi - Deus ſuum amorem repoſuit in te, plus quàm in fœmina civitatis iſtius; ipſe delectatur in te, & in conſocia tua; & ſtudete, quia vita veſtra ſit lumen omnium, qui volunt ad illud reſpicere; illis verò, qui non reſpicient, erit forte judicium & durum; & comprehendebat anima mea hujuſmodi judicium crudele plus litteratorum, quàm laicorum, quia deſpiciunt iſta divina, & cognoſcunt ea per Scripturas.

Septi-

Digitized by Google

Septimò. N. 89. DEus reſpondit; Ecce ungo te uno unquento Sirocoſo, (MS. Siricoſo), quo unctus fuit unus ſanctus, qui fuit vocatus S. Cyricus (MS. Siricus) & alii multi ſancti.

Octavò. N. 99. Illi qui ſunt amatores & ſequaces illius paupertatis, doloris, & deſpectus mei, quæ ego (Chriſtus) ſemper habui, illi ſunt filii mei legitimi & electi, & quorum mens eſt fixa in iſta paſſione & morte, & alii non ſunt filii.

Nonò. N. 105. Ego nudus ſicut de Virgine natus ſum, frigori, vento, aëri, omnium hominum & fœminarum aſpectui in alto, ut melius viderer, & magis irriderer, & verecundiam paterer, expoſitus ſum & expanſus (in Cruce)

Decimò. N. 109. Quia Maria Magdalena, quæ erat infirma, hæc habuit (mihi compaſſa eſt) & deſiderabat liberari, ideo fuit ab omni ſua infirmitate liberata, & quicunque hæc haberet, poſſet invenire ſanitatem, ſicut ipſa. - Item crucifixus mihi dicebat; Qui recedunt de regno meo per peccatum, & ſe faciunt filios diaboli, quando redeunt ad patrem, tanta eſt lætitia, quam pater habet de reditu eorum, quod ſupernaturalem gratiam dat eis, quam non dat illis, qui fuerunt virgines.

Undecimò. N. 118. Quando communico, hoſtia extenditur in ore, & non habet ſaporem panis, nec carnis iſtius, quam comedimus, ſed alium ſaporem carnis, ſed ſaporis ſapidiſſimi, quem neſcio aſſimilare alicui de mundo; & non eſt dura hoſtia, ſicut prius, nec deſcendit per fruſtula, ſicut conſuevit, ſed integrè cum tanta ſuavitate, quod libentiſſimè eam tenerem in ore cum magna mora; & ſic deſcendit integrè cum illo ſapore carnis incognito. Quando autem deſcendit, dat mihi unum ſentimentum magnum placabile. Diſcernitur autem extra in corpore, ita quod facit in me tremere vehementiſſime.

Duode-

Duodecimò. N. 119. Nunc autem, quando facio mihi ſignum crucis, & pono manum in capite, quando dico: *In nomine Patris*, nihil novi ſentio; quando verò pono manum ſuper cor, dicendo: *Et filii*, ſtatim ſentio mihi unum amorem.

Decimotertiò. N. 123. Videbam B. Virginem in gloria, & Chriſtum - & duravit iſta viſio per tres dies continuè, & non impediebar à comeſtione, quæ erat multum pauca; continuè enim corpore lanquido jacebam, & nihil loquebar; non impediebar etiam ab aliqua alia re. NB. Hunc modum pro illuſione habet S. Thereſia V. Part. 1. C. 15. R. 2.

Decimoquartò. N. 125. Ipſa Domina noſtra quaſi ab itinere fatigata ſedit, & *tradidit* puerum JEſum inter brachia mea. Dum igitur ſic ſtarem, ſubito puer remanſit in brachiis totus nudus, & aperuit atque levavit oculos.

Jam ſi hæ viſiones examinentur juxta Regulas ab ipſa B. Angela poſitas, apparebunt, ſaltem aliquæ earum, dubiæ, quia non habent illa certa ſigna veræ viſionis, quæ ipſa B. Angela ponit, & quæ in multis aliis ejus apparitionibus occurunt. C. XI. N. 144. 145. & 146. ponit ſequentes Regulas. *Sciendum, quod venit quandoque DEUS in animam, & ponit in anima unum ignem, unum amorem, unam ſuavitatem alias inconſuetam, in qua multum delectatur, & gaudet, & credit, quod hoc ſit à DEO ibi præſentialiter operante. Tamen hoc non eſt certum. Item cognoſcit anima DEUM eſſe in ea, quia quamvis non videat ipſum eſſe in anima, videt tamen gratiam ſuam eſſe in anima, in qua multum delectatur, & tamen adhuc non eſt certum. Item cognoſcit, quod DEUS venit ad eam, quia DEUS ei loquitur verba dulciſſima, in quibus verbis anima multum delectatur, & ſentit eum ſentimento valde delectabili. Sed adhuc remanet aliquod dubium, quamvis ſit parvum. Adhuc tamen anima perfectè non eſt certa, ſi DEUS eſt in anima, quia tales locu-*

Digitized by Google

locutiones etiam cum ſentimentis poſſunt fieri ab alio ſpiritu. Certificatur autem anima, quod DEus intus eſt in ea, quando eum ſentit cum tanto amore & igne divino, quod aufertur ei omnis amor animæ & corporis, & cognoſcit, quæ nunquam cognovit ab aliquo mortali - in iſto ſentimento concordat anima in omnibus cum DEO, & concordant cum anima omnia membra corporis. Item quandoque videt DEUM ſine forma corporali in ſe, & videt eum clarius, quàm poſſit homo mortalis videre alium hominem mortalem; oculi enim animæ vident unam plenitudinem ſpiritualem, non corporalem, de qua non poſſum loqui, quia deficiunt verba, & imaginatio. Adhuc cognoſcit anima, quod DEUS eſt in ea ſine dubio multis modis, de quibus dicamus duos. Unus eſt una unctio quæ ita ſubito renovat animam, & omnia corporis membra reddit manſueta & concordantia cum anima, quod non poteſt tangi vel lædi ab aliquo, quo turbari poſſit anima in modico. Iſtud enim non poſſet facere aliquis ſanctus de paradiſo, nec aliquis angelus de paradiſo. Alius modus eſt una amplexatio, quam facit DEUS animæ rationali, quia nunquam aliqua perſona cum tanto amore amplexari poteſt aliam, ſicut DEUS. Hucusque B. Angela. Sed licet fatendum, plura in his revelationibus videri difficilia, ac referenda ad illuſiones phantaſiæ; malim tamen credere, aliquas harum viſionum non fortuitò ex vario concurſu ſpecierum in phantaſia contigiſſe, ſed ex ſpeciali ordinatione Dei, permittentis diabolo, ut commoveret ſpecies & potentias, ſicque famulam ſuam tentaret afflictione peſſima, ac tentatione difficillima. Qui norunt Syſtema judiciorum divinorum præſtabilitum, norunt etiam, DEum in conteſtationem de æſtimatione & amore ſui tanquam ſummi boni exigere ſacrificium generale bonorum aliorum creatorum omnium, divitiarum, voluptatum, honorum, quietis, ſolatii. &c. Neque eum agnoſcere majorem cultum ſui, quàm hoc ſacrificium generale omnium; Cum igitur videret, hoc ſacrificium eſſe omnium perfectiſſimum per

Digitized by Google

Crucem ſui filii, utpote in qua voluptas, honor, ſolatium, & vita immolantur Deo, decrevit menſuram æternæ gloriæ, menſuram ſuæ amicitiæ & familiaritatis, & menſuram ſanctitatis alligare æſtimationi, amori, & actuali tolerantiæ crucis etiam in aliis electis. Hinc illis, qui digni ſunt, dividit varia genera crucum. In aliquibus vult hoc ſacrificium compleri per tyrannorum perſecutiones, in aliis per oppreſſiones, paupertatem, calumnias, morbos, & mille miſeriarum exteriorum genera. In nonnullis verò, quos prudens gubernatio mundi non ſuadet opprimi his externis afflictionibus, ordinat afflictiones internas, quas ſucceſſivè auget, & recipientium diſpoſitioni accommodat; inter has verò ſunt ſcrupuloſitas, facillimè ad magnum timorem DEI conſequens; certamina cum vitiis; exercitationes arduæ in virtutibus; triſtitiæ; tœdia; timores; afflictiones occultæ animi ex variis adverſitatibus v. g. dedecore, opprobriis, calumniis. Quod ſi ab exercitatis ſuperata fuerint & iſta, diſponit deſolationes internas omnimodas, quibus nihil eſt difficilius; ex hoc fine permittit curſum phantaſticis imaginationibus, in eam horridam abyſſum tenebrarum deducentibus; tribuit & diabolo licentiam commovendi in ejuſmodi triſtes repræſentationes phantaſiam, quæ, præſertim in ſubjectis naturâ vel timiditatis habitu diſpoſitis, accepto ſemel filo per ſe apta eſt ad ſibi texenda talia retia. In talibus repræſentationibus vel à diabolo vel à continuatione phantaſiæ contextis permittit Deus, ut animæ dilectæ nulla alia miniſterio angelorum vel hominum obveniat lux, quàm lux fidei, qua ſperant in Deum conſtantiæ fidelis remuneratorem. Finis autem Dei eſt, tum ut hoc pœnarum genere tanquam purgatorio antequam admittantur in cœlum, ut ita dicam ſecretioris amicitiæ & familiaritatis, purgentur; tum ut per experientiam, adminiculantibus ſimul continuis illuſtrationibus divinis, diſcant amorem ſeparare ab omni bono creato, etiam ſolatio interno; ut illis pedetentim ſapere incipiat ſacrificium generale crucis, ut nullum prœmium creatum exter-

Digitized by Google

externum vel internum appetant aut reſpiciant, niſi Deum, utque ad imitationem Chriſti hoc grande ſacrificium offerant pro aliis, ac ipſis perſecutoribus, nullo alio ſperato aut intento prœmio, niſi, ut honorificetur & à multis poſſideatur DEUS. In talibus animabus non dubito poni à dœmonibus veras pœnas, ac torturas animorum purgatorii vel inferni, conſiſtentes in inexplicabili doloris & cruciatus genere, quod ſoli agnoſcunt, qui experti ſunt. Hoc ſuppoſito non debent omnia ejusmodi referri ad illuſiones nudas phantaſiæ, vel dœmonis, ſed ad operationem Dei, & angelorum commoventium phantaſiam, aut ut commoveatur in multas tetras ac falſas repræſentationes, permittentium, & in bonos præfatos fines dirigentium.

Num. XI.

De Revelationibus B. Veronicæ de Binasco.

DE his revelationibus Bollandus in Annotationibus ad ejus vitam N. 4. ait: *Multa in extaſi vidiſſe memoratur Veronica, quæ viri docti reſpuunt ut ſuſpecta falſitatis circa vitæ Chriſti myſteria.* Speciminis loco ponam harum viſionum aliquas, quarum nonnullæ videntur referendæ ad illuſionem ſaltem phantaſiæ, quamvis earum aliquæ quoad initium & finem, quoad excitationem videlicet phantaſiæ in ſuum opus, & directionem ejusdem in bonos motus animi, mihi videantur eſſe divinæ.

Digitized by Google

L. 1. C. 11. N. 18. Chriſtus ait: Scito filia mea; - celebritates Sanctorum apud cœleſtem Hieruſalem decrevi toto labentis unius anni ſpatio te inſpecturam.

L. 5. C. 1. Calendis Maij Veronicæ mens angelo duce ad ſydereas rapitur manſiones, ibi ſupernæ Jeruſalem cives per Choros ſectos hoc ordine procedere vidit; duo viri innumeram turbam præibant, veſtibus amicti ſole fulgentioribus, coronas capitibus geſtantes. Ad horum latera ſtabant bini angeli aureis thuribulis odorem incenſi dantes. Alios quoque duos angelos ad medium proceſſionis pariter ſtantes advertit. Viros illos innumeri Angelorum exercitus ſequebantur; poſt quos Apoſtoli, deinde Martyrum multitudo &c. &c. duo viri præeuntes ſunt Apoſtoli Jacobus & Philippus. - Poſt hæc Jacobus & Philippus inter cæteras Sedes altiùs conſcenderunt, quos ubi omnis Sanctorum turba ſigillatim venerata eſt, ſinguli abierúnt ad proprias ſedes.

Ib. C. 2. in die Inventionis S. Crucis erat locus lucis; ibi erecta ſtabat grandis Crux; radiabant in cruce lapides pretioſi ad manus humanæ quantitatem. Et Ecce Cœli Regina, Divaque Magdalena, quas Virginum exercitus comitabantur, adoraturæ Crucem veniunt; tum felix Regina prior genua flectens Crucem venerata eſt; at Crux inclinata Virgini eam oſculari cupienti facilem ſe præbuit. Idem egit Magdalena - poſt hæc univerſi Cives cœleſtes pari ritu crucem adorarunt, virginibus incipientibus. Interea adorantibus illis ſanctam Crucem duo Angeli juxta eam ſtabant & aureis thuribulis odorem incenſi diffundebant. C. 3. In die D. Monicæ ea cum filio cunctos præibat, veluti duos Apoſtolos Jacobum & Philippum præceſſiſſe diximus. Paria conſpexit S. Veronicæ mens in feſtis toto anno labentibus.

L. 1.

Digitized by Google

L. 1. C. 16. N. 24. Præcepit Chriſtus Veronicæ, ut Romam proficiſceretur, ſed *ſtatutum tempus nonnunquam mutavit.*

L. 2. C. 2. Apparuit ei B. Auguſtinus; contegebatur Cappa ſerica, veſteque purpurea. D. Auguſtinus talem veſtem in terris non geſtavit.

L. 2. C. 24. & 25. Angelus cum ea divinas horas recitat; angelicam faciem media fronte cornu parvum geſtantem inſpexit, ſtolamque collo pendentem, & alas habere, veluti moris eſt pictis Angelis. In bonis Angelis non reperiuntur aliàs apparuiſſe cornua.

L. 2. C. 26. Compoſuit S. Veronica opus præclariſſimum Angelo dictante, quod divinâ irâ à mortalium oculis creditur ablatum, Virgine adhuc vivente; futurum verò affirmavit, ut cœnobio D. Marthæ volumen ipſum Dei munere aliquando reſtitueretur. Hæc prophetia nondum impleta eſt.

L. 3. C. 1. dicitur: S. Veronicam primùm anno ætatis ſuæ quadrageſimo ſecundo incepiſſe pati extaſes, ſed nocte tantùm. Deinde cœpit eas pati etiam ſub Miſſa, & ad Communionem; ac denique ſub meditatione. Hic progreſſus facile ſequitur operationum ſucceſſionem dependentem ab applicatione phantaſiæ.

L. 3. C. 4. S. Veronica à Chriſto ad tetros inferorum carceres ducitur; vidit autem Chriſto Duce damnatorum loca plurima. Primus profunda voragine horrendus erat; dixit Dominus; hic eſt Principum ac Dominorum, qui æternis addicti fuere ſuppliciis, locus infelix. Quod ſequitur antrum, eſt nobilium. Tertius, quem conſpicis, locus eſt, ubi fœneratorum animæ cruciantur, quorum tam magnus numerus illic videbatur, quot eſſe homines in univerſo orbe minimè Veronica arbitrabatur. His proximior erat pauperum carcer, erantque cæteris pauciores. Eſt diffi-

Digitized by Google

difficile, plures eſſe fœneratores in infernò, quàm pauperes, quia paupertas eſt plurium ſcelerum mater apud plurimos, & facilius reperiuntur pauperes improbi, quàm fœneratores, quorum quilibet facit multos aut ſupponit pauperes.

L. 3. C. 7. B. Virgo ad S. Veronicam ait: Scito, mea ſanctificatione dempta (nam ego in utero matris ſanctificatà fui) me nihil à Deo unquam accepiſſe, niſi præviis laboribus animæ & corporis.

L. 3. C. 11. Chriſtus dixit: O dulcis filia mea, ſcito meæ eſſe voluntatis, ut ſingulis diebus anni unius ſinguli dœmones tibi fiant viſibiles ſub ſpeciebus crudelium animantium ac volucrum. Cujus ſermo ad unquem perfectus eſt, dœmonibus quotidie ſæva imagine virgini apparentibus; extremo denique die velut aggregato exercitu cuncti ſimul advenêre, quos intrepida virgo aſpexit.

L. 4. C. 1. In feſto Annuntiationis B. V. Angelus Veronicæ monſtravit ei Angelum Gabrielem dicens: Hic eſt Gabriel Dei nuntius, qui pro humana ſalute Incarnationem nuntiavit; hic nempe ingreſſus ad eam, legentemque virginem comperiens terruit, dixitque &c. - Scito etiam, Gabrielem omnia myſteria paſſionis & gaudii, omnemque Salvatoris vitam & mores expoſuiſſe Virgini Beatiſſimæ, antequam Chriſtum conciperet, quæ nutu Dei Evangeliſtæ conticuerunt.

L. 4. C. 2. In nocte Vigiliæ Nativitatis Dominicæ Virginem Beatiſſimam aſello inſidentem grandis alvi veluti propediem parituram inſpexit; Erat Virgo Diva ætatis teneræ, modicique aſpectus, ita ut puella videretur. Aſſiſtebat eidem Joſeph vir ejus, habens ancillam comitem, Virginis gravidæ gratia, famulumque bovem deducentem. Profectus eſt Joſeph, ut profiteretur, nomenque ſuum ſcriberetur cum Maria Virgine uxore prægnante; at

Digitized by Google

at neque ſervi, neque ancillæ nomen viſum eſt Veronicæ ab Imperatoris ſcribâ annotari - Veſpere Virginem cum Joſeph ac cæteris in Bethlehem invenit. Errabant Virgo beata ac familia Joſeph tota urbe quærentes hoſpitium, poſteaquam à loco Cæſareæ profeſſionis reverſi ſunt, nec inveniebant; tanta enim multitudo virorum ac mulierum ejuſce rei gratia eò convenerat, ut domus ſingulæ undique plenæ conſpicerentur. Quamobrem triſtior Joſeph inveniebatur. Verum ad locum deveniens tectum undique quemque nulla contingebat hominum habitatio, dixit B. Virgini: opportunum cenſeo, nos locum hunc ingredi, nocte enim obſcuriori vicos circuire amplius nos minimè decet; annuens Virgo aſino ſtatim deſcendit. Dixit autem Maria: In proximo eſt tempus pariendi. Cui Joſeph. Ibo, & auxiliatrices tibi fœminas perquiram. Subriſit Virgo. Ait verò Joſeph: ne rideas, nam talibus indigebis. Abiitque intempeſtæ noctis ſilentio. - Tum Veronica conſpexit JEſum infantem natum ex Virgine, quem altera manu tenens Virgo altera fœnum colligebat, quo lectulum infanti ſterneret. Dein velum è capite accipiens dimidium corpuſculum infantuli texit, ejuſque alteri lateri fœno hærente. Aderat minimè Joſeph, cum Virgo peperit, qui cito reverſus cum tribus fœminis locum eximio ſplendore illuſtratum reperit. Ea luce mulieres veluti territæ ingredi nequibant. At Joſeph introiens natum Infantem adoravit. Duæ mulieres idipſum egere. Tertia præ foribus procumbens clamabat; quæ audio, non credam, niſi videro; ingreſſa tandem, Virginique B. proximior effecta manum extendit, qua ſubito areſcente indoluit vehementiſſimè. At exclamantem præ dolore mulierem Angelus Domini alloquitur dicens: Pete à Virgine veniam, infantemque continge & liberaberis. Mandata perfecit mulier, & ſoſpes evaſit. JEſum in præſepio jacentem D. Virgo genua flectens, & duplices jungens palmas adoravit. Bos & aſinus anhelitibus calefaciebant, & humiliaverunt ſe veluti adorantes, & clamoribus magnis veluti laudantes. Tum Angelus

gelus Domini adveniens pluribus excelſior parvulum JEſum adoravit. Facta eſt autem cum eo multitudo Angelorum adorantium & dicentium: Gloria in excelſis Deo. - Et venerunt paſtores feſtinantes, in cœlum ſemper aſpicientes præ ſtupore. Sequebantur & illos pecora, & greges clamantes, ac ſi nova hæc admirarentur. Dum hæc agerentur, Angelus Veronicam admonuit, ut animadverteret, etiam animalia terræ, arbores omnes, lapides & elementa, ſydera quoque cœli ſigna dare lætitiæ ob honorem nati Salvatoris. Dein Angelus Veronicæ monſtravit omnia mirabilia, quæ in ortu Chriſti evenerunt. Mellifluos cœlos conſiderabat, veluti ſi nix per cuncta mundi ſpatia è cœlo deſcenderet. At alto cœlo circulum aureum intuita eſt, in cujus medio Virginem brachiis Infantulum geſtantem; Romæ olei fontem emanare, templumque quoddam dirui cœlitus inſpexit, Infantem quoque illico natum loquentem audivit, ſingula Infantuli verba intelligens; avem pariter quampiam humana verba promentem. Bollandus ad has viſiones ſequentia annotat. *Haudquaquam, quod hìc innuitur - exploratum habetur, Joſephum ac Virginem ſponſam ante hujus ſponſam profeſſos eſſe, cùm præſertim multorum Patrum teſtimonio conſtet, Chriſtum ipſum hoc cenſu fuiſſe deſcriptum. - Et quæ ſocordia fuiſſet divinæ parentis, apta lintea non præparaſſe? profecto nec in vulgari fœmina toleranda. Munda ac nitida concinnaſſe, variæ revelationes doctorumque virorum conſenſus perſuadet. De areſcente manu fœminæ idem ſcripſere nonnulli alii; quod ex apocryphis hauſtum cenſet Baronius. Plura hoc capite immo & toto libro objecta Veronicæ narrantur, quæ fidem non reperient.* Ita Bollandus.

L. 4. C. 3. In circumciſione Domini Veronica ſenſibus egreſſa ornatiſſimum templum adiit. Erat in templo altare, ante quod ſtabat Senex reverendi cujuſpiam aſpectûs; aderat quoque Vidua venerabilis, ac plerique promiſcui ſexus. Interea Infantem JEſum

JEſum quiſpiam attulit, quem Senex accepit in ulnas. Idem vir duo paria columbarum, duoque turturum Seni obtulit; enimverò Mater Maria & Joſeph quaſi triſtes JEſum procul aſpiciebant. Denique Senex infantem faſcia nudavit, acceptoque cultro lapideo pelliculam circumcidens pauxillum carnis exemit. At infantulus ejulans & clamans dolore matrem affecit.

L. 4. C. 4. Vigilia Epiphaniæ ad partes Orientis ab Angelo ducitur; vidit autem Angelum Domini Regi Provinciæ illius nuntiantem, quia natus eſt Salvator mundi, hortantemque, ad eum adorandum proficiſci. Nec mora. Ad aliam ducitur Orientis regionem, cujus Regi paria Angelus nuntiavit. Tum ad remotiorem oram profecta Veronica Angelo comitante paria ſignificari Regi Provinciæ illius per Angelum inſpectat. At Veſpere advertit Reges in unum conveniſſe - tum Dromedarios animalia grandis ſtaturæ & viſu ferocia conſcendunt. Reges magna virorum turba comitabatur. - Illuceſcente die Magos Jeroſolimis adveniſſe offendit, quibus obviavit Herodes; tum aulam componi regiam, menſas parari, ciboſque pro regia dignitate afferri juſſit. - Angelus nuntiavit Mariæ, Reges adveniſſe. Regibus ingreſſis Virgo reſedit, Infantem JEſum gremio locans linea veſte circumamictum. Infantis tibiæ nudæ videbantur, aderatque Joſeph ſervo comitatus. Antequam Reges Infantulum contingentes adorarent, ter genu flexêre, diuque ad invicem diſputarunt, quis eorum prior adoraret; denique Junior prior acceſſit pedes Infantis exoſculans, & quam capite geſtabat coronam ante pedes Infantuli ſolo reponens, quem JESUS Infans benedixit. Sic quoque egere cæteri. Vide Revel. Mariæ de Agreda contrarias.

L. 4. C. 6. Nocte ſequenti feſtum Epiphaniæ Veronica in raptu ab Angelo ducitur in domum quandam, ubi Joſeph & B. Virgo erant. Vidit autem Angelum apparentem in ſomnis

Joſeph & dicentem ; Surge. &c. Qui conſurgens ſtravit aſinum, & Virginem una cum puero ei impoſuit. Accepit pariter Joſeph tres ancillas comites, deducens bovum cum tribus aſellis, quos ſervi quidam dirigebant. Erant aſini onuſti rebus domeſticis - ingreſſu hoc comitatu nemus animalium multitudo diverſi generis advenit, qua terreri viſa eſt B. Virgo. Verùm animalibus manſueſcentibus, infantemque adorantibus omnes læti proficiſcebantur. - Sub palmæ umbra conſederunt, cujus ramum nutu infantis afferri longius inſpexit. Extemplo fons erupit, quo omnis ille comitatus ſitiens ſatis naturæ fecit; ex eadem aqua etiam hydrias, quas ſecum detulerant, impleverunt. At B. Virgo, ubi pauxillum membra ſopori dedit, vires aſſumens vas quodpiam aqua implevit, panniculoſque, quibus infantem circumvolvebat, abluit. - Cum iter proſequerentur, domum quandam ingreſſi ſunt; illam latrunculi inhabitabant, qui omnes fugère, ſæva animalium multitudine territi, arborumque tuta loca aſcendentes, uno dempto, qui omnem Societatem humaniſſimè excepit. Eos, qui fugerant, rogavit Joſeph deſcendere, & ſuum repetere hoſpitium, cui nunquam aſſenſere latrones.

L. 4. C. 7. In Dominica amiſſionis JESU. Maria & Joſeph ſtatuerunt, ut diviſim quisque puerum requireret, & venerunt eadem hora iter diei, & requirebant eum inter cognatos & notos; B. Virgo primùm adiit domum Eliſabeth Zachariæ. Eliſabeth Virgini dolenti ſe ſociam præſtitit. Iêre autem unà domum Annæ Matris B. Virginis, quæ pariter filiæ ſe comitem exhibuit. Joſeph quoque per omnia vicina diſcurrebat, ſed & affines & vicini quidam hoc idem factitabant. - . Tum Veronica ab Angelo ducitur ad templum Salomonis. Ibi B. Virgo quempiam audivit turbis dicentem: O rem miram, ut puer unicus adverſus tot legisperitos diſputare auſit, quos ita confudit, ut elinques facti videantur. At D. Mater hominem diligentius ſciſcitatur, remque plenius intelligens dixit: Hic eſt filius meus.

Tem-

Digitized by Google

Templum vero ingreſſa viderunt JEſum alto loco ceu pro tribunali ſedentem in medio Doctorum. Ubi JEſus Matrem vidit, ſurgens venerationis ſigna dedit. Dein reſidens diſputationem proſecutus eſt. Expleta diſputatione deſcendit, & ad matrem pergens venerationis ſigna exhibuit; quem Mater dulcius complexans oſculaque libans dextera ejus apprehenſa dixit &c. aſſeruit Veronica, ſingula in Diſputatione à Salvatore dicta ſe audiviſſe & intellexiſſe, quæ, ubi ex raptu rediit, mente omnino exciderunt. Sed ab aliis inter veræ revelationis ſigna traditur, quod adeo vividè & diſtinctè imprimantur, ut mente non excidant.

L. 4. C. 8. Veronica ad ripam Jordanis ducitur; Joannes Baptiſta, cum ad Salvatorem veniſſet, adoravit pronus in terram, terque renuit Salvatori manus baptizans imponere - tandem timens ac tremens imponebat aquas capiti Salvatoris, quæ per totum illius corpus defluxerunt. - Deſcendit Spiritus Sanctus in ſpecie columbæ crucem medio capite geſtantis; & vox intonuit dicens: Hic eſt filius &c. poſt patris vocem ſemper columba Chriſtum allocuta eſt, donec in cœlum evolavit. Dixit Veronica, ſe verba ſingula columbæ loquentis cum Chriſto intellexiſſe, quorum poſtea recordata non eſt.

L. 4. C. 9. Veronica rapitur in Cana Galilææ; menſam primùm JEſus manu dextera benedixit, pſallentibus cæteris, velut Religioſorum mos eſt. Ad ejus dexteram conſedit Mater beatiſſima, quam ſequebatur ſponſa; ad lævam verò ſe ſponſus poſuit. Mater JEſu albis induebatur veſtibus; ſponſus & ſponſa rubricatis. Quinque deſerviebant, inter quos architriclinus. Inter cibos erant carnes aſſæ varia arte conditæ, aderant quoque cochlearia, quibus pulmenta convivæ deſumebant. Fractio panis à Salvatore fiebat manibus, ut ferro reliqui perficiebant. - Aquam illam in vinum nigrum converſam fuiſſe Veronica teſtabatur. Alimentis

Digitized by Google

mentis è menſa ſublatis vaſa quædam afferri vidit lignea præclarè elaborata, quibus ex Saccaro delicatiora quædam compoſita ſervabantur. Tum detulere inſtrumenta quibus concentus admirabiles perſonabant, choreas quoque duxêre ſponſus & ſponſa ac multi, Salvatore & B. Virgine ſemper ſedentibus. Affirmabat Veronica, concentus, choreasque harum nuptiarum nonniſi cœleſtia ſolatia excitaſſe. Sed NB. teſte Plinio nullus tunc adhuc erat uſus Saccari, niſi in Medicina, utpote nondum inventâ Americâ, ubi copia.

L. 4. C. 10. In Quadrageſima vidit Veronica Chriſtum in deſerto, pallidum nimis ac macie poſtrema confectum; illius quoque veſtimenta attrita videbantur. Dein venit dœmon, cui forma erat inſtar Eremitæ, facie multos per annos ſe abſtinuiſſe oſtendentis; manu corallam geſtabat, gremio verò lapides, quos ubi ante Chriſtum depoſuit, dixit; Si filius Dei es. &c. - Iterum diabolus terribiliorem aſſumens formam aſſumpſit eum in montem - & dixit: Hæc omnia tibi dabo. Diabolus tunc ſupra modum terribilem ſpeciem indutus undique ignes ſpirabat; cui dixit JEſus: Vade Sathan &c. tunc reliquit eum Diabolus horribiles dans ſonitus, ita ut mons igneus effectus funditus dilabi videretur ac dirui. Dein JEſu Angelorum cœtu circumdatus in locum ductus eſt miræ pulchritudinis. Veſte præclara primùm Angeli miniſtrantes circumdederunt JESUM. Concentus dein varios prompſerunt. Menſam quoque parari, candidos afferri panes Angelico miniſterio conſpexit.

L. 4. C. 12. Feria quinta ante Dominicam Palmarum Veronicæ mens ab Angelo ducitur ad locum, ubi Chriſtum proponentem parabolam quinque talentorum vidit & audivit. Aderat concionatori turba virorum & mulierum ingens; in medio turbæ ſedebat fœmina altiori ſede locata, cujus ornatus capitis ac veſtium, oculi inſtabiles, motus capitis nunc ad lævam, nunc ad dexte-

Digitized by Google

dexteram impudicam nuntiabant; Expleta ſimilitudinis enarratione Salvator exclamans dixit: O animum criminibus onuſtum! quæ talentum Domini in terram fodiſti, talibus tantisque admisſis ſceleribus ad me libens revertere, & ego ſuſcipiam te. Tum impudicos oculos mulier in Chriſtum direxit blandius. At Chriſtus terrificas oculorum acies fœminæ objecit ea virtute, ut mulier ſede deſcendens ſolo conſederit lachrimans, & ejulans. Mox ornamenta ſingula depoſuit, quæ Martha Soror accepta ſervabat. Soluto tandem crine imo pectore dum ſuſpiria traheret, omnium qui aderant oculos in ſe convertit. Expleto ſermone Chriſtus abiit. Tum Simon leproſus Chriſtum ad prandium evocavit; cui annuens domum Simonis ingreſſus eſt. Magdalena verò ad Marthæ lares reverſa eſt. Magdalenam Veronica Angelo Duce ſequitur, inſpectatque cubiculo clauſam crimina deflentem. Martha verò Marcellâ ſuffragante ſatagebat circa frequens miniſterium, geſtiens præ dulcedine, qui ſororem ab errore converterat. Verum Magdalena intelligens Chriſtum in domo Simonis cibum ſumere accepit vas unquenti pretioſi, & domum ingreſſa Simonis unxit primo caput JESU, deinde pedes, & domus impleta eſt ex odore unquenti. Cœpit quoque Magdalena lachrimis pedes JEſu rigare, & capillis capitis ſui tergebat, atque unquento ungebat ſingula crimina, quæ per omne tempus vitæ ſuæ admiſerat voce proferens, veluti confitentium mos eſt. Aſſeruit Veronica, quæque crimina Magdalenæ audiviſſe, cum illa ad pedes Chriſti flens exponeret omnibus adjectis circumſtantiis, quæ delicta aut graviora efficere ſolent, aut in diverſum genus trahere. Dœmon in deſerto cum Corolla, & Magdalena publicè converſa antequam intraret domum Simonis, ibique accuratè confitens, mira ſunt, præterea hic confunduntur unctio ultima, & prima converſio Magdalenæ.

Digitized by Google

L. 4. C. 14. Nocte Cœnæ Domini Veronica perducitur Bethaniam in domo Marthæ; poſitam verò menſam conſpexit in cœnaculo quopiam, ſedentesque Chriſtum ac B. Virginem cæteris excluſis, quod ſecretius eſſent collocuturi. Sermo erat inter Matrem & Natum de futura filii paſſione. - Videre ſibi videbatur Veronica D. Matrem ſæpius ſolo dilabentem, ſæva cum tormenta intelligeret, quæ ſe paſſurum filius exponebat. Totam noctem talibus intenti colloquiis Mater ac filius tranſegêre, neque cibi quidquam deſumpſerunt. Cum è menſa tandem ſurrexiſſent, conſpicatur Veronica Chriſtum ante Matrem genua flectentem, maternamque benedictionem rogantem; at humilis Mater pariter genu flexo idem obſecrat à Deo donari - & C. 15. Poſtea Veronicæ ſpiritus ad Chriſtum Hieruſalem proficiſcentem venit. Erat autem tunc cum JEſu ſocia multitudo diſcipulorum, quamvis ex domo Marthæ ſolum Chriſtum receſſiſſe Veronica viderit. Ingreſſus Salvator Hieruſalem inter cætera mandavit dicens: Euntes parate nobis, ut manducemus Paſcha; introeuntibus autem vobis civitatem occurret vobis homo &c. - Poſtquam lavit pedes eorum; cum recubuiſſet, accepit panem & benedixit &c. deinde dixit: Amen, Amen dico vobis, quia unus ex vobis tradet me. - Judæi in Chriſtum irruunt, JEſum ad terram primò dejecerunt, pugnis faciem ejus, omneque corpus percutientes. Tum catenam ferream collo divino impoſuerunt; enſium deinde parte, qua manu tenetur, percutiebant JEſum, dum traheretur, ac lapidibus atterebant, donec ad torrentem Cedron venerunt, ubi præcipitem illum in torrentem dantes catenâ diu traxêre. Obſervo, JEſum jam ingreſſum Jeroſolymam non amplius potuiſſe dicere diſcipulis: *Ingredientibus vobis occurret* &c.

L. 4. C. 15. Aſſeruit S. Veronica, virum, qui in faciem percuſſit Chriſtum, manum habuiſſe tectam Chirotheca ferrea, fuiſſeque eam percuſſionem graviorem, ita ut ſanguis ſtillaret, deſcenderetque in barbam ac collum Salvatoris - ajebat Veronica Chri-

Digitized by Google

Chriſtum prætorium exiviſſe Pilati, crucemque bajulaſſe ea diei horâ, qua ad Primæ perſolvendas laudes convenire Sorores conſueverunt. - Cum Chriſtus crucem ſibi bajulans iter per urbis vicos proſequeretur, ſatagebat Virgo & Mater filium contingere, ſed à turba repellebatur. Dixit verò Maria ad Joannem; Quæſo, qui vicos urbis noſti, per devium aliquod compendio me deducito, quo tandem natum meum contingere queam. Juſſa capeſſens Joannes ſociam multitudinem ad bivium deducit, ubi lapis ſtabat erectus, eò tranſiens Salvator Matrem animadvertit obviam ſibi prodeuntem, dixitque: Meos, o Mater, adjunxiſti dolores. In mutuos verò prorumpentes complexus pro verbis lachrimas uterque dederunt. Erat autem tanta utriusqne ubertas, ut maternæ lachrimæ Nati lachrimis miſcerentur. Interea Crux Salvatoris humero hærens ſolo dilabitur, quam homo quiſpiam ſuſcipiens tenuit, donec à Matris amplexibus Chriſtus eriperetur. Cogentibus autem miniſtris tartareis Chriſtum iter proſequi homo ille nequam crucem humeris cœleſtibus impoſuit. Verùm cum Salvator tardiusculè incederet, Simoni crucem bajulandam impoſuerunt. In hac narratione videtur falſum, Chriſtum jam bajulaſſe Crucem ea hora, qua apud Moniales ſolet recitari Prima.

L. 4. C. 17. Poſtquam Salvator montem aſcendit Calvariæ, veſte exutus nudus apparuit. - Virgo, ubi divinum filii corpus nudum intuita eſt, velamen è capite ſubduxit, filioque projecit, quod accipiens JEſus ſe præcinxit. Dixit Veronica crucem, quæ magnæ molis erat, ſe vidiſſe in terra poſitam, ſupra quam ſe extendens Salvator renibus ligno hærentibus brachia lubens expandit - acceptis verò clavis, cum foramina Crucis à fabro facta longius diſtarent, ut manibus & pedibus pertingi non poſſent, fune brachia manusque circumligaverunt, diuque trahentes compage corporis ſoluta enodarunt, ac præcipuè oſſa humeris hærentia colliſa loco naturæ ceſſerunt - quamobrem omnia membra locis naturæ

Digitized by Google

turæ diffulſa ſunt. His peractis Crucem in altum erexerunt. Conſpexit Veronica erectam Crucem miniſtris volentibus in terram decidiſſe; cùmque crucem iterato erigerent, aut à dextris pendere aut à ſiniſtris ſatagerunt. Denique Cruce obfirmata Virgo exclamavit! Heu me, o fili mi, en tuorum verborum eventus infelices; Ecce mihi abs te prænuntiata tempus locusque adſunt quibus te videns contingere nequeo. Nunc Simeonis verba prophetica in me completa fateor; & tuam ipſius, inquit, animam pertranſibit gladius. O fili dulciſſime, quàm pungentiſſimus, quàm acutiſſimus eſt gladius hic, quo tantis cruciatibus te in cruce pendentem aſpicio; talia perſtabat memorans Mater, ſæpius in terram præ mœroris magnitudine dilapſa, quam Magdalena erigebat. - Ajebat Veronica ſe omnes motus Chriſti in cruce obſervaſſe, præſertim ſpinea corona premente, cum non haberet, ubi caput reclinaret, quod deinceps verſus pectus pendere ſinebat. Chriſto dicente, Sitio, Mater exclamavit. Heu me, O fili mi, ego te olim lacte pavi, at nunc tibi potum præbere nequeo. Atque inter verba ſolo dilabitur exanimis. Conſpicata eſt Veronicæ mens hora mortis JESU illum transformari & lachrimis profuſis irriguas genas ejus humectari, nullam verò vocem inter lachrimas dixit, præter ea, quæ Evangeliſtæ dicunt. Oratiunculæ B. Virginis in ſummo mœrore non ſunt veroſimiles. Revelationes Mariæ de Agreda ſunt contrariæ.

L. 4. C. 18. Dixit Veronica, ea hora, qua Chriſtus animam Patri tradidit, ſe conſpicatam ſolem tenebras induiſſe, petras ſciſſas, monumenta aperta, vehementem terræ motum factum, plurimosque percutientes pectora ſua reverti; Longinum latus percutientem lumine oculorum recepto ad Deum converti. Vidit inſuper, cum Longinus latus perforaſſet, Virginem jam erectam in terram denuo collapſam - lamentabantur omnes, cupiebantque vita functum de cruce ponere nec valebant; Venere

Joſeph

Joſeph & Nicodemus, qui erant nigris induti veſtibus, capiciis ad oculos usque deſcendentibus - ſcalis prominentibus aſcendentes cadaver depoſuerunt in gremium matris. - Dein omnes abierunt, & Veronica ſemper comes affuit angelo duce, qui cum B. Virgo, cæterique domum quandam ingreſſi eſſent, Veronicam ad videndum templum Salomonis perduxit.

L. 4. C. 19. Ingreſſæ templum Angelus dixit: Quem vides locum, templum eſt Salomonis. Sed NB. Templum Salomonis non amplius ſtetit poſt Captivitatem Babylonicam.

L. 4. C. 20. Die Paſchæ Veronicæ ſpiritus Angelo duce domum ſitam in monte Sion, in qua beatiſſima Mater lachrimans perſeverabat, adiit. Nec mora; & Ecce Magdalena à Virgine Matre dimiſſionem petit, ut ad monumentum Chriſti prodeat; qua abeunte vultum Virginis Matris novo gaudio immutari conſpectat; auctâ verò paulatim lætitia in riſum tandem prorupit. Tum ſubito reſurgens Chriſtus locum ingreſſus eſt, cui mater obviam procedens poſt mutuas ſalutationes filium complexa eſt.

L. 4. C. 21. Chriſto cœlorum orbes aſcendenti novem Angelorum legiones obviabant; afferebant plerique incenſi odores - JESU cœlum Empyreum ingreſſo Patrem ac Spiritum Sanctum veluti eidem obviantes contemplatur; erat in ſupremo cœli cacumine locata ſedes ornatiſſima ad dexteram Patris, in qua Chriſtus ſedens effulſit.

L. 4. C. 22. Nocte Pentecoſtes Veronica vidit in ſupremo cœli cacumine Chriſtum ante Deum Patrem genua flectentem ac dicentem; Noſti, o mi Pater ſanctiſſime, cum apud mortales eſſem, Matri meæ & diſcipulis meis me pollicitum fuiſſe Spiritum Sanctum; cumque hodierna dies huic miſſioni apta exiſtat, annue quæſo, quo id perficiam. Cui Pater: Quando fili dilectiſſime

Digitized by Google

omnia tibi à me tradita fuerunt, ut libet promiſſum ſanctum mitto ſpiritum.

L. 5. C. 10. In aſſumptione B. Virginis ex purgatorio adductæ fuerunt tot animæ, quot non capit Urbis Mediolanenſis media pars. Dimidia pars Urbis Mediolanenſis ad minimum capit decem milliones hominum, ut eſt Geometricè demonſtratum.

L. 5. C. 12. In feſto D. Hieronymi Veronica vidit Hieronymum lilia manu tenentem, ac pileum more Cardinalium capite gerentem.

Num. XII.

De Revelationibus Venerabilis Mariæ de Agreda.

QUanta fuerit in Venerabili Maria de Agreda virtutum heroicarum excellentia, ſatis oſtenſum exiſtimo in ejus Vita ſimul cum ejus Operibus ac Prologo Galeato ſæpius edita, atque recuſa Auguſtæ 1719. Idem enucleatius deducitur in Proceſſu ejus Beatificationis quem ante ſeptennium legi Romæ. Eandem habuiſſe eximia lumina à DEO, veraſque divinas viſiones, ob ejus frequentes raptus & ectaſes, in quibus non eſt veroſimile interveniſſe perpetuas illuſiones diabolicas perſonæ tam virtuoſæ nullo in finem reperto illuſionum exitu, minimè dubito. An verò nullæ in tot viſionibus interceſſerint magnæ illuſiones phantaſiæ ex iis, quæ de vita B. Virginis legerat, audierat, aut in repræſentationibus theatralibus viderat, relinquo aliorum, præſertim Eccleſiæ Romanæ, judicio. Neque enim

enim meum eſt, aſſertivè quidpiam hac in re ſtatuere, quamdiu Proceſſus Beatificationis hæret in Sacra Congregatione Rituum, privatoque judicio tantorum Theologorum, ac Eminentiſſimorum Judicum prævertere ſententiam. Interea tamen, dum poſt matura examina prodeat Eccleſiæ vox, atque Eccleſiaſtica Romani Tribunalis concluſio, nec ingratum, nec inutile fuerit, recenſere hiſtoricè, quid circa Controverſiam de Revelationibus Venerabilis Mariæ de Agreda geſtum ſit; exhibere earundem Revelationum epitome quoad puncta, quæ in controverſiam venire, aut ad puncta controverſa quovis modo reſpicere poſſunt; ad demum adjungere deſignationem locorum in his Revelationibus difficilium cum rationibus dubitandi præcipuis. Itaque ſequentes annotationes in tres partes divido.

1. Recenſentur hiſtoricè, quæ in hac cauſa hucusque geſta ſint.
2. Ponitur Compendium Revelationum Ven. Mariæ de Agreda aliquo modo ad controverſiam reſpicientium, ſeu Vita B. Virginis, per Ven. Mariam de Agreda ſcripta, in compendium redacta.
3. Deſignatio locorum in his revelationibus difficilium, cum deductione rationum dubitandi.

§ 1.

Quæ in Controverſia de Revelationibus Ven. Mariæ de Agreda geſta ſint?

Revelationes Mariæ de Agreda dudum pro erroneis declaratæ fuerunt ab Academia Pariſienſi, nempe anno 1696. Dein confixæ etiam fuerunt à S. Congregatione Indicis, ut patet ex Catalogo Librorum prohibitorum edito Romæ 1710. Sub

Digitized by Google

Benedicto XIII. comparuit Decretum, quo denuò permittitur fidelibus earum Revelationum Lectio, ſed Reverendiſſimus P. Nicolaus Ridolfi Secretarius Congregationis Indicis, nunc Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter dum anno 1735 verſarer Romæ, monſtrabat & prælegebat mihi aliud Decretum recentius ejusdem Benedicti XIII, quo teſtatur SS. Pontifex, prius clancularió & fraudulenter fuiſſe emanatum; à ſe proin illud irritari, & Confixionem Revelationum Mariæ de Agreda in ſuo robore permanere. Mirabar tamen eam recentiorem Declarationem SS. D. N. Benedicti XIII. non publicari; & agnovi, jam introductum eſſe proceſſum Beatificationis Ven. Mar. de Agreda, quo durante eſſe aliud inſtituendum examen de his Revelationibus; hujus proin exitum exſpectandum.

Quod attinet Academiam Pariſienſem, prodiit anno 1696 Scriptum ſub hoc Titulo: *Cenſure fait par la faculté de Theologie de Paris d'un livre, qui à pour Titre: La Myſtique Cité de Dieu, de Marie d' Agreda. à Paris in* 4. In hoc Scripto S. Facultas Theologica Pariſienſis declarat, ſe nolle minuere cultum B. Virginis, quia tamen tot aliis honorificentiſſimis titulis decorata non eget cultu vano, ut obſervat S. Bernardus Epiſt. ad Canonicos Lugdunenſes, declarat, ſe non approbare quasdam Propoſitiones in illa Myſtica Civitate Dei contentas. Inter eas propoſitiones ſunt & ſequentes:

Sexta Propoſitio. DEUS dedit B. Virgini omne, quod voluit dare; voluit autem dare omne id quod potuit; & potuit dare omne id, quod non fuit eſſe divinum. Hæc propoſitio damnatur ut falſa, temeraria, & contraria doctrinæ Evangelii.

Septima Propoſitio. Declaro, omnia privilegia, gratias, prærogativas, favores, & dona B. V. etiam dignitatem Matris Dei dependere ac ducere originem ex eo, quod fuerit Immaculata, &

Digitized by Google

& plena gratia in Conceptione, ita ut in defectu hujus privilegii reliqua omnia forent defectuoſa, ac ſuperbum ædificium ſine ſolido fundamento. Facultas declarat, hanc propoſitionem falſam, temerariam, & quod enervet fidem in Conciliis ſtabilitam.

Octava Propoſitio, attribuens B. Virgini ab initio Legis Evangelicæ regimen Eccleſiæ pronuntiatur falſa, temeraria, & erronea.

Nona Propoſitio, quæ explicat ad Litteram verba Capitis octavi Proverbiorum de B. Virgine, damnatur ut falſa, & temeraria, eò quod illa verba ſolùm debeant intelligi de Sapientia increata.

Decima Propoſitio, quæ aſſerit B. Virginem fuiſſe educatam per angelos inter brachia S. Annæ, ac ſæpe translatam in cœlum, cenſuratur eſſe falſa, temeraria, & contraria Verbo Dei Joa. C. 14. & ad Hebr. C. 6.

Duodecima aſſerit, B. Virginem omni modo eſſe Matrem miſericordiæ, & mediatricem gratiæ. S. Facultas declarat, B. Virginem quidem plus poſſe, quàm Sanctos; ſed propoſitionem hanc eſſe falſam, erroneam, & Chriſto injurioſam, qui ſolus eſt Mediator.

Decimatertia aſſerit, homines fore æternùm beatos, ſi viderent claritatem B. Virginis. Hæc propoſitio cenſuratur eſſe falſa, ſcandaloſa, & erronea. Eadem Cenſura fertur circa Propoſitionem decimamquartam & alias, quas Maria de Agreda dicit eſſe revelatas circa Controverſias quasdam Scholaſticas.

Ita ſenſit de his Revelationibus Academia Pariſienſis. Fuſius eam condemnationem à S. Facultate Theologica Pariſienſi an-

 no

no 1696 factam deſcribit ejusdem S. Facultatis Doctor, & pars Ludovicus Elias Du - Pin ſeu Du - Pinus in Compendio ſuæ Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, edito Pariſiis 1726 ſub titulo: Hiſtoire de l'Egliſe en Abregé. Tom. 4. Art. 23. ad Sæculum 17. ſic ſcribit: Soror Maria de JEſu, Ordinis S. Franciſci, Abbatiſſa Conventus Immaculatæ Conceptionis in urbe Agreda, profeſſionem emiſit 1620. Anno 1627 electa eſt in Superioriſſam. Si fides adhibenda ejus teſtimonio, decem primis ſui regiminis annis accepit à Deo mandatum, ſcribendi vitam B. Virginis. Reſtitit usque ad annum 1637, quo tandem incepit illam vitam ſcribere. Poſtquam finierat opus, illud cum aliis ſuis ſcriptis comburit ex mandato ſui Confeſſarii extraordinari, à quo dirigebatur in abſentia Confeſſarii Ordinarii. Verùm de hoc à ſuo Confeſſario ordinario, & à ſuis Superioribus, poſtquam id reſcierant, acriter reprehenſa eſt, atque ab iisdem de novo juſſa eſt, conſcribere ſecunda vice hiſtoriam B. Virginis. Itaque, cum & exiſtimaret, à Deo reiterari mandatum, vitam B. V. denuo ſcribere exorſa eſt in die Conceptionis B. V. anno 1655. Obiit anno 1665. Ejus Opus dividitur in tres partes, octo libris comprehenſas. Impreſſum eſt poſt ejus obitum hiſpanicâ linguâ Ulyſſiponæ, Madriti, & Perpignani. Ex idiomate hiſpanico in gallicum verſum à P. Croiſet, Franciſcano, Maſſiliæ editum eſt anno 1696 ſub titulo: La myſtique Cité de Dieu. &c. Hic liber plenus eſt viſionibus, & fabulis, & ineptiis, quas author vendit pro revelationibus, quamvis aliquæ contineantur in libris Apocryphis, & ex ſtylo ac terminis Scholaſticis libri ſatis clarè agnoſcatur, non ſolam Mariam de Agreda applicuiſſe manum. Author de ordine divinorum Decretorum diſcurrens agit ſubtilem Scotiſtam, ſupponitque, ſic revelaſſe DEum. De creatione mundi loquens agit Theologum. Caput 12 & 17 Apocalypſis explicat de Conceptione B. Virginis. Deſcribit etiam Conciliabulum dœmonum celebratum ſecundo die creationis, in quo quilibet dœmonum ſuum explicat

plicat conſilium ad perdendum hominem, & Verbum incarnatum. De Conceptione B. Virginis eo modo diſcurrit, qui vix congruit Moniali. Deſcribit etiam ea, quæ B. Virgini acciderunt novem menſibus in utero. Denique conſtruit integram hiſtoriam penitus fictam de ejus infantia, de ejus actionibus, de ejus occupationibus, de ejus converſatione, functionibus, miraculis, totaque ejus vita & morte. Hic liber, quamvis abſurdiſſimus, multis tamen munitus eſt approbationibus. Sed hæ non potuerunt impedire, quin fuerit confixus Romæ Decreto S. Congregationis Indicis, quamvis fautores libri obtinuerint à Rege Hiſpaniæ, ut ſcriberet Papæ in favorem libri, ſicque per Breve fuerit executio Decreti ſuſpenſa.

Verſio primæ partis anno 1696 ſtatim denuntiata fuit Facultati Theologicæ Pariſienſi, quæ proin nominavit Deputatos pro examine libri. Hi extraxerunt multas propoſitiones, quæ ipſis videbantur digniores cenſura. Facultas, poſtquam plus quàm trigeſies ea de re convenerat, tandem in quatuordecim articulis condemnabat varias propoſitiones ex illo libro excerptas. Condemnantur ibi propoſitiones, in quibus B. Virgini adſcribitur tanta excellentia, ut creatura perfectior creari non poſſit; item illæ propoſitiones, in quibus omnes ejus prærogativæ & privilegia derivantur ex Immaculata Conceptione. Item illæ, quæ illi tribuunt regimen primitivæ Eccleſiæ. Item illæ, in quibus ipſi applicantur textus Scripturæ in ſenſu litterali, qui conveniunt ſoli Deo, v. g. Caput 8. Proverbiorum. Item illæ, in quibus ipſi tribuuntur attributa, quæ conveniunt ſoli Chriſto, v. g. dum vocatur *Mediatrix gratiæ, reparatrix hominum,* & *coadjutrix JESU Chriſti*; & hujusmodi plures aliæ propoſitiones abſurdæ & fabuloſæ. Improbat Facultas præcipue temeritatem, qua Maria de Agreda audet has ineptias vendere pro revelationibus, abuſum textuum Scripturæ, & verſutiam, qua opiniones ſcholaſticas transformat in revelationes. Aliqui Deputatorum præmiſerunt Cen-

ſuræ

Digitized by Google

ſuræ proteſtationem, qua ſolenniter conteſtantur, ſe per hanc cenſuram nec minimum velle detrahi cultui ab Eccleſia Catholica B. Virgini exhiberi ſolitæ; declarant, ſe B. Virginem honorare ut matrem Dei; ſe in ejus interceſſione collocare ſingularem confidentiam, ſeque credere corpore & anima in cœlum aſſumptam juxta orationem Liturgiæ Gallicanæ; Cum tamen B. Virgo non indigeat falſis honoribus, utpote tot veris gloriæ titulis cumulata, prout S. Bernardus ſcribit in quadam Epiſtola ad Canonicos Lugdunenſes occaſione novi feſti Conceptionis, ſe non poſſe approbare cultum immoderatum, ſuperſtitioſum, & falſum, ex quo loco cultus potius accedit B. Virgini injuria, & Religioni Catholicæ apud impios & hæreticos contemptus. Cenſura Facultatis, qua nominatim condemnantur tredecim propoſitiones hujus libri, ac generatim plures aliæ, data eſt 16 Septembris 1696. Ita Du - Pinus.

Utrum Cenſura S. Facultatis Pariſienſis in omnibus approbanda ſit, non diſputo; illud tamen obſervo, non videri cenſura aut proſcriptione dignum. Primò. Quod non poſſit creari creatura perfectior B. Virgine. Ratio eſt, quia Ven. Maria de Agreda ſuam propoſitionem ſatis apertè limitat ad eas perfectiones, *quarum B. Virgo erat capax*, id eſt, ſine proceſſu in infinitum, & ſine abſurdo, & *quas decuit conferri à DEO*, videlicet juxta leges ſuæ Sapientiæ & providentiæ in ordine ad fines à ſe præſtabilitos: quod nihil aliud eſt dicere, quàm DEum in omnibus decretis ſequi *rationem melioris*; adeoque cum B. V. in moderno ſyſtemate entium, quod omnibus aliis poſſibilibus eſt ſimpliciter ac abſolutè melius, ſit indubitatò perfectiſſima, ſequetur, quod etiam omnibus creaturis poſſibilibus ſit perfectior. Jam verò, quod Deus non poſſit non ſequi *rationem melioris*, etiamſi hæc ſententia ſit probabilius falſa, non eſt tamen cenſura & proſcriptione digna, cum eam in omnibus ſuis fere operibus ſequatur S. Raymundus Lullus, & ſciam in eam ſententiam propendere viros

Digitized by Google

ros eximiè doctos. Itaque nec cenſura aut proſcriptione digna videtur neceſſaria ex illo principio conſecutio, quod non poſſit creari creatura perfectior B. Virgine. Certè hanc cenſuram non deberent approbare Leubniziani, quorum nunc, præſertim in Germania inter Wolfianæ Philoſophiæ Sectatores eſt magna pars. Secundò. Non videtur cenſurâ dignum, quod omnes prærogativæ & privilegia B. Virginis deriventur ex Immaculata conceptione. Nam ſuppoſita ſemel Immaculata conceptione neceſſariò conſequitur, ordine executionis omnes alias ſpeciales gratias B. Virgini collatas ad Immaculatam Conceptionem tanquam primam diſpoſitionem conſequi. Cum ergo ſententia de Immaculata conceptione B. Virginis non ſit cenſura aut proſcriptione digna, & Ven. Maria de Agreda nil aliud velit dicere, quàm ex Immaculata Conceptione derivari reliquas gratias ordine executionis, & tanquam ex prima diſpoſitione, nec iſta propoſitio videtur cenſura digna. Immo etiamſi ex Immaculata Conceptione dicerentur conſequi reliquæ gratiæ, non tantùm tanquam ex prima diſpoſitione, ſed etiam tanquam ex motivo, ne ſic quidem propoſitio foret cenſurâ digna præſuppoſita ſemel Immaculata conceptione, quia non dedeceret DEum manifeſtè, ſi ſineret ſe moveri ad conferendam maternitatem huic potius perſonæ ex motivo, quod eam videat actu præditam ea puritate originali, quam illi contulit intuitu conferendæ illi aliquando maternitatis: ſicut ſi ſponſæ eligendæ donatur pretioſa veſtis intuitu, quod donans eam ſibi deſignet in ſponſam; poterit tamen ad contrahenda actu ſponſalia ſimul moveri inadæquatè ex elegantia ſponſæ per ipſas veſtes. Tertiò. Non videtur cenſurâ aut proſcriptione digna propoſitio, qua B. Virgo vocatur *Mediatrix gratiæ, reparatrix hominum, coadjutrix JESU CHRISTI.* Ratio eſt, quia hujusmodi propoſitiones difficiles, poſtquam jam ſemel uſu fidelium receptæ ac radicatæ ſunt, non ſunt ſimpliciter privatorum Zelo rejiciendæ ſimpliciter, aut publicè impugnandæ,

dæ, ſed explicandæ, quomodo & varias propoſitiones Scripturæ valde difficiles. v. g. in Epiſtola 1. S. Joannis, non rejicimus ſed explicamus. Jam verò illas propoſitiones, aut conſimiles jam dudum fuiſſe receptas uſu fidelium, patet ex Scriptoribus etiam antiquis, inter quos & Cyrillus Alex. in Hom. contra Neſtorium, quæ recitatur in Octava Nativ. B. V. in Brevario, dicit, *hominem per illam ad cœlum reduci.* &c. Verum quidem eſt, quod propoſitiones ejusmodi ponantur à Patribus & aliis Doctoribus *exponibiliter*, & *indifferenter* quo modo loquendi adhuc poſſunt exponi in ſenſu tropico, ac cauſali, ita ut B. Virgo intelligatur *Reparatrix hominum*, *mediatrix gratiæ.* &c. tanquam cauſa mediata, quatenus eſt mater *Mediatoris* ac *Reparatoris* immediati, videlicet Chriſti; econtra Ven. Maria de Agreda hos titulos non ſumit in ſenſu tropico, ac mediato, ſed in ſenſu immediato, quatenus in mente DEI ſimul cum Chriſto ingreditur motivum condonandi hominibus originalem culpam, & conferendi ſalvationis gratiam, quamvis ejus merita ſic moveant Deum ſimul cum meritis Chriſti ut dignificata per eadem merita Chriſti. Hanc eſſe mentem Ven. Mariæ de Agreda colligitur ex ejus propoſitionibus infra propoſitione 5. referendis. Sed cùm textus Patrum & Doctorum, tribuentium B. Virgini hos titulos, ſint indifferentes, ac quoad ſenſum indefiniti, ſicut illis non poteſt certò determinatus ſenſus de reparatione & mediatione immediata tribui, ita non poteſt certò determinatus ſenſus ab iis excludi. Cum ergò certò ſciri non poſſit, utrum non proveniat ex ſpeciali providentia Dei, quod Patres & Doctores uſi fuerint terminis tam generalibus, ut adhuc reciperent ſenſum de *mediatione* ac *reparatione* immediata ſuo tempore revelatione Eccleſiæ inſinuandum ejusque attentioni ſubjiciendum, videtur tam glorioſum B. Virginis titulum probabili revelatione inſinuatum non fuiſſe ſtatim tanquam erroneum abjiciendum, ſed longo Eccleſiæ examini atque judicio refer-

Digitized by Google

reſervandum. Moderatius actum fuiſſet, ſi prohibitus fuiſſet ſolus liber earum revelationum ob metum, ne populus imbiberet novas doctrinas, nondum ab Eccleſia approbatas, qualis eſt hæc doctrina, cum in ipſis his revelationibus Part. 1. Num. 1. & 9. dicatur, eam *nunquam fuiſſe à mundo cognitam*, adeoque *novam*; ſed quod ipſa propoſitio vocetur *erronea*, forte juſto ſeverius dictum eſt.

§. 2.

Vita B. Virginis, ſcripta per Mariam de Agreda, in compendium contracta quoad puncta difficultas controverſas reſpicientia.

PARS. I.

1. MAgnifico te, Rex Regum, quod dignatus ſis profunda hæc myſteria, abſconſa hactenus Sapientibus & Doctoribus Eccleſiæ, revelare Servæ tuæ, omnium ſummè inidoneæ; ut mundus agnoſceret, totum hoc opus tuum eſſe, non inſtrumenti.

2. Diu reſtiti puſillanimitate victa Numini ad ſcribendum hoc opus inſtiganti, donec lux quædam ſuperior, cœlitus immiſſa, diſcuſſerat omnes anxietatum nubes, & ad virtutes, vocationi tantæ congruas, tractione potenti præparârat. Poſt eam præparationem delapſa eſt ad aures meas vox à Domino, quæ me ad altiorem perfectionis habitationem elevavit.

4. In ea habitatione apparuerunt mihi ſex angeli, ſpecialiter mihi à Deo in hunc finem deputati, ut me dirigerent & juvarent in ſcribendo hoc opere. His adjunxerunt ſe duo alii angeli ordinis ſuperioris, quos agnoſcebam cupidiſſimos eſſe, ad pandenda mihi quædam altiora myſteria. Viciſſim ego aperui illis ánhelum meum deſiderium, eadem myſteria ſecreta percipiendi; At propius accedere volentem repreſſerunt me, exuendos prius, inquie ites, omnes affectus, & inclinationes proprias.

5. Tunc ſtatim vidi pretioſum velum, quo tegebatur aliquis theſaurus. Exarſi deſideriô, ut reduceretur velum, & monſtraretur theſaurus. At tuli reſponſum: Exue teipſam, & videbis theſaurum. Propoſui ſtatim, emendare vitam; & ingemiſcens cum fletu ſuſpirabam ex intimo cordis, ut mihi retegeretur theſaurus. Et Ecce! juxta incrementum deſiderii etiam paulatim reducebatur velum, monſtrabaturque mihi ſummum meum bonum; donec tandem reductum fuerit totum, ſeſeque ante oculos meos ſtiterit, quod non ſum potis enarrare verbîs. Vidi namque oculis internis Reginam pulcherrimam, ſtellis coronatam, ſole amictam, & lunam ſub pedibus ejus. Angeli mihi aſſeverabant; hanc ipſam eſſe illam mulierem, quam vidit Joannes in Apocalypſi; ac in ea repoſita atque ſub ſigillis clauſa eſſe myſteria Redemptionis. Juſſerunt præterea, ut eam bene contemplarer, atque deſcriberem.

6. Alio die in ſomno venit ad me vox à Deo, dicens: *Sponſa mea, volo, ut ducas vitam magis angelicam, quàm humanam, atque ut obliviſcaris omnia terrena: Mea virginea Mater erit tua Magiſtra.*

7. Simul tunc magna Regina, in cujus ſtabam conſpectu, dignabatur his me verbis alloqui: *Chariſſima filia; tu mea ſis diſcipula, ego ero tua Magiſtra. Me ſequere.* &c. Dein Dominus dixit: *Attende, & vide.* Attendi, & vidi Scalam cum angelis aſcendentibus & deſcendentibus. Et Dominus ad me dixit:

dixit: *Hæc eſt illa Scala Jacob, quæ eſt Domus DEI & porta cœli. Si te dignam reddideris, per eam ad me aſcendes.*

8. Per aliquot dies valde eram anxia, præ deſiderio diſſolvendi corporis & eò perveniendi; in quem finem etiam depoſui Confeſſionem generalem. Poſt aliquot dies, quibûs conſtanter perduravit viſio Scalæ, declaravit mihi Dominus, quod hæc Scala ſit vita Beatæ Virginis. *Volo,* inquit, *ſponſa mea, ut per hanc ad me cognoſcendum aſcendas; contemplare eam, & imitare. Angeli, quos vides, ii ſunt, qui ad cuſtodiendam hanc urbem Sion deputati ſunt.* Tunc videbar mihi, quod aſcenderem per hanc Scalam; & vidi Dominum in Summitate Scalæ, præmonſtrantem mihi tabulas, Moyſaicis meliores, in quibus propriis manibus pro me conſcripſerat legem; hanc videlicet, ut deſcriberem vitam Beatæ, & in ea deſcriptione tribus potiſſimum punctis inculcandis intenderem. Primò, ut ubique commendaretur Excellentia Dei, ac reverentia illi debita. Secundò, ut genus humanum agnoſcat ac ſciat, quantum ſuæ Matri in opere redemptionis debeat. Tertiò, ut meus Director, & ſi opus ſit, totus mundus agnoſcat meam inſufficientiam, atque indignitatem ad tantas gratias.

9. Dixit etiam ad me Beata: *Mundus hac doctrina his temporibus potiſſimùm eget, ob ignorantiam* &c. Et Dominus: *Quando miſi Filium in mundum, in ſtatu tam miſero jacebat, ut ab ejus origine nunquam fuerit tam deplorandus. Sicut ergo tunc exſpectabam tempus opportunum, ut ex malitia hominum magis inclareſceret magnitudo miſericordiæ, ita infeliciſſimo iſthoc tempore, quod meam depoſcit iram, & quo jam ultimus dies appropinquat mundo, ſtatui omnibus aperire portam miſericordiæ, & accendere lucem in tenebris. Volo enim, ut omnes agnoſcant, quantum valeat interceſſio illius, quæ dum immortali in Virgineo utero vitam contulit, ſalus peccatorum extitit.* (10.) *A principio*

pio Religionis hæc myſteria non manifeſtavi, quia tunc ſtabiliendi erant articuli de Chriſto, nec erat Religio pluribus difficultatibus implicanda. Nunc autem jam ſtabilitis articulis de Chriſto urget ipſa neceſſitas temporum, & reverentia Beatæ debita, ut tandem orbi propaletur cum myſteriis Beatæ tam ſalubre remedium. Deſcribe igitur pro viribus hanc Civitatem Dei. Volo enim, ut hæc Vitæ illius deſcriptio non habeatur pro opinione aut meditatione, ſed pro certa veritate. Qui aures habent audiendi, audiant; qui ſitiunt, veniant ad aquas vivas relictis ciſternis diſſipatis; qui deſiderant lucem, veniant, & ſequantur eam. Hæc ſunt verba DEI.

12. 13. 14. Nunc explicabo, qualis fuerit mea diſpoſitio ad has revelationes, & quis fuerit modus harum revelationum. A tempore, quo primùm in me cœpit uſus rationis, ſemper habui magnum timorem, ne forte non ſim in gratia Dei; in hoc timore & horrore vivo perpetuò; & panes mei nocte & die ſunt lachrimæ, quas ille timor extorquet; hinc ſemper petii à Domino viam meliorem & tutiorem; & hinc petii etiam, ut me duceret via coram oculis hominum occulta his ultimis mundi temporibus. Dominus reſpondit: Ducam te in via lucis, & in ſemita occulta, à me ſolo cognoſcibili. Tunc ſimul mihi infuſa eſt lux, in qua omnes res cognovi in DEO, & ut ſunt in ſeipſis, & ut ſunt in ſuis effectibus. Hoc ita obverſatur oculis meis, quantum placet Deo. Hæc cognitio, & hæc lux illuminans, eſt ſancta, ſuavis, incoinquinata, ſubtilis, penetrans, nobilis, certa, clara; eſt vapor virtutis Dei, & emanatio claritatis omnipotentis Dei, & candor lucis æternæ; intellectui meo ſe ſiſtit inſtar ſpeculi, in quo per ſuperiorem animæ partem & oculum interiorem multas res video. Objectum & lux, quæ ex hoc ſpeculo reflectuntur, ſunt infinitum quid; quod tamen non aliter cognoſcitur, quàm ſi Majeſtas divina ſederet in throno obducto per velum cryſtallinum.

15. 16.

Digitized by Google

15. 16. 17. In eadem luce DEus tanta claritate & certitudine cognoſcitur, ut de objecto nullum relinquatur dubium. Quando anima hac luce ac viſione fruitur, & eam non amittit, nunquam vincitur. Immo tribuit & corpori alleviationem, idque reddit aliquo modo ſpirituale, ut gravitas illius evaneſcat, aut impediatur. Tunc in omnibus actionibus ſentitur aſſiſtentia ſpiritus Chriſti, qui eſt Deus, & vita animæ.

18. 19. Non dico, quod hæc lux ſit tota lux; ſed eſt pars illius; & ea pars eſt aliqua cognitio ſupra vires naturæ. Per eam viſionem informat DEus per modum animæ vivificantis intellectum, eique tribuit certam aliquam proprietatem ac claritatem, per quam potentia animæ redditur proportionata ad cognitionem ſupernaturalem. Hoc medio comprehendit intellectus cum certitudine ea, quæ creduntur. Sap. 7. Hæc lux eſt *inextinguibilis, & omnia bona venerunt mihi pariter cum illa, & innumerabilis honeſtas per manus illius; hæc lux præcedit me ad dirigendum in via: quam ſine fictione didici, ſine invidia communico, & honeſtatem illius non abſcondo* &c.

19. In hac luce aſcendo ad Deum; & in Deo cognoſco diſpoſitionem orbis, & vires elementorum; initium, medium, & finem temporum, viciſſitudines rerum, curſum annorum, proportiones & proprietates creaturarum, pericula, actiones, & abſcondita hominum; initia, finem, & conſtitutionem regnorum. Omnia hæc cognoſcuntur in illa luce Dei. Sed quando anima in inferiori ſtatu eſt, eo nempe, quem ordinariè habet, licet utatur eſſentia hujus lucis, aliter res ſe habet. In hoc enim inferiori loco non habeo majorem cognitionem, quàm quæ ſufficit ad vitanda propria pericula & peccata, & ad compatiendum hominibus; nec mihi tunc licet, ad homines cum claritate ea loqui, quæ cognoſco; nec etiam ſcirem tunc loqui, quia in eo ſtatu videor mihi quaſi muta eſſe.

20. Et

Digitized by Google

20. Et quamvis hæc omnia cognoverim, nunquam tamen DEus mihi oſtendit aliquem damnandum; ſi enim talem vidiſſem, præ dolore obiiſſem. Immo rogavi Deum, ut nunquam talem hominem oſtendat, qui jam extra ſpem auxilii conſtitutus eſt.

22. In hoc ſtatu & in hac luce, & hoc modo video etiam B. Virginem, quando mihi loquitur. Agnoſco etiam angelos, eorum naturam & perfectiones. Aliquando eos video & cognoſco in Domino, aliquando autem in ſeipſis. Sed quando eos cognoſco in ſeipſis, deſcendo uno gradu cognitionis. Et in hoc inferiore gradu video, & alloquor angelos eosque intelligo, explicantes mihi myſteria, à Domino monſtrata.

23. In Domino eos cognoſco, tanquam in ſpeculo; & Dominus mihi etiam oſtendit Sanctos, quos vult, cum ſuis operationibus.

24. In inferiore gradu cognitionis video B. Virginem & angelos; & agnoſco eos ſic ad me loqui & me illuſtrare, prout unus angelus loquitur ad alterum, & illuſtrat alterum. Talem lucem illuſtrantem largitur Dominus primariò B. Virgini, & B. Virgo eam communicat ſuperiori parti animæ meæ. Tunc ea luce mediante agnoſco ejus perfectiones, ſicut angelus inferior agnoſcit illud, quod à Superiore angelo illi communicatum eſt. Sæpe fit, quod Dominus mihi oſtendat objectum, B. Virgo conferat illuminationem, & angeli commodent verba. Communiter omnia peragit Dominus; aliquando hoc facit B. Virgo, oſtendendo mihi doctrinam, & aliquando id operantur angeli. Solent etiam non infrequenter præcisè communicare intelligentiam; verba autem rem intellectam explicandi ſumo à meipſa. Et in hoc poſſem errare, ſi Dominus permitteret; quia ſum indocta fœmina, & uſurpo verba aliàs audita. Quando autem ſentio difficultatem, intellecta verbis explicandi, recurro ad meum Magiſtrum & ſpiritualem directorem.

25. In

25. In hoc ſtatu, quamvis habeam quandoque corporeas ſeu imaginarias viſiones in phantaſia, eæ tamen ſunt admodum raræ.

27. Vidi, quod in Trinitate filius ſit natus ex fœcunditate intellectûs Patris; & Spiritus Sanctus procedat ex Patre & Filio per amorem.

30. Vidi, quod DEus ante creationem rerum fuerit in ſe; & quod fuerit ante creationem tota æternitate immenſus in omnibus ſuis perfectionibus.

31. 32. Vidi, quod tres perſonæ (juxta noſtrum modum intelligendi) decreverint ſe communicare creaturis: perpenderunt tamen prius convenientiam omnium operum creabilium; non quod detur in Deo prioritas temporis quoad unam cognitionem reſpectu alterius; eſt enim in Deo una ſimplex ac indiviſa cognitio; ſed quod ordine ſeu prioritate naturæ cognitio præcedat volitionem.

33. Et quia DEus dignatus eſt reſpondere ad meam interrogationem, qua ex ipſo ſcire petii, quem ordinem ſeu locum in mente divina ac Ideis & Decretis habuerit Chriſtus & B. Virgo, declarabo hoc per varia inſtantia, ſine quibus hæc materia pro nobis explicari non poteſt. Notandum autem, quod *ſcientia viſionis* dicatur illa ſcientia Dei, qua ſcit creanda à ſe, & ad hanc ſcientiam pertinent ideæ rerum, quas DEUS creaturus eſt.

34. Quamvis autem ſcientia Dei ſit in ſe indiviſa ac ſimplex; quia tamen res per ſcientiam viſæ ſunt multiplices, & tales, ut unius exiſtentia dependeat ab exiſtentia alterius; ſic ut una res dici poſſit prima, alia ſecunda &c. neceſſe eſt, ut volitiones & cognitiones divinæ juxta ordinem objectorum diſtinguantur in varia inſtantia. Et hoc modo intelligendum, dum dicimus, DEum ſcientiâ viſionis unum prius vidiſſe præ alio, ſic ut ſi illud primùm

non prius cognoviſſet per ſcientiam viſionis, non decreviſſet alterum.

35. Intellexi ergo à Deo, quod ordo cognitionum divinarum per ſequentia *Inſtantia* explicari debeat. In primo inſtanti DEus cognovit ſuas perfectiones cum infinita propenſione eas communicandi ad extra. Simul autem Deus vidit, quod ea communicatio ob æquitatem non ſolùm ſit conveniens, ſed etiam quaſi neceſſaria; & hoc ſecundùm totam plenitudinem perfectæ communicationis, quantum ea eſt poſſibilis. Cum enim in DEO omnia ſint infinita, magis convenit ei ſe communicare, quàm igni urere, aut lapidi tendere deorſum ad centrum.

36. Propterea vidit DEus ſe quaſi coactum ad communicandum ſe ad extra.

37. Vidi etiam in DEO proportionem, cuivis creaturæ conferendi plures perfectiones, quàm habent omnes angeli, etiamſi omnes arenulæ, & ſtellæ eſſent capaces rationis & ejus donorum, dummodo ad ea dona ſe diſponerent nullum ponendo obicem, & pro iis acquirendis allaborarent.

38. In ſecundo Inſtanti DEus decrevit communicationem ſui cum motivo ſeu fine communicationis, nempe ut ſerviret ad majorem ſuam gloriam, inquantum per eam communicationem manifeſtantur ſuæ perfectiones, quò fit, ut agnoſcatur, laudetur, & ſupra omnia extollatur DEus.

39. In tertio Inſtanti DEus decrevit modum hujus communicationis, nempe ut fieret modo convenientiſſimo, & omnium maximè idoneo ad manifeſtandas ſuas perfectiones; & ut inter ipſas creaturas ſervaretur inter ſe pulcherrimus, & mirabiliſſimus ordo, harmonia, & ſubordinatio. Igitur in hoc Inſtanti DEUS primò decrevit Incarnationem Verbi; dein proprietates decentiſſimas Humanitatis Chriſti.

40. In-

Digitized by Google

40. Intellexi, Hypoſtaticam unionem neceſſariò debuiſſe eſſe objectum primum cognitionis divinæ. Inter alias rationes eſt primò: quia ſic exigit optimus ordo, ut DEus poſt cognitionem & amorem ſui illud præ aliis cognoſcat & amet, quod eſt ſibi propinquiſſimum. Secundò: quia decuit, ut DEus poſt communicationem ſui ad intra ſe communicaret modo perfectiſſimo ad extra; & quidem eo modo, quo certiſſimè conſequeretur finem præſtabilitum ſuæ communicationis ad extra, nempe perfectiſſimam manifeſtationem ſuarum perfectionum; hoc autem certò DEus conſequitur per unionem hypoſtaticam, per quam conſequitur ſummam ſui cognitionem, laudem, & glorificationem. Econtra, ſi non decreviſſet Chriſtum, aut ſi illi noluiſſet conferre omnia poſſibilia dona, potuiſſet DEus fruſtrari ſuo fine ab aliis creaturis. Non autem decet, ut DEus finem à ſe conſtitutum relinquat incerto eventui. Tertiò: decebat, &, ut ita dicam, erat neceſſarium, ut DEus in ſuis creaturis obſervaret harmoniam & ordinem ex omnibus poſſibilibus optimum, pulcherrimum, & mirabiliſſimum. Itaque decebat, ut inter creaturas eſſet aliqua, quæ omnium aliarum creaturarum eſſet ſuprema, immo ſibi propinquiſſima, ac unitiſſima, per quam aliis creaturis daretur ad ſe acceſſus.

41. In quarto Inſtanti DEUS decrevit omnes gratias poſſibiles, & in omni gradu poſſibili pro Humanitate Chriſti.

42. In eodem Inſtanti, attamen in ſecundo hujus Inſtantis ſigno, fuit decreta B. V. Mater Verbi Incarnati. Intellexi enim à DEO, quod B. Virgo fuerit Decreta ante Decretum aliarum creaturarum. Et ſic ante alias creaturas fuit concepta in mente divina eo modo, quo decens & congruum erat ad Humanitatem Filii. Hinc ſtatim torrens divinarum perfectionum totaliter ad eam converſus eſt, ut exinde tantum reciperet, quantum creatura capere poteſt.

Digitized by Google

43. Laudo proin DEum ob Decretum condendi creaturam tam divinam, de qua poſſem dicere cum Sancto Dionyſio Areopagita, quod, niſi fides me doceret aliud; poſſem dubitare, an B. Virgini non inſit aliqua divinitas.

45. In eodem Inſtanti, ſed in tertio ejus ſigno, DEus decrevit condere pro Chriſto & ejus Matre locum habitationis, nempe Cœlum & terram cum ſtellis & elementis. Nam primariò ac pro priori ſigno creavit cœlum & terram pro ſolis Chriſto & ejus Matre. Sed poſterius primum & conſequenter eadem etiam pro ſubditis illius ſupremi Capitis.

46. In quinto Inſtanti DEus decrevit creare angelos, eosque dividere in novem Choros, & tres Hierarchias. Finis primarius erat, ut agnoſcerent & amarent DEum; ſecundarius autem, ut ſervirent Chriſto tanquam ſuo Capiti, & ejus Matri tanquam ſuæ Reginæ. In eodem Inſtanti Chriſtus ſuis præſentibus & prævisis meritis promeruit omnes gratias poſtmodum angelis conferendas.

47. In eodem Inſtanti contigit electio bonorum, & reprobatio malorum angelorum. Nam in hoc Inſtanti vidit DEus futura opera horum & illorum, ut eos, qui futuri eſſent obedientes, eligeret ſua miſericordia; eos verò, qui eſſent futuri inobedientes, ſua juſtitiâ reprobaret. In eodem Inſtanti ſecutum eſt Decretum condendi cœlum pro habitatione juſtorum, terram pro aliis creaturis, & infernum in medio terræ pro reprobis.

48. In ſexto Inſtanti DEus decrevit condere pro Chriſto populum, nempe genus humanum, & quidem in forma ſimili ad naturam humanam Chriſti; quia decuit, ut fratres & populus ipſius eſſent illi ſimiles tanquam capiti. In hoc Inſtanti fuit decretus modus conſervationis & directionis generis humani; nempe propagatio per Adamum usque ad Chriſtum, collatio gratiarum conferendarum generi humano per merita Chriſti, & integritas juſtitiæ originalis, ſi genus humanum in ea vellet permanere.

Prævi-

Google

Prævidebatur etiam lapſus Adami, & ejus poſterorum omnium, excepta ſola B. Virgine, quæ in hoc Decreto non includebatur. Ordinabatur etiam in remedium paſſibilitas carnis in Chriſto. Prædeſtinabantur electi ex gratia; & rejiciebantur reprobi ex juſtitia. Ordinabantur etiam media neceſſaria ad finem hominis obtinendum.

52. Precor te Domine, ut pergas ſic ulterius illuſtrare intellectum meum; loquere, Domine, quia audit ancilla tua. Ad has meas preces locutus eſt DEus, & remiſit me ad Caput Octavum Proverbiorum, cujus ſenſum Litteralem hoc modo mihi explicavit.

54. 55. *Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum, antequam quidquam faceret à principio.* Intellexi à DEO, quod per hoc litteraliter loquatur de Idea Chriſti & ejus Matris, quæ in mente divina formata eſt ante omnes alias Ideas reliquarum creaturarum. Poſſidere B. Virginem dicitur DEus, quia voluit, ut nec genus humanum, nec ulla alia creatura in B. Virgine ſecundùm gratiam haberet ullam partem, aut jus; ſed hoc jus pertineret ad ſe ſolum. 57. Ad ipſam derivata eſt plenitudo omnium perfectionum divinarum, inquantum pura creatura earundem capax eſt.

58. *Nondum erant abyſſi, & ego jam concepta eram.* Abyſſi ſunt Ideæ creaturarum; Idea autem Chriſti & B. Virginis formata eſt ante Ideas aliarum creaturarum.

59. *Necdum fontes aquarum eruperant.* Id eſt, antequam derivaretur fons divinitatis ad Chriſtum & B. Virginem in divinis Ideis, necdum formatæ fuerunt Ideæ cæterarum creaturarum.

60. *Necdum montes gravi mole conſtiterant; ante colles ego parturiebar.* Id eſt, necdum in mente divina ideati & decreti erant Patriarchæ, Prophetæ, Apoſtoli, Martyres, & reliqui Sancti, qui celſitudine ſuæ perfectionis ſunt inſtar montium;

Digitized by Google

ſed & ante colles, id eſt, Choros Angelicos, in mente Dei ideatus fuit Chriſtus & B. Virgo.

63. *Adhuc terram non fecerat, & flumina, & cardines orbis terræ.* Id eſt, antequam decreta terra agri Damaſceni, & terra paradiſi, jam Decretus fuit Chriſtus & B. V. Per flumina intelligitur Eccleſia militans, & per cardines orbis dona electis conferenda, & Sacramenta, & ſolida fundamenta Eccleſiæ.

64. *Quando præparabat cœlos aderam.* Id eſt, quando DEus in ſua mente præparabat electis gloriam cœleſtem, jam aderat humanitas Chriſti & B. Virgo; & poſtquam his maximam partem gloriæ deſtinaverat, primùm conſequenter etiam electis deſtinavit reliquam partem.

65. 66. *Quando certa lege & gyro vallabat abyſſos.* Id eſt, quando divinitatem in humanitate Chriſti munivit certis legibus. *Quando æthera firmabat ſurſum, & librabat fontes aquarum, & legem ponebat aquis, ne tranſirent fines ſuos.* Per æthera intelliguntur Sancti, quia ſunt cœlum, in quo DEus habitat per gratiam. Pro his librat fluenta gratiarum, dividendo eas in menſura juxta proportionem. Pro Chriſto deſtinatur totum gratiarum mare infinitum in ſe; limitatur tamen & ipſum ad menſuram finitam loco, tempore, numero; quo modo & in B. Virginem tranſiit.

67. *Quando appendebat fundamenta terræ, cum eo eram cuncta componens.* In voluntate divina creatrice omnium aderat cum Chriſto etiam B. Virgo.

68. *Et delectabar per ſingulos dies, ludens coram eo omni tempore.* Verbum incarnatum delectabatur cognoſcendo curſum ſæculi; præſertim delectabatur in operibus creationis ordinatis pro B. Virgine.

72. 73. Occaſione recenſitæ hucusque doctrinæ mihi venit dubium. Nam ſi principalis finis adventûs Chriſti in mundum fuit, ut eſſet Caput creaturarum; alter autem finis redimendi genus humanum fuit tantùm ſecundarius, cur in Eccleſia viget opinio contraria; cum communiter teneatur, quod finis principalis Incarnationis fuerit redemptio? Hoc meum dubium humiliter propoſui Altiſſimo; & ipſe dignabatur, mihi ad hoc dubium reſpondere. Verba illius ad me hæc erant: *Audi me, Sponſa mea, columba mea. Nam ut pater & magiſter ſolvam dubium tuum, & tuam ignorantiam inſtruam.* Intellige proin, quod finis principalis decernendi Incarnationem fuerit gloria mea & electorum; & hic finis fuiſſet datus executioni, etſi Adamus non peccaſſet. Cur autem diſtulerim Incarnationem, ratio hæc eſt, quia decrevi filio meo præparare aliquos juſtos, qui poſt lapſum Adami veluti roſæ inter ſpinas elucerent. Poſtquam ergo prævidi lapſum generis humani, decrevi mittere Chriſtum in carne paſſibili, ut pateretur pro redemptione generis humani, & ſic gravitas peccati agnoſceretur. 74. Ut vero reſponſionem hanc meam ad tuum dubium melius intelligas, nota, quod in Decretis meis non detur ordo ac ſucceſſio temporis. Hinc utraque ſententia rectè dicit, nempe & illorum Theologorum, qui docent, Chriſtum veniſſe causâ redemptionis; & aliorum, qui docent, Chriſtum fuiſſe venturum, etiamſi Adamus non peccaſſet. Ambo ergo rectè dicunt, dummodo vellent ſe invicem rectè intelligere. Nam, ſi Adam non peccaſſet, veniſſet Chriſtus in corpore condecente illum ſtatum; quia verò peccavit, venit in corpore paſſibili. Et quia ſcire deſideras, in quali corpore Chriſtus fuiſſet venturus, ſi Adam non peccaſſet, ſcias, eum fuisſe venturum in corpore impaſſibili, ac prorſus tali, quale habuit poſt ſuam Reſurrectionem usque ad Aſcenſionem. 75. Cur autem de hoc & aliis myſteriis in Eccleſia inter Doctores oriantur variæ opiniones, cauſa hæc eſt, quia ſoleo aliquibus Doctoribus largiri

Digitized by Google

largiri lumen de hoc myſterio; aliis de alio myſterio. Et quia hominibus cum lumine ſupernaturali, quod illis tribuo, relinquo ſimul lumen naturale, ſequitur, quod myſteria juxta variam diſpoſitionem, præjudicia, & inclinationem recipiantur diverſimodè, & ſic variè recepta diverſimodè intelligantur, comprehendantur ac explicentur; ex quo oriuntur oppoſitæ ſententiæ. 76. Et opinio quod Chriſtus præcipuè venerit cauſa redemptionis, propterea facta eſt communior, quia myſterium redemptionis notius ac famoſius eſt in mundo. Volo ut myſterium redemptionis æſtimetur & agnoſcatur à mundo; non tamen minus volo, ut homines Verbum Incarnatum agnoſcant tanquam ſuum Caput, & tanquam finem totius creationis. Nam Verbum præter bonitatem propriam meam fuit principale motivum tribuendi creaturis ſuam exiſtentiam. Itaque illud debet eſſe objectum venerationis non ſolùm, quia genus humanum redemit, ſed etiam quia erat motivum creandi hominem. 77. Adverte proin, Chara ſponſa, ex mea providentia ac ordinatione provenire, quod Doctores diverſas teneant ſententias, aliquando etiam falſas, ut contrarietate veritas magis elucidetur. 78. Hoc tempore Satanas conatus eſt per hæreſes lumen fidei obfuſcare; hoc non obſtante reliqua pars Eccleſiæ & ejus veritates nunc ſunt in perfectiſſimo gradu, & Catholici habent lumen fidei nunc perfectiſſimum.

80. 81. 82. DEus etiam mihi contulit intelligentiam primi Capitis Geneſeos, quod proin hic explicabo, ut ex fundamento intelligatur myſterium Incarnationis. Itaque Verba primi Capitis Geneſeos ſic ſonant: *In principio creavit DEUS cœlum & terram; terra autem erat ſine fructibus, inanis & vacua & tenebræ erant ſuper latitudinem abyſſorum* &c. de terra Moyſes dicit, quod fuerit *vacua.* Hoc autem non dicit de cœlo; quia in hoc DEus creavit angelos, eo videlicet momento, quo dixit; *Fiat lux.* Per hanc enim intelligitur lux non tantum

tum materialis, ſed etiam immaterialis, nempe angeli. Eodem tempore, quo DEus creavit cœlum pro ſanctis, creavit etiam terram firmam, & in ejus medio infernum, limbum, & purgatorium. Tunc ſeparavit lucem à tenebris, per quod non ſolùm intelligitur ſeparatio noctis & diei naturalis; ſed etiam diviſio bonorum angelorum à malis.

83. Angeli fuerunt creati in ſupremo cœlo & in gratia. Tam boni quàm mali angeli fuerunt viatores valde exiguo tempore, quod duravit tantùm per tria Inſtantia, ſed aliquantulum diſſita inter ſe. In primo Inſtanti fuerunt creati. Poſt primum Inſtans ſequebatur exigua morula ſeu alterum Inſtans, in quo angelis proponebatur mandatum obediendi DEO. Et in hoc ipſo Inſtanti dabatur illa pugna Michaëlis cum Dracone, de qua ſcribitur Apocal. C. 12.

84. Quamvis in hoc ſecundo Inſtanti omnia potuiſſent peragi celerrimè, intellexi tamen, quod bonitas DEI uſa fuerit aliqua mora ſeu ſpatio temporis, quo durante propoſuit angelis excellentiam ſuæ amicitiæ, & gravitatem peccati; prœmium & ſupplicium; oſtendit illis namque infernum, & pœnas illis præparatas, ſi ſe opponerent DEO. Cùm pertinaces reſtiterint, in infernum detruſi; boni autem in gratia & gloria confirmati ſunt. Et hoc contigit in tertio Inſtanti.

85. 86. 87. Peccatum autem Luciferi intellexi in hoc poſitum fuiſſe. Primò Lucifer conſiderans ſua dona exarſit amore ſui inordinato. In ea conſideratione ſui nimis diu ſe detinuit, & propterea languit in referendis DEO gratiis. Convertit ergo ſe denuo ad ſui conſiderationem; de novo ſibi placuit ſua excellentia, & attribuebat eam ſibi tanquam rem ſibi propriam. Hinc extulit ſe ſupra ſe, & exarſit invidia erga alios ob bonum, quod non habuit, & odio erga DEum & ejus creaturas. Inde exorta ejus voluntas non obediendi Deo, ſe conſtituendi pro obje-

Digitized by Google

ctio adorationis, & delendi creaturas. Blandiebatur ſibi, hæc ſibi eſſe poſſibilia. 88. Oſtenſum autem mihi fuit, Deum angelis revelaſſe, quod Verbum eſſet aſſumpturum naturam humanam, ſicque homo non ſolùm futurus eſſet Deus, ſed & caput angelorum, cui tanquam cauſæ omnium donorum angelis collatorum merito ſe ſubjicerent, cultumque exhiberent. 89. Angeli boni paruerunt; Lucifer invidia motus cum ſuis aſſeclis reſtitit.

90. Mandato parendi DEO, & Chriſto DEus addidit tertium mandatum, nempe, ut angeli etiam futuram Matrem Chriſti agnoſcerent ac venerarentur ut ſuam Reginam, ſuperiorem ſe in omnibus donis. 91. Huic mandato Lucifer cum maximis blaſphemiis reſtitit; ſollicitabat cæteros & dicebat: *Injuſta ſunt hæc mandata.* Irrogatur injuria meæ excellentiæ. Perſequar naturam, quam aſſumere cogitas, & illam mulierem, Verbi matrem.

92. Ad has ſuperbas Luciferi minas reſpondit DEus: *Hæc mulier, quam renuis venerari*, tibi caput conteret, teque vincet, & deſtruet. Si mors per te intrabit in mundum per tuam ſuperbiam, per hujus humilitatem intrabit vita in mundum; & homines ejuſdem naturæ cum his duobus aſſumentur loco tui tuorumque ad gloriam. Lucifer & ejus aſſeclæ ſe opponebat, & boni angeli cum illis pugnabant armis rationis & veritatis.

93. Ibi DEus aliud etiam mirabile oſtendit. Nam poſtquam angelis revelavit myſterium unionis Hypoſtaticæ, oſtendit iisdem, tam bonis quàm malis, B. Virginem in ſigno ſeu figura, monſtravitque in hac muliere naturam humanam puram in ſtàtu perfecto, tanquam opus omnipotentiæ divinæ præſtantius omnibus aliis creaturis, in quo omnes gratias & dona ſuæ dexteræ reponeret. Inde ergo exorta inter angelos bonos ac malos illa pugna, quæ in Apoc. 12. hoc modo deſcribitur.

94. Ver-

94. Verba Scripturæ ſunt hæc: *Apparuit ſignum in cœlo.* &c.
95. Scriptura hìc loquitur de tempore præterito, de eo videlicet, quo angeli mali nondum peccaverant. Vocatur Signum ex triplici ratione; primò, quia in figura præmonſtrabatur B. Virgo, tanquam creatura poſt Chriſtum perfectiſſima, per quam angeli boni certiorabantur, DEum non obſtante peccato malorum angelorum nihilominus miſſurum Chriſtum, eò quod ad hoc exequendum plus moveretur à Chriſto & ejus Matre, quàm retraheretur per peccatum. Secundò, quia hoc Signum, inſtar arcûs fœderis poſt diluvium, ſignificabat, hominibus mediante hoc Signo præparandam veniam; volebat DEus per hoc Signum quaſi dicere: Non puniam homines ſicut malos angelos, quia ex natura humana prodibit fœmina, ex qua naſcetur meus Unigenitus. Tertiò, quia DEus ex intuitione hujus Signi ſe quaſi placatum monſtravit; per quod factum, ut & angeli boni ex intuitione Signi ſe ſolarentur. DEus enim iis inſinuabat, ſe mediante Chriſto & ejus Matre collaturum hominibus gratias in angelis malis perditas. Intelligebant præterea angeli boni in hoc Signo multa myſteria Incarnationis, & Sacramenta Eccleſiæ, & ordinationes divinas.

97. Mali angeli econtra cruciantur valde recordatione, quod non fuerint bene uſi hoc Signo.

98. *Luna ſub pedibus ejus.* Hoc dicitur, quia B. Virgo nunquam eſt in decremento, ſed perpetuo incremento; & Deus ſub ejus pedibus poſuit omnes culpas tam originalem, quam actuales, tanquam victas.

99. *In capite ejus corona ſtellarum duodecim.* Per numerum duodenarium deſignantur duodecim tribus Iſraël; per ſtellas deſignantur ejus virtutes ac gratiæ, quæ in B. Virgine clarius ſplendebant, quàm in omnibus hominibus ſimul ſumptis.

100. 101. 102. *Et in utero habens, clamat parturiens; & cruciatur, ut pariat.* Clamor denotat ſtrepitum in mundo excitatum in Nativitate Chriſti per crudelitatem Herodis, & adventum Magorum. Per cruciatus non deſignantur dolores in partu, quos nullos habuit; ſed illi interni dolores, quos habuit in ipſa Nativitate Chriſti ex conſideratione futuræ paſſionis.

103. 104. *Et viſum eſt aliud Signum in cœlo; & ecce Draco magnus, habens capita ſeptem, & cornua decem, & in capitibus ejus Diademata ſeptem.* Draco hic eſt Lucifer; ſeptem capita ſunt ſeptem legiones dœmonum, in quas totam multitudinem malorum angelorum diviſit. Singulis legionibus præfecit aliquod caput, iisque præcepit, ut ſollicitarent homines ad ſeptem vitia capitalia, nempe ad ſuperbiam, invidiam, avaritiam, iram, luxuriam, gulam, acediam, quæ ſunt illa Diademata ſeptem. Decem cornua ſignificant ſuperbiam & duritiam ſeu obſtinationem Luciferi. Cauda autem ſunt illa promiſſa, quibus ſeduxit tertiam partem angelorum.

105. *Et Draco ſtetit ante mulierem - & mulier fugit in ſolitudinem, ubi habebat locum paratum à DEO, ut ibi eam paſcat diebus mille ducentis ſexaginta.* Solitudo hæc fuit exemptio à peccato originali. Per 1260 dies intelliguntur ultimi dies vitæ B. Virginis, quibûs eam DEus per ſpecialia dona pavit, ut infra dicetur.

106. 107. 108. *Et factum eſt prœlium magnum in cœlo; Michael & angeli ejus prœliabantur cum Dracone.* Pugnabatur ratione & voluntate. Michael dicebat: Altiſſimo competit jus honorare, quem voluerit &c. Lucifer dicebat: DEus eſt injuſtus, elevando naturam humanam ſupra angelicam &c. Michael reponebat: Quis ut Deus? tace, & mittere in tenebras. Nos autem, Angeli Domini, adoremus & honoremus illam Matrem Verbi; hanc pro Regina noſtra agnoſcamus. In hac pugna ſcutum & armatura bonorum angelorum contra malos erat illud

Digitized by Google

illud magnum Signum cœleſtis Reginæ. Nam ex ejus aſpectu Lucifer & ejus argumenta non poterant ſubſiſtere.

110. 111. *Et projectus eſt Draco ille magnus - & audivi vocem magnam dicentem: Nunc facta eſt ſalus; quia projectus eſt accuſator fratrum noſtrorum, qui accuſabat ipſos ante conſpectum DEI die ac nocte.* Vox hæc fuit Verbi nomine humanitatis aſſumendæ; & erat hæc vox quaſi ſupplicatio ad Patrem, ut daretur executioni Incarnatio contra Luciferum, qui accuſabat homines die, id eſt, dum adhuc erat in ſtatu gratiæ, & pergit eos accuſare nocte, id eſt, poſt ſuum lapſum usque ad finem mundi. 112. Hìc fuit prima vice, quod Verbum nomine humanitatis oraverit pro hominibus ante thronum DEI. Pater ſuper hac petitione deliberavit cum Perſonis SS. Trinitatis, & dixit: Lucifer fecit ſic &c. Ego econtra faciam ſic &c. (hic recenſetur in compendio ſeries Actorum per Chriſtum.)

114. 115. Per eandem vocem Patris, exeuntem de Throno Dei, conſtituebatur Michael cum Gabriele Legatus in negotio Incarnationis, videlicet Legatus perpetuus Verbi incarnati & ejus Matris; in quem finem etiam ſimul alii angeli deputabantur. Eadem occaſione decernebantur plura alia, præſertim prædeſtinatio electorum. Nam Evangeliſta dicit: *Nunc facta eſt ſalus, & virtus, & regnum DEI noſtri.*

120. *Væ terræ & mari quia deſcendit diabolus ad vos.* Væ terræ, quia in illa committentur tot ſcelera; & Væ mari, quia videndo tantam impietàtem non extinxit prævaricatores ſuis fluctibus, nec injuriam Dei ultum eſt.

122. Tota prima hebdomada, qua creàtus eſt mundus, Lucifer & ejus angeli laborarunt in excogitandis ſceleribus perpetrandis contra Chriſtum & ejus Matrem. Nam die primo creationis mundi, qui erat Dominicæ, ſe oppoſuerunt DEO. Die ſecundo, videlicet Lunæ, detruſi ſunt in infernum. Quàm primùm

 autem

Digitized by Google

autem in inferno fuerunt; Lucifer collegit concilium plenarium omnium dœmonum, cumque iis deliberavit uſque ad diem Jovis, quibus modis ſe poſſent vindicare de DEO? & concluſum tandem eſt; non fore meliorem modum injuriandi DEum, quàm ſi homines ab ejus amore, ac finali fruitione abſtraherentur. *In hoc*, inquiebat Lucifer, *alloborare debemus*, ut abſtrahamus homines à DEO. &c. Faciam diſſeminari hæreſes &c. thronum meum elevabo ſupra thronum Chriſti &c. Matrem ejus prorſus deſtruam &c. Eja infernales ſocii! ſequimini me audacter. &c.

125. Finito hoc concilio dœmonum Lucifer petiit loqui cum DEO, quod & ipſi die Jovis conceſſum eſt. Sic autem allocutus eſt DEum: *Cum tam crudelis in me fueris*, attamen hominem tentandi mihi licentiam jam conceſſeris, permitte, ut poſſim etiam tentare Chriſtum & ejus Matrem totis viribus.

126. Dominus ipſi reſpondit: *Satan, non debes hoc exigere quaſi jure tibi* debitum. Chriſtus enim eſt impeccabilis &c. & ejus Matrem decrevi præſervare ab omni peccato; ut nullam unquam in ea partem habeas.

127. Satan repoſuit: Quæ eſt hæc illius mulieris ſanctitas, ſi non habet tentatorem? DEus reſpondit: Do ergo tibi licentiam Chriſtum & ejus Matrem tentandi; ſed in vitam eorum nil committas. Hac licentiâ Lucifer magis gaviſus eſt, quam licentia tentandi omnes homines reliquos. Hinc ſibi ſoli reſervavit tentationem Chriſti & ejus Matris.

128. *Et datæ ſunt mulieri alæ duæ aquilæ magnæ.* Una ala fuit Scientia B. Virgini infuſa; altera autem ala fuit ejus humilitas. His duabus alis volabat tanquam aquila ad DEum, cum quo perpetuò habitabat tanquam ſolitaria, ſeparata ab omni affectu terreno, & rebus creatis. In hac ſolitudine cordis habitavit toto vitæ tempore, præſertim ultimo. Et hoc ſignificatur per illa

Digitized by Google

illa Verba: *Ubi alitur per tempus, & tempora, & dimidium temporis*; reficiebatur enim potiſſimùm conſolationibus divinis ultimo vitæ tempore, quo fuit libera ab infeſtationibus Luciferi.

129. 130. *Et adjuvit terra mulierem, & abſorbuit flumen.* Terra virginei corporis in B. Virgine non infecta peccato originali nec ſubjecta concupiſcentiis juvit B. Virginem, ut ſtatim in ea deficiente fomite evaneſcerent tentationes dœmonis.

133. In Capite 8. Proverb. dicitur: quod Sapientia fuerit præſens in creatione cum Altiſſimo, & quod omnia creata diſpoſuerit. Hoc docui intelligendum eſſe de Verbo Incarnato, quod cum B. Virgine præſens erat, quando DEus in ſua mente creationem mundi diſpoſuit. Nam tunc in Ideis divinis aderat & Humanitas Chriſti, & ejus Mater cum omnibus prævifis operibus, quæ ita moverunt divinam complacentiam, ut ad reliqua, quæ potuerunt provocare ejus iram, & retrahere à creatione, quaſi non attenderet.

134. DEus Chriſtum & ejus Matrem voluit eſſe opera perfectiſſima ſuæ Sapientiæ & omnipotentiæ, ad quorum ſimilitudinem decrevit formare reliquum genus humanum, ut per ſimilitudinem hanc pertingerent ad ſimilitudinem cum DEO. Creavit etiam res materiales in mundo, puta Solem, Lunam &c. ut eſſent figura ac Symbolum Chriſti & ejus Matris, quæ ſemper in creatione pro ſuo objecto primario habuit, quia & hæ ambæ perſonæ dividunt lucem à tenebris, & omnes creaturas à ſummo cœlorum usque ad infimum illuminant, & gratiis fovent.

135. Creavit DEus etiam cæteras creaturas, ac propterea majori perfectione eas donavit, quia eſſent ſervituræ Chriſto & ejus Matri, ac mediantibus his etiam reliquis hominibus.

Digitized by Google

136. Sexto die creavit DEus Adamum ut virum, in ætate viri triginta trium annorum, in qua Chriſtus obiit. Erat Adamus quoad corpus Chriſto tam ſimilis, ut vix potuiſſet ab eo diſcerni; immo erat ipſi ſimilis etiam quoad animam. Eva autem B. Virgini erat totaliter ſimillima. DEus ſibi valde complacuit in his duabus perfectis Effigiebus Chriſti & ejus Matris, quos aliquando tanquam completa opera ſuæ Sapientiæ & Omnipotentiæ eſſet creaturus; & ideo eis etiam largam ſuam benedictionem præbuit, ut cum eorum progenie ad interim poſſet delitiari, donec tandem illuceſceret dies pro nativitate Chriſti & ejus Matris.

137. DEus ſpecialiter impedivit, ne Lucifer agnoſceret formationem Adami & Evæ; ſed eos primum Lucifer agnovit, quando jam erant perfectè formati. Tunc primùm admiratus eſt ſtructuram hujus humanæ naturæ, & exarſit invidiâ. Voluit iis ſtatim in continenti adimere vitam; ſed virtute altiore prohibitus eſt.

138. Lucifer ſuſpicabatur Adamum eſſe Chriſtum, & Evam eſſe ejus Matrem; & hæc ſuſpicio crevit, quando expertus eſt, ſe vi altiore impediri, ne eis tolleret vitam. Senſim tamen ex circumſtantiis agnovit falſitatem ſuæ ſuſpicionis.

139. Sacra Scriptura dicit, quod Lucifer cum Eva fuerit locutus in forma ſerpentis.

140. Poſt lapſum Adami & Evæ Lucifer oſtendit aliis dæmonibus incredibilem jubilum & exultationem. Sed non duravit diu triumphus, quia vidit, quod per contritionem iterum recuperaverint gratiam.

141. 142. Multiplicato partu Evæ facta eſt diviſio electorum, & reproborum. Et per Abel & Cain fundatæ ſunt duæ civitates, Babylon reproborum, Jeruſalem electorum.

143.

Digitized by Google

143. DEus permiſit effluere multa ſæcula usque ad Nativitatem Chriſti, ut haberet per multiplicationem humani generis populum, cui præeſſet.

146. 147. 148. 149. Liber Geneſis continet creationem &c. Liber Exodi continet egreſſum ex Ægypto &c. Liber Levitici continet cæremonias &c. Liber Numerorum præter alia continet etiam neceſſaria ad Arithmeticam ſeu Artem numerandi. &c. (hoc modo dat Summam omnium Librorum V. T.)

152. 153. 154. Liber Joſue continet facta, quæ præfigurant gerenda in Eccleſia. Heli & Saul ſua morte figurant reprobationem Veteris Legis. Temporibus hucusque deſcriptis (in Geneſi, Exodo, Joſue, Judicum) vixit Job.

155. Nullum eſt myſterium pertinens ad Adventum Meſſiæ & ad ejus legem, quod non fuerat revelatum & declaratum à DEO in Prophetis. Idem præſtitit DEUS antiquis Patribus & Patriarchis.

156. Quando Abraham volebat, perficere Sacrificium in Iſaac, DEus ipſe ab hoc eum impedivit.

157. Scala oſtenſa Patriarchæ Jacob eſt Chriſtus, qui eſt via & Scala ad Patrem.

159. David in Pſalmis incluſit omnia myſteria & Sacramenta non ſolùm Legis gratiæ, ſed etiam Legis ſcriptæ & naturalis.

160. Salomon in Canticis loquitur de myſteriis Chriſti & Eccleſiæ.

161. Iſaias totam vitam Chriſti tanta claritate prædicavit, ut ejus Prophetia videatur eſſe ipſummet Evangelium. In illis verbis Iſaiæ: *Emitte Domine agnum dominatorem terræ de petra deſerti ad montem filiæ Sion*, per deſertum intelligitur cœlum, quia hominibus erat vacuum. Mons eſt Eccleſia, ac præſertim B. Virgo. Hanc Propheta recognoſcit tanquam mediatricem, ut per eam moveatur cœleſtis Pater ad mittendum Agnum.

162. DEus voluit, ut omnia prænuntiarentur & præfigurarentur in V. T., in conteſtationem antiquæ ſuæ dilectionis, ac providentiæ erga Eccleſiam.

163. 164. Ante adventum Chriſti impietas jam ſupremum gradum tenuit, ut Deus habuiſſet jus deſtruendi mundum; hinc tempus congruentiſſimum oſtendendi miſericordiam.

165. Chriſtus præmiſit duo lumina Joachim & Annam. Joachim habebat ſuam habitationem & cognationem in Nazareth Galilææ.

166. 167. Anna nata erat in Bethlehem. Supplicabat continuò pro Adventu Meſſiæ, & non eſt dubium, ejus preces pro Adventu Meſſiæ accelerando plurimum valuiſſe. Eadem poſtulabat à Deo ſibi dari conjugem pium, & eodem tempore Joachim poſtulabat ſibi dari conjugem piam. Itaque Miſſus eſt ad Annam angelus Gabriel, in viſione corporali eam conſolans, eò quod paritura eſſet Matrem Dei. Hoc tamen ei non manifeſtavit, ſed præcisè adhortabatur, ut eſſet conſtans in oratione; Deum enim illi proſpecturum.

168. Apparuit Gabriel etiam Joachimo, ſed in ſomno, non corporaliter. Joachimus advertit ad ſe dirigi hæc verba: *Sis benedictus* &c. *Sume Annam in conjugem.* Paruit ſtatim voci, & habitavit cum illa in Nazareth; per aliquot tamen annos non manifeſtarunt ſibi invicem myſterium, quod illis contigerat. Cæterùm rerum domeſticarum adminiſtrationem ſic ordinabant. Redditus omnes annuatim diſtribuebant in tres partes; unam offerebant ad Jeroſolimitanum templum pro cultu divino; ſecundam largiebantur pauperibus; tertiam in ſuos neceſſarios uſus reſervabant. Et quia ſic liberales erant in diſtribuendo, augebantur bona illorum.

171. Viginti annis erant infœcundi, ob quod valde erant contempti apud vicinos. Itaque emiſerunt votum, quod prolem

lem eſſent DEO oblaturæ in templo, ſiquam DEUS ipſis concederet.

173. Poſtquam integro anno in orationibus pro impetranda prole perſtiterunt, Joachim profectus eſt Jeroſolimam, ut pro ea gratia impetranda in templo offerret Deo. Sed, dum vellet offerre, increpatus eſt vehementer ab alio ſacerdote minoris conditionis, Iſaſchar nomine, dicente: *Quomodo tu audes offerre DEO, homo inutilis & infœcundus. Apage, & cave, ne tuis ſacrificiis indignetur DEUS, utpote non acceptis coram ejus divinis oculis.* Joachim totus confuſus ſe convertit ad DEum, dicens: Tuo imperio acceſſi, ſed is, qui tuas vices agit, me repellit &c. Tunc receſſit à Templo in ſuam villam, ubi hanc Orationem DEO obtulit: *æterne DEUS* &c.

175. Interea angelus revelavit Annæ, placiturum DEO, ſi ab eo peteret prolem. Itaque ſic oravit: Summe DEus &c.

177. Tunc DEus manifeſtavit angelis ſuam voluntatem incarnandi Verbum; & hæc manifeſtatio ſuæ voluntatis ſic contigit, quaſi dixiſſet: *Statuimus incarnare Verbum, & in eo redimere genus humanum.* &c. - *Joachim & Anna invenerunt coram nobis gratiam - Angelus Gabriel hæc læta ipſis nuntiet -*

178. Poſtquam ea voluntas Dei manifeſtata fuit angelis, exivit vox de Throno Dei, dicens: *Gabriel, perge ad Joachim & Annam, & nuntia, Annam concepturam eſſe filiam, cui imponemus nomen Maria.*

179. Tunc Gabriel ſtatim deſcendit ad Joachim, quem reperit orantem. Dixit autem ad illum: *Anna pariet filiam, quæ erit benedicta inter mulieres, & illam beatam dicent omnes generationes. Ille, qui potens eſt, mittit me ad te, quia opera & eleëmoſinæ tuæ placuerunt illi. Dominus ipſemet poſuit nomen illius Maria. Ab infantia offeratur in Templo DEO, ſicut promiſiſti. Hæc filia erit magna & electa, & repleta Spiritu Sancto - aſcende in templum, & in ſignum eorum, quæ nuntiavi,*

reperies ad Portam Auream tuam conjugem, ex hac ipſa cauſa properantem in Templum.

180. Totum hoc nuntiatum fuit Joachimo in ſomno, qui ipſi fuit immiſſus in longa ſua oratione.

181. Eodem tempore orabat Anna DEum pro accelerando adventu Meſſiæ; ſicque orabat: Summe Rex &c.

182. Omnia autem hæc conferebat Anna cum angelo ſuo cuſtode, qui tunc clarius ſolito ei apparuerat; & erat occupata in meditatione de futura matre Meſſiæ.

183. Tunc intravit ad eam Gabriel angelus ſole ſplendidior, & dicebat: *Anna, ancilla* altiſſimi; DEus exaudivit preces tuas - perge ſic orare pro ſalute generis humani - Moyſes per preces obtinuit victoriam ſuo populo. Eſther per preces avertit internecionem ſuæ gentis. Judith per preces confortabatur ad tanta opera - David ſuperabat Goliath, quia invocavit Dominum. Elias per orationem detraxit ignem e cœlo, & clauſit cœlum aut aperuit. Humilitas, fides, & Eleemoſinæ Joachimi, tuæque venerunt ad thronum DEI - DEUS elegit te in matrem illius, quæ paritura eſt Unigenitum Patris. Paries filiam, quæ divina ordinatione habebit nomen Maria; erit benedicta inter mulieres, & repleta Spiritu Sancto. Erit nubes, unde depluet ros cœli, erit porta vitæ, & ſalus filiorum Adam. Joachimo quidem nuntiavi, quod habiturus eſſet filiam beatam ac benedictam; ſed Dominus ipſi abſcondit hoc myſterium, quod eſſet futura mater Meſſiæ. Itaque hoc myſterium ſerves in corde tuo. Nunc cito eas in Templum - ad portam auream occurret tibi Joachim, cum quo de hac re conferas.

185. Nec DEus, nec Anna unquam aperuit Joachimo, quod ejus filia unquam eſſet futura mater Meſſiæ, usque ad articulum mortis; tunc enim DEus ipſi revelavit hoc myſterium.

Digitized by Google

186. 187. Poſt conceptionem corporis B. Virginis, antequam illi infunderetur à DEO anima, obtinuit Anna viſionem DEI, in qua ejus pars inferior animæ elevabatur & ſpiritualizabatur valde. DEus tunc dixit ad illam: *Anna, ancilla mea* &c.

191. Cum jam appropinquaret tempus Incarnationis, tres Perſonæ in Trinitate ſic loquebantur ad invicem: *Nunc eſt tempus*, creandi animam puram, in qua peccatum originale non habeat partem. Hæc ſit imago & ſimilitudo noſtræ Deitatis. In illa colligemus omnia privilegia & gratias, quas in primo noſtro Decreto conditionato deſtinavimus pro angelis & hominibus, ſi perſeveraſſent. Quia autem hæc dona perdiderunt, ne propoſitum conſilii noſtri penitus pereat, compenſa abimus jacturam in hac anima, etiam cum emolumento. - Deſcendam in uterum Virginis, & incarnabor - non convenit noſtræ juſtitiæ & providentiæ, in operibus noſtris operari quidpiam, quod non ſit decentiſſimum, perfectiſſimum, ſanctiſſimum, & maximum præ omnibus aliis. Decentiſſimum autem eſt, matrem Verbi ponere in ſtatu admirabiliſſimo, ſanctiſſimo & præſtantiſſimo. - 193. Volumus, ut Incarnatum Verbum ratione tabernaculi ſui glorificetur. - 197. Nativitas & formatio corporis in matre Verbi ſequantur communem curſum naturæ. - 198. Vobis angelis mandamus, ut eam cuſtodiatis, & illuminetis.

199. Poſt hanc allocutionem Dei angeli ſe quaſi proſtraverunt ante thronum Dei. Singuli fecerunt nova Candica Laudis divinæ, eò quod venerit hora, quam per tot ſæcula exſpectarunt.

201. 202. 203. 204. 205. 206. 207. Tunc Deus conſtituit nongentos angelos pro cuſtodia B. V. videlicet ex ſingulis novem Choris angelos centum. Item conſtituit pro ea duodecim alios angelos, qui viſibiliter ipſi ſemper præferrent Symbola Redemptionis; & hi ſunt illi angeli, qui in Apocalipſi C. 21. dicuntur cuſtodire duodecim portas Civitatis. Præterea conſtituit Deus

Digitized by Google

octodecim alios ſublimiores angelos, qui ſervirent tanquam tabellarii in Scala Jacob referendo B. Virgini ea, quæ ad illam nuntiat Deus, & viciſſim referendo ad Deum ea, quæ inquirere B. V. voluit à Deo. Nihil enim agebat, nec minimum, niſi prius conſulta voluntate Dei. Præter angelos præfatos inſuper Deus denominavit ſeptuaginta Seraphinos ſuo throno proximos, ut familiariter converſarentur ac colloquerentur cum B. Virgine, eo modo, quo angeli inter ſe ſolent colloqui. Numerus hic ſeptuagenarius correſpondet cum annis, quibus B. Virgo vixit: non enim vixit tantum ſexaginta annos, ſed ſeptuaginta. In hoc numero ſeptuagenario includuntur etiam illi ſexaginta fortes, qui cuſtodiebant Lectulum Salomonis. Hi principes ex ſupremo ordine angelorum propterea obtinuerunt hunc honorem inſerviendi B. Virgini, quia in illo certamine contra Luciferum præ aliis ſe monſtrarunt generoſos; Decem reliqui, qui complent numerum ſeptuagenarium, etiam erant ex altiori ordine, & ex numero eorum, qui fortius certarunt contra Draconem. Omnes ergo angeli hucusque recenſiti nempe 900. 12. 18. 70. faciunt numerum millenarium. Omnibus loco generalis præfectus fuit Michael; Gabriel autem conſtitutus fuit in Legatum in negotiis ad B. Virginem pertinentibus. Diſtributio officiorum inter hos mille angelos facta eſt juxta menſuram devotionis, & fervoris, quem ſinguli erga Chriſtum aut B. Virginem demonſtrarunt, quando ipſis primitus à Deo revelebatur myſterium incarnationis. Cæterum quando hi angeli corporaliter apparebant B. Virgini, ſemper etiam repræſentarunt aliqua Symbola pertinentia ad Incarnationem & paſſionem Chriſti, vel ad dignitatem Mariæ. Sed B. Virgo non intellexit ſignificationem horum Symbolorum, quia Deus angelis ſpecialiter inhibuit, ne manifeſtarent illi, quod aliquando eſſet futura mater Meſſiæ.

108.

Google

208. Eligebantur in parentes B. Virginis ex omnibus hominibus ſanctiſſimi. Si enim extitiſſent in terra perfectiores, eos haud dubiè Deus elegiſſet in parentes ſuæ Matris.

209. Quando Joachim cum Anna inivit matrimonium, ipſe erat 46; hæc autem 24 annorum. Viginti annis vixerunt in ſterilitate. In conceptione B. Virginis quoad corpus reliquit quidem Deus naturæ curſum; abſtulit tamen omnem deordinationem & imperfectionem, ſic ut naturæ tantum permiſſa fuerint ea, quæ erant neceſſaria ad conceptionem. 210. 211.

213. In conceptione B. V. Joachim & Anna ita fuerunt præſervati à delectatione concupiſcentiæ, ac remoti, ut abfuerit ea imperfectio à peccato originali proveniens, quæ aliàs ſolet intervenire. Hinc materia manſit pura ab ea imperfectione; ac conſequenter poterat etiam facile in ea conceptione abeſſe peccatum originale. 217.

214. Corpus B. Virginis accepit temperamentum perfectiſſimum ex quatuor humoribus, ſanguineo, melancolico, phlegmatico, colerico; & hoc temperamentum ſic continuavit durante vita B. V., ut nullus eorum humorum unquam prædominatus ſit. Ex hoc conſequebatur, quod hi quatuor humores non egerint ad corruptionem mutuam aut corporis; ſed potius ad conſervationem. Nec calor unquam excedebat, nec frigus. Calor nunquam erat major, quam opus erat ad conſervationem & concoctionem; nec frigus majus unquam fuit, quam opus fuit ad refrigerandos reliquos humores.

216. Juxta noſtrum modum loquendi verum eſt, quod Deus majorem curam adhibuerit in formando hoc ſolo corpuſculo B. V. quàm in creatione cœli & terræ.

218. 219. 220. Conceptio corporis B. V. contigit die Dominico. - Et quamvis pro infuſione animæ in maſculis circiter requi-

Google

requirantur 40 dies; in fœmellis 80, in B. Virgine tamen anima infuſa eſt corpori ſtatim ſeptimo die, eò quod intra tot dies jam ſufficienter fuerit formatum ejus corpus. Itaque creatio & infuſio hujus puriſſimæ animæ contigit die Sabbati; ob quod S. Spiritus ordinavit, ut dies Sabbati ſacraretur B. Virgini. Sic & datur ratio, cur à feſto Conceptionis B. V. quod repræſentat Conceptionem animæ, Eccleſia numeret novem menſes usque ad Nativitatem B. V.

220. In creatione hujus animæ SS. Trinitas uſa eſt his verbis: Faciamus Mariam ad noſtram imaginem, in noſtram ſponſam, & matrem Unigeniti ab eſſentia Patris.

221. In hoc ſtatim momento ea anima repleta eſt majoribus gratiis, ac donis, quàm Seraphini. Et ab hoc momento jam habuit uſum rationis, ne illa dona ullo unquam inſtanti eſſent otioſa.

222. In hac creatione audita etiam eſt vox Dei dicentis, ut in creatione mundi; *quod eſſet valde bonum.*

223. Eo tempore, quo infuſa eſt hæc anima, S. Anna rapta eſt in Ecſtaſin, in qua valde fuit illuminata & mota in Deum; & hi effectus perdurarunt potiſſimùm per novem menſes ſubſequentes.

224. Deus tunc ad B. Virginem convertit totum torrentem ſuæ Divinitatis; eamque replevit majoribus gratiis, quàm fuêre unquam collatæ omnibus Sanctis ſimul ſumptis.

225. B. Virgo à primo momento ſuæ conceptionis jam elicuit virtutes theologicas, fidei, ſpei, & charitatis; quia jam tunc in utero materno cognovit myſterium SS. Trinitatis, ac diſtinctionem trium perſonarum; nec à primo momento Conceptionis ceſſavit ullo unquam inſtanti vel unico ab actibus ſpei ac piis motibus in DEUM. Nec omnes Seraphin pertingent unquam ad tam inflammatos actus, quos B. Virgo jam tunc in utero materno elicuit.

226.

Digitized by Google

226. B. Virgo erat prædita ſcientiâ infuſâ etiam naturalium artium; per hanc ſcientiam cognovit omnia naturalia & ſupernaturalia, decentia Deum; & erat hæc ſcientia tanta, ut à primo momento ſuæ Conceptionis in utero materno plus ſciverit de Deo & ejus operibus, quàm ſciverunt omnes creaturæ, excepto Chriſto, & ſcient per totam æternitatem. Similiter ipſi infuſæ ſunt omnes virtutes morales & naturales; nec conſiſtebant tantùm in habitu, ſed etiam in actuali exercitio earum actionum, quæ decebant ejus ſtatum.

227. B. Virgo in utero materno etiam exercuit actum Religionis; & propterea ſuo puſillo corpuſculo fecit genuflexionem. Hac genuflexione plus promeruit, quàm omnes Sancti in ſummo apice ſanctitatis.

228. In momento ſuæ Conceptionis habuit viſionem Dei, non quidem intuitivam, attamen per ſpecies divinitatis tam claras ac diſtinctas, ut per illas eſſentiam Dei, ac in ea eſſentia omnes creaturas tam clarè agnoverit, ac una creatura agnoſcit aliam. Illæ ſpecies fuerunt inſtar ſpeculi, in quo videbatur divinitas cum omnibus creaturis. Et per has ſpecies clarius ac diſtinctius agnovit omnes creaturas, quam eas cognovit per ſcientiam infuſam in ſeipſis.

231. Jam tunc etiam vidit ſuos mille angelos cuſtodes, quos ſtatim invitavit, ut alternatim decantarent laudes Dei; & ipſis denuntiavit, hoc fore ipſorum Officium per decurſum vitæ. Tunc etiam agnovit omnes ſuos Majores, usque ad Adam; & beneficia à Deo ipſis præſtita. Quando autem agnovit lapſum Adami, profudit copioſas lachrimas.

232. Itaque ſtatim tunc obtulit preces pro genere humano, quæ fuerunt acceptiores Deo, quàm preces omnium Sanctorum & angelorum.

234. In ipſa verificatum fuit illud Cant: *Ego dormio & cor meum vigilat.* Quia licet ſenſus fuerint ſopiti, cor tamen vigilabat in luce Deitatis. Et hoc decuit Reginam angelorum, qui verſantur in continuis actibus, ne in ullo genere ipſis eſſet inferior.

235. Deceret, ut hæc myſteria explicarentur verbis ſublimioribus; ſed hæc non habeo; & ſi etiam haberem; non poſſet ea humana infirmitas aſſequi.

236. Dixi, quod B. Virgo in primo momento Conceptionis habuerit viſionem abſtractivam Dei; ea tamen erat perfectior omnibus viſionibus Dei abſtractivis; & in ea cognovit plura objecta, quàm Beati in cœlo per viſionem intuitivam. Et quamvis ea viſio non fuerit beatifica ac intuitiva, erat tamen proxima beatificæ viſioni; quamvis, ut poſtea dicetur, B. Virgo per decurſum vitæ ſuæ ſæpius habuerit etiam intuitivam.

238. B. Virgo ad me dixit: Chariſſima filia; volo, ut ex deſcriptione meæ vitæ colligas fructum moralem; audi me igitur, quia loquar ad te verba vitæ æternæ. Docebo te ea, quæ continent ſummam ſanctitatem & perfectionem vitæ Chriſtianæ.

239. Debetur Deo ex juſtitia, ut creatura, quamprimum obtinuit uſum rationis, primum ſuum motum dirigat in Deum, eum agnoſcendo, amando, colendo, & tanquam ſuum creatorem ac ſupremum Dominum adorando.

240. Si creatura non ſtatim in primo uſu rationis cognovit & adoravit, tenetur hoc præſtare, quando hoc ſummum bonum agnovit per fidem.

241. 242. Poſtquam auſcultaveram hanc doctrinam B. Virginis, dicebam ad illam: Præſumptionis graviſſimæ foret, deſcribere tuam vitam, niſi in hoc obtemperandum eſſet voluntati filii tui, & tuæ. Loquere igitur, quia audit ancilla tua. Perge me docere & illuminare, ut habeam materiam laudandi Deum, & meum cor demergendi in infinitum mare tuarum perfectionum.

243.

Digitized by Google

243. Deus mihi multa explicavit de iis, quæ S. Joannes in Apocalypſi C. 21. adducit: Itaque afferam hìc aliqua de iis, quæ mihi deſuper revelavit. Dicit S. Joannes: *Vidi cœlum novum & terram novam - & vidi ſanctam civitatem Jeruſalem novam deſcendentem de cœlo, paratam ſicut ſponſam ornatam viro ſuo.* Novum cœlum eſt Humanitas Chriſti; & nova terra eſt B. Virgo, non ſubjecta maledicto.

248. Oſtenſa eſt S. Joanni B. Virgo per modum civitatis & ſponſæ, ut ſic melius agnoſceret ac cautius cuſtodiret theſaurum ſibi in Calvario monte à Chriſto in cruce concreditum.

251. Cum B. Virgo fuerit ſponſa Dei, quis credat, eum retinuiſſe ullam gemmam ſui theſauri; aut ullam gratiam ſuæ omnipotentiæ poſſibilem pro ornanda hac ſua ſponſa? - Deſcendit parata & ornata ipſi Deo, qui dedit illi omnia, quæ voluit; voluit autem omnia, quæ potuit; videlicet omnia, quæ non erant propria ſoli Deo. Dedit ergo, quod eſt proximum Deo, & remotiſſimum à peccato.

253. 254. *Et audivi vocem magnam de throno dicentem. Ecce tabernaculum Dei cum hominibus* &c. Hæc vox de throno exiit mediante angelo, qui, ut mihi videtur, cum ſancta æmulatione ita locutus eſt: *Ecce Deus* aſſumet humanam naturam mediante tabernaculo Mariâ.

255. *Mors ultra non erit, neque luctus, nec clamor, nec dolor.* Pro iis, qui participant fructum Redemptionis, non erit amplius mors, nec verus luctus. Dolor naſcens ex miſeriis non eſt verus dolor aut luctus, ſed tantum apparens, qui cum ſummo gaudio ſtare poteſt.

258. *Ego ſum Alpha & Omega.* Complebo omnia mediante opere Chriſti & Mariæ: nam propter has duas perſonas incepi & complebo omnia opera gratiæ.

Digitized by Google

265. *Et venit ad me unus de ſeptem angelis habentibus phialas plenas ſeptem plagis noviſſimis; & locutus eſt ad me dicens: Veni, & oſtendam tibi ſponſam, uxorem Agni.* Ex his ſeptem angelis unus erat, per quem Deus vindicat injurias B. Virgini illatas, quia Mariam inſana temeritate contempſerunt; & ſic iram Dei provocaverunt. Nam quia SS. Trinitas decrevit, B. Virginem mundo proponere ut ſpeculum Divinitatis, eamque hominibus conſtituere in unicam mediatricem, ipſe ſibi reſervat vindictam de hæreſibus, & injuriis contra illam.

266. S. Jeruſalem, & uxor Agni eſt B. Virgo.

269. 270. In Conceptione B. V. SS. Trinitas renovabat quaſi ſuum Decretum, & quaſi ſic dicebat: Ad dignitatem ſponſæ & Matris Dei, jure, & ex debito ſequitur, ut conſtituatur in Dominam totius Univerſi. Decet etiam, ut demus ipſi poteſtatem in theſauros & dona divinitatis, ſic ut ejus manibus conſignentur theſauri infinitæ noſtræ miſericordiæ, ut eos poſſit pro ſuo arbitrio diſpenſare, & pro ſua voluntate neceſſarias gratias ac dona in homines diſtribuere.

271. Deus non revelavit B. Virgini hoc Decretum, ſed voluit, ut oraret pro ſalute hominum, præſertim eorum qui ipſam invocarent. Promiſit ipſi inſuper, quod coram divino tribunali nihil ipſi ſit denegandum; imperet Draconi, & eum authoritativè ab animabus repellat, & cum poteſtate; ſemper enim eam habituram aſſiſtentiam brachii divini. Cauſa tamen hujus gratiæ ipſi non fuit revelata, nempe quod eſſet futura Mater Dei. Dicit Evangeliſta, quod ea Civitas etiam habuerit muros, ut omnes ad eam confugiant tanquam ſecurum refugium, tanquam Dominam Univerſi, & diſpenſatricem theſaurorum ac beneficiorum cœleſtium.

273. *Et habebat civitas murum altum, habentem duodecim portas, & in portis angelos duodecim, & nomina inſcripta duodecim*

Digitized by Google

cim tribuum Iſraël. Horum angelorum officium eſt, Clientes Mariæ ſuis inſpirationibus invitare ad Civitatem. Per duodecim tribus indicantur omnes electi. Porta eſt Maria.

274. Cum admirarer ob hanc dignitatem B. Virginis, nempe quod ipſa ſit mediatrix & porta omnium electorum, mihi inſinuatum fuit, ſic decere. Cum enim B. Virgo paſſa fuerit cum Chriſto & in Chriſto, cujus caro erat ipſius caro, Chriſtus ei contulit dignitatem hanc, ut & ipſa eſſet Redemptrix; & contulit ipſi merita ac fructum redemptionis, ut ea diſtribueret, & eadem non niſi per illius manus Electis obtingerent. O admirabilis theſauraria Dei, quàm bene tuis manibus concrediti ſunt theſauri omnipotentiæ Dei! *Ab Oriente portæ tres; ab Aquilone portæ tres &c.* Quælibet enim ex tribus perſonis permittit aditum liberum B. Virgini ad ſuum Thronum, ut ibi ſupplicando petat dona pro ſuis Clientibus, iiſque diſtribuat. Quomodo ſe excuſabunt hæretici, gentiles, & peccatores, ſi noluerint intrare per apertam portam; maximè cum theſauri ſint in manu hujus Reginæ, & ipſa per angelos vocet ad intrandum?

283. DEUS ſibi elegit B. Virginem in habitationem pulcherrimam, & quantum in pura creatura eſt poſſibile, perfectiſſimam.

284. Deus ipſi contulit poteſtatem in dæmones, ob quod non audebant accedere ad ejus divinam præſentiam. Neque ullus dæmon unquam ad eam acceſſit ſine pœna & dolore. Hanc poteſtatem in dæmones habuiſſent omnes homines, ſi per peccatum primi hominis eam non perdidiſſent.

285. Sæpe in vita vidit Deum clarè.

286. *Tertium fundamentum Calcedonius.* Hic lapis habet ſuum nomen à regione Calcedoniæ, & lucet ad lumen candelæ in tenebris. Significat nomen & virtutes Mariæ. Nomen Mariæ etiam ſumitur à regione originis nempe terra; & in lingua latina

 muta-

Digitized by Google

mutato accentu ſignificat vaſtum mare gratiarum. Venit in mundum ad pellendas tenebras.

287. *Quartum Smaragdus.* Deus B. Virgini contulit virorem Smaragdi, ut nempe poſſit ſuis Clientibus diſtribuere virorem & ſoliditatem Sanctitatis.

288. *Quintum Sardonius.* Hic lapis habet aliquid de nigro. Nigredo hæc ſignificat, quod corpus B. Virginis per multas mortificationes & tribulationes fuerit quaſi aduſtum. Per hoc fundamentum fuit ipſi collatum, ut per ſuam interceſſionem pretium redemptionis ſufficiens pro omnibus fiat efficax pro ejus Clientibus.

289. *Sextum Sardius.* Hic lapis repræſentat flammam; & ſignificat, quod amor in B. Virgine ſine ulla interruptione ſemper creverit usque ad perfectiſſimum gradum, puræ creaturæ poſſibilem. Tunc & conceſſa eſt B. Virgini hæc ſpecialis gratia, ut iis, qui id ab illa petierint, diſtribuat influxum Spiritus Sancti, ejus amorem ac gratiam.

290. B. Virgo ardentiſſimo ſemper amore cooperata eſt pro ſalute generis humani. Cum hoc amore jam in primo momento ſuæ conceptionis præparata eſt in coadjutricem Chriſti. Tunc ipſi conceſſum eſt privilegium impetrandi ſe invocantibus gratiam, ut cum fructu recipiant Sacramenta.

291. *Octavum Beryllus.* Tunc ipſi conceſſum eſt, ut ſuis Clientibus largiatur magnam fortitudinem in tribulationibus, & patientiam, & ut de his virtutibus vi divini auxilii diſtribuat.

292. *Nonum Topazius.* Tunc ipſi conceſſum fuit, ut ejus Clientes per ejus interceſſionem impetrent caſtitatem & conſtantiam in hac virtute.

294.

Digitized by Google

294. *Undecimum Hyacinthus.* Tunc conceſſum ipſi eſt hoc ſingulare privilegium, ut nullus peccator, cujuscunque generis, quantumvis magnus & enormis fuerit, ſi Mariam de corde invocaverit, ob ejus interceſſionem excludatur à fructu redemptionis & juſtificatione; ſed mediante hac Advocata conſequatur vitam æternam.

295. *Duodecimum Amethyſtus.* Hic lapis ſignificat aliquam vim exeuntem ex B. Virgine contra dœmones, ſi illi appropinquant. Tunc illi conceſſa eſt gratia ab humanis corporibus pellendi dœmones per invocationem ejus nominis; ſic ut vel ex ſola auditione hujus nominis omnes infernales vires debilitentur, & opprimantur.

296. *Et Duodecim portæ.* Numerus tot portarum indicat, quod per Mariam, ejus dignitatem & merita aditus in cœlum facilis redditus ſit & patens. Maria agnovit, quod conſtituta ſit à Deo in unicam mediatricem humani generis, & in diſpenſatricem theſaurorum Dei.

297. *Platea civitatis aurum mundum.* In hac platea repoſitæ fuerunt divitiæ ſufficientes, ut totum genus humanum eruatur à paupertate.

301. *Reges terræ afferent gloriam ſuam in illam.* Maria dicit de ſeipſa (Prov. 8.) quod reges per eam regnent, & principes imperent, & potentes decernant juſtitiam. Diligit diligentes ſe; & qui colunt Mariam, vitam æternam habebunt; nam qui in ipſa operantur, non peccabunt.

302. Non abſcondam hìc lumen ſæpius mihi oſtenſum. Nam mihi oſtendebatur in Deo, quod omnibus difficultatibus Eccleſiæ Catholicæ, & omnibus tribulationibus Chriſtiani populi ſemper quovis tempore fuerit remedium allatum per interceſſionem B. Virginis; & quod his afflictis temporibus, quibus hæreſes tam ſuperbè inſurgunt, unicum hoc remedium ſuperſit, ut nempe regna Catholica & reges ſe convertant ad Matrem miſericordiæ.

Digitized by Google

303. Quando principes catholici in conſervatione fidei, in debellandis ſuis hoſtibus, in bellis contrá infideles ſunt infelices, id provenit ex eo, quia non reſpiciunt ad hanc ſtellam polarem, & quia Mariam non conſtituunt pro immediato ſcopo ſuorum operum & cogitationum.

304. O Supremum Caput Eccleſiæ, & purpurati principes; O Rex Hiſpaniæ; ad quos ex mandato altiſſimi hanc meam veram admonitionem dirigo; deponite veſtras coronas & Monarchiam ad pedes hujus Imperatricis; quærite hanc reparatricem generis humani, & confugite ad illam; nam in ipſius manibus reperiuntur claves voluntatis divinæ & theſaurorum Dei.

308. *Nihil intrabit coinquinatum.* Si peccatores pœnitentes humiliter ad portam hujus civitatis accedant, quærendo puritatem gratiæ, eam invenient in hac porta cœleſtis Reginæ; nec eam invenient in ulla alia porta.

309. B. Virgo ad me dixit: *Filia, memoria* tua ſemper ſit affixa in conſideratione eſſentiæ divinæ, & perfectionum divinarum; nec ab hoc impediaris per attentionem ad aliam rem, quantumcunque neceſſariam.

310. O Domina, SS. Trinitas tibi promiſit, quod ſemper velit concedere, quæ vis & petis, nec quidquam tibi denegare.

311. Poſt conceptionem B. Virgo ſtatim exarſit in amore divino, quem toto vitæ tempore nunquam interrupit. Habuit etiam in utero materno tres viſionem abſtractivam Dei, nempe in momento Conceptionis, in medio novem menſium, & die præcedente partum.

312. Cum B. Virgo jam in utero materno habuerit perfectiſſimum uſum rationis, exercuit ſe in continuis orationibus pro genere humano, & in actibus amoris aliarumque virtutum; ob hoc non ſenſit incommoditates illius ſtatus, nec ad illas attendit.

313.

313. In ultima viſione Dei, quam B. Virgo in utero materno habuit, & in qua ipſi revelatum, quod nunc inſtet tempus nativitatis, ſic Deum precata eſt. O anima meæ vitæ &c.

314. 315. 316. 317. &c. Lucifer obſervabat interea omnes fœminas in mundo, an nullam deprehenderet, quæ ſimilis foret mulieri illi, cujus ſignum in cœlo viderat. Hanc curam in ſe ipſemet ſuſcepit, & ob hoc in terra circuivit; aliis autem dœmonibus tantùm commiſit poteſtatem tentandi alias pias mulieres. Itaque obſervabat etiam S. Annam; & quia adverterat circa eam angelos, & exire ex ea virtutem contra ſe, ſuſpicabatur, an non forte ipſa eſſet illa mulier. Statuit proin, illi adimere vitam, aut certè procurare, ut partus pereat in utero. Primò immittit S. Annæ varios timores, triſtitias, & dubia, an verè eſſet gravida, experturus, an forte daret aditum tentationibus. Dein voluit evertere domum S. Annæ, ſed impeditus fuit ab angelis. Tandem concitavit aliquam mulierem in vicinia, quæ contumelioſa verba jactando in S. Annam excitare conabatur litem. Cùm S. Anna non frangeretur his continuis contumeliis, commovit propriam ejus ancillam in ſuam Dominam.

319. 320. Avidè exſpecto finem hujus Capituli, ut protinus audiam doctrinam B. Virginis, quam mihi ad finem cujuslibet Capituli dare ſolet. Hanc ergo exſpecto ſummo jubilo, & exultatione ſpiritûs. Loquere proin, o Regina, quia audit ancilla tua. Si autem permittis, proponam aliquod dubium. Conſiſtit hoc meum dubium in eo, quomodo ſtantibus tot donis potueris timere, ne forte excidas amicitia divina; præſertim cum ſciveris, te præſervatam fuiſſe ab originali?

322. B. Virgo ad me dixit: Verum eſt, quod propter dona ac beneficia mihi à DEO collata impoſſibile fuerit, me ſtantibus illis peccare; ſed tamen DEUS mihi abſcondit hanc ſecuritatem.

Digitized by Google

325. Nativitas B. Virginis contigit octavo die Septembris. B. Virgo tunc ſic rapta eſt in Ectaſin, ut ab omnibus ſenſibilibus operationibus fuerit abſtracta. Nata autem eſt (326) pura ſine ſordibus hora duodecima noctis.

327. S. Anna ſtatim obtulit filiam Deo, ſic dicens in corde ſuo: Gratias tibi, Deus, quod præparaveris hoc tabernaculum, in quo Verbum habitare dignabitur.

328. Angeli faciebant natæ Muſicam, quam & S. Anna percepit.

329. In momento Nativitatis miſit DEUS Gabrielem in Limbum Patrum, ut eam Patribus nuntiaret. Hi autem, ut intellexerunt, natam eſſe matrem Meſſiæ, novis Canticis laudârunt Deum.

330. - 335. Satim poſt ejus Nativitatem miſit Deus innumeros angelos, qui eam cum corpore & anima deportarunt in cœlum proceſſionaliter cum Hymnis & Canticis. B. Virgo ſic portata manibus angelicis in ſummum cœlum ſe ſiſtit ante thronum Dei, eumque genuflexa adorat. Deus autem elevat eam, & eam ponit in ſuo throno ad ſuum latus, tanquam Dominam omnium creaturarum. In eo tempore ipſi etiam indulſit viſionem intuitivam Dei. Hac occaſione B. Virgo uſa petiit, ut Verbum aſſumeret naturam humanam, hocque remedium generis humani accelerarct. Deus etiam promiſit, ſe petita brevi executurum. Inſuper ex conſenſu SS. Trinitatis tunc in cœlo ipſi datum nomen Maria, quod ſtatim fuit manifeſtatum angelis; audierunt enim vocem exeuntem de throno Dei; ac dicentem: Volumus, ut electa noſtra vocetur Maria; & ut hoc nomen ſit admirabile; omnes, qui illud devotè venerabuntur, accipient copioſas gratias; omnes qui hoc nomen devotè pronuntiaverint, conſolabuntur & confortabuntur; omnes in hoc nomine ſalutem in ſuis miſeriis, & lumen ad viam æternæ vitæ invenient. Deus præcepit tunc Angelis, ut nuntiarent S. Annæ hæc Decreta. B. Virgo autem coram thro-

throno Dei iterum genuflexa gratias egit. S. Angeli proni in ſuas facies ſe projicientes venerabantur nomen Mariæ. Tunc reportarunt eam in manus S. Annæ ignaræ geſtorum, quia aliquis angelus aſſumendo corpus phantaſticum interea ſupplevit in terra vices B. Virginis. Accedit, quod S. Anna interea etiam rapta fuerit in Eċtaſin. Poſt oċto dies deſcenderunt multi angeli e cœlo, tenentes ſcutum, in quo erat ſcriptum nomen Mariæ. Hi revelarunt S. Annæ, quod nomen filiæ ſit Maria. Ea verò cum S. Joachim ſtatim vocavit cognatos & Sacerdotem, & impoſuit filiæ nomen Maria. Angeli ſimul faciebant muſicam, quæ tantum audiebatur à matre & filia.

336. Liceat tibi, o Domina, proponere aliquod dubium; nempe hoc; quomodo fieri potuerit, quod fueris corporaliter translata in cœlum; cum tunc portæ cœli nondum fuerint reſeratæ; ſed Chriſtus eas primus aperuerit? Reſpondit mihi B. Virgo: Chariſſima filia; cœlum tantum fuit clauſum pro iis, qui nati fuerunt in peccato originali.

343. B. Virgo ad me dixit: Volo, ut quoties memoriæ tuæ occurrit meum nomen, gratias Deo agas pro privilegiis huic meo nomini conceſſis; quod ſi hoc exercitium omittas, dole, & fatere culpam.

344. Partus S. Annæ, quo peperit B. Virginem, erat omnino purus, & ideo non indigebat purificatione; nihilominus ſubjecit ſe legi purificationis, ſicque coram oculis hominum non verita eſt videri tanquam immunda.

345. Poſt finitos dies purificationis S. Anna filiam portavit in brachiis ad oſtium tabernaculi comitantibus multis angelis. Ibi locuta eſt ſummo Sacerdoti S. Simeoni, qui, cùm multis annis ſe detinuerit in templo, obtinuit hanc gratiam à Deo, quod B. Virginem potuerit ſæpius propriis manibus offerre Deo; quamvis ejus excellentiam, quod eſſet futura mater Dei, non agnoverit.

Digitized by Google

346. S. Anna pro purificatione obtulit in templo agnum, & turturem.

347. Tunc renovat ſuum votum, poſt triennium ſuam filiam offerendi Deo in Templo 349. In ſignum quod hæc oblatio fuerit accepta Deo, deſcendit è cœlo clarum lumen, quod filiam & Matrem ſenſibiliter illuminavit, & inflammavit. Aliquid de hoc lumine etiam advertit S. Simeon.

350. Dœmon, quando vidit S. Annam pro ſe & filia offerentem, dimiſſis ſuſpicionibus credidit hanc matrem aliis mulieribus ſimilem.

351. 352. B. Virgo, quando in infantia flevit, aut ſuſpiravit, id fecit ex conſideratione peccatorum hujus mundi, aut pro impetrando adventu Meſſiæ. Quando dormiebat, non tamen propterea omiſit internos actus amoris nec interrupit internos actus, à ſenſibus externis independentes.

353. O Domina, proponam tibi aliquot dubia, quæ mihi per decurſum hujus Capituli inciderunt. Quod ſi hæc mea interrogatio foret culpabilis ac temeraria, loco reſponſionis da mihi aliquam reprehenſionem. Primum meum dubium conſiſtit in eo, utrum in infantia tua paſſa fueris incommoditates naturæ, & famem? & ſi hæc paſſa es, ut alii infantes, quomodo petiiſti cibos & alia ſubſidia? Item ignoro, an tibi moleſta fuerint ligatio per faſcias, earum religatio, & ciborum ingeſtio? Hæc omnia deſidero ſcire.

354. B. Virgo mihi reſpondit; habui incommoditates, ut alii infantes, famem, ſitim, & alia, ut ſic imitarer meum filium, qui & ipſe talia admiſit

355. Libenter etiam admiſi faſcias, quia per lumen internum agnovi, etiam Verbum in paſſione admiſſurum vincula. Quando eram ſola reſolutis faſciis, oravi expanſis brachiis, quia ſciebam dilectum meum moriturum in cruce.

356.

Digitized by Google

356. Quamprimum veni in mundum, ſtatim adverti influxus elementorum, Planetarum, & ſyderum, pro quibus proin Deo gratias egi.

362. 363. Quando nongenti angeli ad cuſtodiam B. Virgini deputati illi quandoque apparebant corporaliter, id factum in ſpecie elegantiſſimi juvenis. Corpus erat inſtar cryſtalli. Veſtis defluebat in terram; & erat ſplendidiſſima inſtar auri fuſi, variegata pulcherrimis coloribus. Quamvis videretur non poſſe tangi, poterat tamen videri & ſentiri, ut fulgor ſolis. In capitibus gerebant coronas contextas ex pulcherrimis coloribus. In manibus portabant varias palmas. Ad pectus habebant aliquod Inſigne inſtar Ordinum Militarium. In illo Inſigni litteris alphabeticis in ſe invicem inflexis ac intextis ſcripta erant hæc verba: *Maria Mater DEI.* Sed B. Virgo hanc Scripturam tunc nondum intellexit, nec angeli eam explicarunt usque ad Incarnationem Verbi.

367. Quando 70 Seraphini B. Virgini apparebant, id factum in ea forma, quam deſcribit Iſaias C. 6. nempe cum ſex alis. Duabus tegebant caput, & duabus pedes; duas reliquas extendebant aut iis volabant.

371. 372. 373. Duodecim illi angeli, quando apparebant viſibiliter, erant prioribus nongentis ſimiles, niſi quod pro clientibus Mariæ geſtaverint multas coronas & palmas in manibus. Hos angelos ablegabat B. Virgo ad thronum Dei ad offerendas ſuas preces pro ſuis Clientibus, aut mittebat eos ad homines, prout & hos frequenter miſit ad Apoſtolos in variis negotiis. Octodecim alii angeli præferebant inſignia ac inſtrumenta paſſionis Dominicæ, præſertim verò gerebant ad pectus, & in brachio Crucem. Et his quoque angelis utebatur B. Virgo ad varias legationes. In apparitionibus ſolent angeli habere corpora pellucida.

376. B. Virgo ad me dixit: Chariſſima filia, cogita, quoties vocaveris hos angelos, & non reliquerunt te ſine reſponſo? quoties petiiſti ab iis, ut tibi monſtrarent inſignia tui Dilecti, & monſtrarunt ea tibi?

377. B. Virgo in infantia ſtatim poſt nativitatem non propterea omiſit loqui, quod non potuerit, ut cæteri infantes, ſed quia noluit; nam ipſius imperio ſubjectæ erant omnes creaturæ; conſequenter paruiſſet etiam lingua, ſi voluiſſet loqui. Tacuit ergo ultrò per ſpatium unius anni cum dimidio, ne excitaret admirationem de ſe.

378. Quando tamen erat ſola, ut non poſſet obſervari ab hominibus, loquebatur cum angelis, aut fundebat preces vocales ad Deum; ſed S. Anna nunquam filiam ſuam in ea ætate loquentem audivit.

379. Ex illa viſione intuitiva Dei, quam B. Virgo habuit in momento nativitatis, ſemper in ea remanſerunt ſpecies; & ideo fuerunt in illa viſiones & apparitiones intellectuales quaſi continuæ. In his viſionibus exarſit tanto amore, ut exinde ejus corpuſculum fuerit vehementer fatigatum; adeo ut debuiſſet mori, niſi fuiſſet ſupernaturaliter conſervata.

382. Habuit familiaria colloquia cum ſuis angelis. Ab iiſdem ſæpe fuit corporaliter portata in cœlum, ubi fruebatur præſentia Dei. Quando ſic fuit portata in cœlum, aliquoties ibi habuit viſionem intuitivam Dei, aliquoties verò tantum per ſpecies, quamvis clariſſimas.

388. Decimo-octavo menſe poſt nativitatem cœpit loqui; & tunc habuit viſionem Dei per ſpecies.

396. Prima ejus verba fuerunt, quod à parentibus petierit benedictionem.

Digitized by Google

399. B. Virgo in infantia voluit everrere, & lavare; & dum ipſi hoc non fuit conceſſum, ſatagebat hoc facere, quando erat ſola; & tunc angeli eam adjuvabant.

400. Domus S. Joachimi nec erat egens, nec locuples. Petiit tamen à matre, ut ſibi non darentur veſtes pretioſæ aut elegantes, ſed groſſæ, viles, detritæ, & griſei coloris ſeu cinerei, prout nunc geſtant moniales S. Claræ.

401. Nunquam egit contra voluntatem matris ſuæ; & ſic etiam recepit veſtes, ſuo deſiderio quoad colorem & formam conformes, ac ſimiles illis veſtibus votivis, quibus indui ſolent infantes ex voto. Ad ſuas operationes petiit benedictionem & licentiam à matre.

402. Interdum ſecedebat ſeorſim in aliquod templum, vel in cubiculum, ubi ſolitaria oravit.

407. 408. Ad finem vergente triennio S. Anna in Ectaſi monita eſt, ut expleret votum offerendi filiam in templo. Idem mandatum fuit S. Joachimo per aliquam revelationem; nempe ut offeratur filia in templo ultimo die triennii.

413. Omne, quod eſt Deus, & omne quod operatur in creaturis, continetur in Maria, tanquam in Arca.

414. Sicut Arca erat ſcabellum ad Propitiatorium, ita per nullam aliam creaturam aſcenditur ad thronum gratiæ niſi per Mariam. Videtur ergo, quod tribunal juſtitiæ remanſerit apud Deum; ſedes autem miſericordiæ poſita fuerit in Maria, ut cum fiducia accedamus ad illam tanquam thronum gratiæ, & preces noſtras deponamus beneficia, gratias, & miſericordiam implorando, quæ extra thronum gratiæ hujus cœli Reginæ non exaudiuntur, nec exſecutioni mandantur.

416.

Digitized by Google

416. B. Virgo expleto triennio infantiæ è domo patris ſui Joachim in brachiis ſuæ matris Annæ fuit deportata in Templum; ſicut olim Arca V. T. translata eſt, ut legitur 2. & 3. L. Regum, & L. 1. & 2. Paralipomenon.

420. Itaque Joachim & Anna in comitatu cognatorum exeunt è Nazareth, ut filia in brachiis matris offeratur in templo. Iter comitabantur ultra ordinarios mille angelos alii angeli è cœlo, qui faciebant muſicam usque ad urbem Jeruſalem, quam tamen percepit ſola B. Virgo.

421. Quando perventum eſt Jeroſolimam, S. Anna duxit filiam manibus in templum, ubi fuſa à parentibus oratione ſtatim ſplendor aliquis replevit totum templum; & audita eſt vox dicens: Veni ſponſa mea, electa mea, veni in Templum meum &c. Tunc parentes duxerunt filiam ad Sacerdotem & ad domum puellarum, quæ ibi honeſtè educabantur usque dum elocarentur matrimonio; præſertim ſolebant ibi educari primogenitæ ex tribu Juda, & ex tribu Levi.

422. Aditus ad eam Domum ſeu habitationem puellarum convictricum erat per ſcalam quindecim graduum, per quos aliqui Sacerdotes deſcendebant, ut B. Virginem reciperent. Tunc valedicebat genuflexa parentibus, & petiit ab iis benedictionem, qua impetrata ſola aſcendit per gradus. Summus Sacerdos Simeon eam tradidit mulieribus Magiſtris, inter quas etiam erat Anna Prophetiſſa.

428. Anna Prophetiſſa, ejus Magiſtra, aſſignavit illi cubiculum ſeparatum ab aliis puellis.

429. 430. 431. Cum iſta trimula aliquando cum aliis colloqueretur, rapta eſt in Ectaſin, & ab angelis cum corpore & anima portata in ſummum cœlum, ubi benevolè à SS. Trinitate excepta eſt. Hæc erat ſecunda clara intuitiva viſio Dei intra triennium. Tunc Pater cœleſtis futuram matrem ſui Unigeniti ſic allocutus eſt: Columba mea, - oſtendam tibi theſauros meæ Divi-

Digitized by Google

Divinitatis, & quanta præparaverim diligentibus me. - Volo ut ſis teſtis horum theſaurorum, quæ vidiſti. B. Virgo reſpondit: Si inter theſauros tuos etiam ſunt paſſiones, has etiam mihi concede &c.

432. Poſtquam Deus hoc petitum conceſſit, B. Virgo ab eo petiit, ut ſibi liceret deponere vota quatuor, nempe paupertatis, caſtitatis, obedientiæ, & perpetuæ clauſuræ in templo. Deus reſpondit: Permitto tibi deponere votum caſtitatis. In aliis operare interea ſine voto, quantum potes.

433. Tunc B. V. emiſit ſtatim votum caſtitatis. Propoſuit etiam deponere affectum ab omni creatura, & obedire omni creaturæ propter Deum.

434. Tunc Seraphini eam induerunt variis ornamentis, videlicet pretioſa toga, zona, collari; in quibus gemmæ pretioſiſſimæ. Digitis inſerunt ſeptem annulos. SS. Trinitas capiti impoſuit coronam Imperialem. Dein parabatur amictus candidus, in quo aureis litteris intexta erant hæc verba: *Maria filia æterni Patris; ſponſa Spiritûs Sancti; & mater veri luminis.* Sed hæc ultima verba B. Virgo non intellexit. Exiit etiam vox de throno SS. Trinitatis dicens: *Eris noſtra ſponſa*, &c.

435. Tunc Deus deſponſavit ſibi B. Virginem, ut in ea reponeret omnes divitias congruas huic dignitati. Illa autem dixit: *O DEus* &c.

436. Deus gratam habuit hanc oblationem ſuæ ſponſæ, & in manus illius conſignavit omnes divitias ſuæ omnipotentiæ & gratiæ; juſſitque, ut peteret, quidquid vellet, nihil enim illi fore denegandum. Nil tamen aliud petiit, quam ut mitteretur Chriſtus; utque parentes una ſecum augerentur gratia &c. Angeli cantarunt proin laudem Deo, & eam è cœlo reportarunt in terram.

Digitized by Google

437. Ut B. Virgo exequeretur, quæ ſtatuerat in cœlo, ſtatim tradidit ſuæ Magiſtræ omnia in ſuos uſus relicta à Matre, reſervatis ſibi tantùm aliquibus libris & veſtimentis; rogabat etiam Magiſtram, ut illa diſtribuerentur in pauperes. Aliis autem puellis concedebantur pecuniæ in ſuos uſus.

439. B. Virgo ad me dixit: *Deſiderium meum* deponendi quatuor vota adeo placuit Deo, ut per hoc promeruerim, quod poſtea in Eccleſia erigerentur ſtatus religioſi. Ea autem, quæ tunc propoſui, conſtanter ſervavi. Nunquam aſpexi faciem hominis, ne quidem S. Joſephi, aut angeli.

441. B. Virgo ad me dixit: *Volo, ut mea* inſtructio tibi ſufficiat, ut omnia exequaris, quæ tibi præſcribo, & pro poſſibili me ſequaris ut diſcipula magiſtram. Sollicitè hanc doctrinam propone tuis ſubditis monialibus, & pro ejus executione allabora.

442. Dixi ad B. Virginem: *Peto, ut mihi* explices ea, quæ pertinent ad obligationem meorum quatuor votorum, quæ in meo monaſterio vovi.

443. B. Virgo reſpondit: Qui vovit obedientiam, non habet amplius electionem ullius actionis, niſi quam injungit, cui ſe ſubjecit.

444. Eadem mihi dixit: Certam te facio, Chariſſima filia, quod perfecti & veri Religioſi pertingant ad meritum Martyrum, immo illud tranſcendant.

450. Item. Obedientium peccata Deus non reſervat in ſua memoria pro die judicii; immo propter ſacrificium obedientiæ delet etiam reliqua peccata.

451. B. Virgo pergens ulterius in mei inſtructione dixit: Si divitiæ tantis obnoxiæ difficultatibus in earum obtentione, quantis erunt obnoxiæ poſt obtentam poſſeſſionem? Loquantur hoc, qui pondere divitiarum depreſſi delapſi ſunt in infernum; loquantur

hoc

hoc curæ immodicæ in conſervandis divitiis, & leges intollerabiles, quas amor divitiarum invexit.

456. Item. De neceſſariis vitæ plus non admittas, quàm præcisè ſufficit ad hoc, ne moriaris. In cibis nihil deſideres, niſi quod affert minorem guſtum; & ut tibi præbeatur, quod guſtus non deſiderat, econtra denegetur, quod guſtus appetit.

459. Quia Virginitas eſt ſpecialis fructus paſſionis filii mei, ideo dicitur, quod virgines ſequantur agnum, quocunque ierit.

465. 466. B. Virgo expleto ætatis triennio petiit genuflexa à Sacerdotibus & Magiſtra Ordinem diurnum ac rationem ordinandæ vitæ; tunc Sacerdos ad eam dixit: Filia mea &c.

468. Sacerdos illi præſcripſit ſequentem ordinem: Interſis divinis laudibus in templo. Hora octava veſpertina eas cubitum; illuceſcente aurora ſurgas. Tunc ores usque ad horam tertiam (quæ correſpondet cum noſtra Nonâ). A tertia hora usque ad veſperam te occupes in labore manuali. Reſiduas diei horas impende lectioni Scripturæ, & aliis, quæ Magiſtra juſſerit.

470. Petiit etiam licentiam ſerviendi aliis puellis, mundandi patinas, everrendi domum.

473. 474. Leges temperantiæ nec unquam transgreſſa eſt, nec potuit transgredi. Quamvis ſomnus in ipſa non impediverit contemplationem, libenter tamen illo caruiſſet. Legit multas Scripturas veteris Teſtamenti; & eas ſic intellexit, ut nullum illi myſterium fuerit clauſum. Deus enim ipſi omnia revelabat, & ipſa omnia diſcutiebat cum angelis.

480. 481. 483. Animæ potentiæ in B. V. nunquam habuerunt concupiſcentiam, quæ potuiſſet vinci; ut contingit in aliis Adæ poſteris. In ipſa proin omnes hæ virtutes ſummam ac ultimam perfectionem conſecutæ ſunt; quin potuerit dici; hoc adhuc deficit, aut deeſt à perfectione ſumma. Nulla virtus ipſi defuit in gradu perfectiſſimo.

Digitized by Google

484. B. V. ad me dixit: Filia mea, omnibus hominibus indiſcriminatim Deus confert lumen virtutum naturalium; & illis, qui ſe per eas virtutes naturales, & per ipſius auxilia diſponunt, confert dein virtutes infuſas, dum eos juſtificat.

487. In B. Virgine extitit virtus fidei in altiſſimo & perfectiſſimo gradu, quem abſolutè potuit habere. Idem repetitur N. 488. 489.

489. Etiamſi ſola B. Virgo fuiſſet in mundo, pro ipſa ſola Deus condidiſſet virtutem fidei. Nam ejus fides fuit intenta à Deo, ut ſerviret pro pignore certò, ne conſilium Dei fruſtraretur omnimodè; & ut ſupplerentur per eam omnes defectus hominum in materia fidei.

492. B. Virgo, quando habuit viſionem intuitivam Dei, aut quando uſa eſt ſpeciebus abſtractivis certis, non exercuit fidem; hinc Deus retinuit influxum ſpecierum clararum, ut poſſet exercere fidem, quæ eſt obſcura. In tali ſtatu ſcientia deſiit, & fides ſubintroiit; & in tali ſtatu Deus B. Virginem interdum reliquit.

493. Ille actus, quo creditur, quod eſt innegabile, non eſt meritorius. Quando credidit angelo nuntianti, merita eſt præmium, quia non eſt uſa ſcientiâ, ſed fide. 494. Quando perdidit JESUM, non eſt uſa ſcientiâ infuſâ, nec claris ſpeciebus. Idem contigit in Calvaria.

495. Nullum fuit momentum in vita B. Virginis, quo ejus intellectus fuerit otioſus, aut quo Deum è ſuo conſpectu dimiſerit. Nam fides tunc ſolùm in ea interrupta fuit, quando habuit claram aliquam viſionem Dei per aliquam ſcientiam infuſam.

497. B. V. omnia ſcivit, quæ credidit; & omnia credidit, quæ ſcivit. Nam infuſa theologica ſcientia credibilitatis myſteriorum fidei reperta fuit in B. Virgine in ſublimiſſimo gradu, puræ creaturæ poſſibili.

498. In fide attigit ultimos limites perfectionis.

503. Spes eſt deſiderium conſequendæ beatitudinis.

Digitized by Google

506. Ea attigit in B. V. ſupremum gradum, & omnem poſſibilem perfectionem. Nam B. Virgo exequebatur ejus actus extrema, quæ in pura creatura eſt poſſibilis, perfectione.

507. Beneficia, myſteria, ac dona, quæ Deus operatus eſt in B. Virgine, tam magna erant, ut brachium Omnipotentis non potuerit ſe ulterius extendere. Quia verò ea dona recipienda erant mediante fide & ſpe, neceſſe eſt, etiam fidem ac ſpem in illa fuiſſe tam magnam, quanta in pura creatura erat poſſibilis.

516. Si nos non movet ad amandum Deum, quod ſit ſummum bonum in ſe, ſaltem nos moveat ad hoc, quod ſit noſtrum ſummum bonum.

520. Amor increatus non poterat quieſcere, niſi ſe communicaret alicui puræ creaturæ cum tanta plenitudine, ut in illa amor totius generis humani in compendium contractus eſſet, & ipſe ſolus pro toto humano genere ſufficeret; & poſſibilem gratitudinem rependeret, & increato amore ſine defectu frueretur. Ipſa ſola amavit Deum propter Deum ſine alio reſpectu. Suo amore ita operata eſt, ut cœlum & terram in omnibus entibus creatis melioraverit.

521. B. Virgo ſola ſatisfecit pro debito creaturarum quod habent erga Deum pro immenſo ejus amore, & ſic ſupplevit omnia, quæ aliàs potuiſſent à creaturis exigi.

522. Ex hoc intelligimus, quod omnia bona & omnis felicitas creaturarum aliquo modo fundentur in amore Mariæ erga Deum. Ipſa fecit, quod hæc virtus in ſummo ac perfectiſſimo gradu ſubſiſteret inter creaturas. Ipſa totaliter ſolvit debitum pro omnibus, dum omnes non pertingerent ad debitam gratitudinem, Ipſa hoc amore ſuo perfectiſſimo aliquo modo poſſibili obſtrinxit, ut mitteret filium ſuum pro ſe & toto genere humano. Si enim Maria minus amaſſet, aut ſi ejus amor habuiſſet aliquem defectum, non extitiſſet in natura capacitas ac diſpoſitio ad incarnationem. Cum autem talis fuerit reperta, jam erat

quaſi legitima conſequentia, ut ad eam DEUS deſcenderet.

523. Totum hoc includebatur in illo titulo, quem ipſi Spiritus Sanctus dedit, dum eam vocavit *Matrem pulchræ dilectionis.* Eccleſ. 24. ipſa eſt mater pulchræ dilectionis, quia ſola in ſuo animo peperit perfectum amorem, & in eo nos inſtruxit. Nulla enim alia creatura in cœlo aut in terra reperiebatur, à qua angeli vel homines potuiſſent diſcere perfectum amorem, quàm Maria. Hinc omnes Sancti ſunt quaſi radii hujus ſolis, aut rivuli hujus maris; nam tanto perfectius ſciunt amare, quo plus attrahunt de hujus amore, & quo perfectius illi conformantur.

525. Ipſa eſt impletio perfecta mandati, diligendi Deum ex toto corde. Nam Maria ſola eatenus obligationem omnium creaturarum exſolvit, à quibus hoc mandatum non poterat perfectè impleri ante viſionem intuitivam Dei in cœlo. Ipſa fidejuſſit Deo pro omnibus viatoribus ad cœlum, quod hoc ejus præceptum diligendi ex toto corde non eſſet futurum ſupervacaneum & inutile. Nam ipſa ſola hoc loco omnium implevit, & largiter ſupplevit, quod in aliis defecit. Immo, niſi Deus condendo hoc præceptum præ oculis habuiſſet B. Virginem, forte illud alio modo propoſuiſſet. Propter eam solùm hoc præceptum poſuit; & ideo ipſi debemus tam ipſum præceptum, quàm ejus perfectam impletionem.

530. B. V. ad me dixit: Si diligis aliquam creaturam, & non attendis ad Deum, nec illam amas propter Deum, non amas eo modo, quo Deus id à te requirit.

533. Potentiæ B. V. indigebant purificari in eo, quod naturaliter neſcivit.

536. Cum in memoria B. V. fuerint contentæ ſpecies omnium rerum, etiam impurarum, rogavit Deum, ut deletis ſpeciebus immundorum objectorum conſervarentur tantùm ſpecies honeſtarum rerum; quod & illi conceſſum eſt.

543.

Digitized by Google

543. 544. B. Virgo habuit ſcientiam Enarchiæ, ſub qua credo intelligi artem regendi ſeipſum, Poliarchiæ, Oeconomiæ, & Politiæ. Hæc omnia ſcivit in habitu.

545. Exercitium ſcientiæ regendi habuit B. V. initio Eccleſiæ; dum Apoſtolos inſtruxit, admonuit, & rexit, ut fundaretur Eccleſia, in eaque leges, conſuetudines, & cæremoniæ inducerentur. Et quamvis obedierit Petro & Joanni, nihilominus hi duo illam conſuluerunt in rebus pertinentibus ad regimen Eccleſiæ, ejusque reſolutiones ſecuti ſunt. Poſt Aſcenſionem Domini Chriſtianis Regibus & principibus dedit inſtructionem, quam ab illa petierunt; nam multi deſideraverunt illam noſſe. Præſertim ejus conſilia ſecuti ſunt tres magi, dum adorantes JESUM inſtructi ſunt à B. Virgine, quomodo ſe & ſuas regiones regere deberent. In horum confirmationem adducam verba Cœli Reginæ: *Per me*, inquit, *reges regnant*, &c.

546. Nec defuit B. Virgini ſcientia politica; nam civibus, & populis, præſertim primis fidelibus oſtendit, qualiter ſe gerere debeant in negotiis publicis & in adminiſtratione, & quomodo inſtituere debeant Concilia Eccleſiæ. Habuit & militarem ſcientiam, de qua conſulta à fidelibus docuit, quomodo juſta bella inchoari & perfici debeant.

547. In illa quoque fuerunt Syneſis, Eubulia, Gnome, Epicheia; id eſt, ſolidum judicium, conſilium, ratiocinatio, benigna interpretatio.

552. Juſtitiam diſtributivam exercuit in diſtributione bonorum, & officiorum inter Chriſtianos & Diſcipulos primitivæ Eccleſiæ; quæ diſtribuebantur juxta ipſius ordinationem, aut interdum conſilium.

555. Ipſa fuit totaliter amor, puritas, ſanctitas, perfectio. In ipſa erat gratia omnis veritatis, & via ſecura vitæ. Non judicabat unquam temerè, quia cognoſcebat omnia interiora cordium.

560.

Digitized by Google

560. Omnes creaturæ ipſi debuiſſent exhibere obedientiam, quia erat Domina mundi.

562. Gratias retulit DEO, quantum puræ creaturæ erat poſſibile.

563. Conata eſt reducere peccatores per punitionem, prout fecit erga Judam.

568. Fortitudo, quæ eſt inter quatuor virtutes Cardinales, ſervit ad moderationem iræ. 570. Et hac indiguit contra dœmones impedientes, ne conſequeretur, quod rogavit à Deo.

572. Nunquam monſtravit ſigna in exteriori geſtu alicujus fœmineæ infirmitatis, aut iræ externæ. Nunquam propter injurias vultum, multo minus animum mutavit.

573. Revelatum mihi fuit, quod ne quidem contra ipſos Crucifixores in B. Virgine extiterit ullus modus iræ, quamvis etiam juſtus fuiſſet; quia DEus noluit, ut ea eſſet quaſi accuſatrix peccatorum, quæ fuit electa in eorum advocatam.

585. Nunquam comedit carnem proprio arbitrio; & una tantùm vice comedit in die; hunc morem tamen non obſervavit, dum vixit cum S. Joſepho, aut dum peregrinabatur cum Chriſto.

590. Ipſa fuit aurora gratiæ, initium omnis boni creaturarum, centrum divini amoris, circumferentia omnipotentiæ divinæ.

591. In ipſa extiterunt ſigna potius divinæ, quàm humanæ creaturæ.

592. Sicut Pater omnia creata dedit in manus Filii; ita filius omnia dedit in manus ſuæ matris. Ob relucentem ex ea dignitatem fuiſſet credita eſſe quid ſublimius homine, niſi fides docuiſſet, eam eſſe puram creaturam, ſicut id confeſſus eſt Dyoniſius Areopagita.

600.

Digitized by Google

600. Dona Spiritus Sanƈti fuerunt in Chriſto tanquam in fonte; ſed in B. Virgine eadem pariter fuerunt tanquam in ſtagno vel mari, ex quo fuerunt derivata in omnes creaturas. Idem inſinuatur in illo textu Prov. 9. *Sapientia ædificavit ſibi domum* nullum enim Catholicorum latet, hanc domum eſſe Mariam: in ipſa enim præparata fuit nobis menſa, ut ſatiaremur influxu ac donis Spiritus Sanƈti.

602. Infinitum mare ſapientiæ divinæ ſe exoneravit in B. Virginem; & ideo cognovit ſtatum mundi; proprietates elementorum; initium, medietatem, & finem temporum; curſum ſyderum, naturam animalium, vires ventorum, cogitationes hominum, virtutes plantarum, arborum fruƈtuum; ac denique ipſas vias occultas & myſteria Dei. Hæc omnia B. Virgo cognovit per donum Sapientiæ.

609. B. Virgo ad me dixit: Si homines evacuarent ſuum cor à terrenis affeƈtibus, infunderet ſe illi fluvius infinitæ Deitatis per dona Spiritus Sanƈti ſine omni menſura.

612. Viſiones, revelationes, & eƈtaſes ſemper ordinantur in pondere & menſura à DEO ad fines, qui exiguntur ab Eccleſia. 614. Interdum tamen revelationes ordinantur ad bonum particulare illius, qui eas recipit; nempe ad ſanƈtificationem & illuminationem. 615. Eò quod ejusmodi raptus & revelationes ſint medium ex ſua natura magis uniforme ac proportionatum ad infundenda ejusmodi ſingularia lumina.

617. Veritati nihil decedit, etiamſi aliqui permiſerint, ſe falſis revelationibus decipi. Hæc deceptio ſæpius contigit fœminis ob earum ignorantiam & affeƈtus; nihilominus etiam multos, quantum apparebat, fortes & doƈtos viros involvit. In omnibus autem ex mala radice ortum habuit. Non loquor hîc de iis, qui diabolica malitia falſas revelationes confinxerunt; ſed de iis, qui fraude dœmonis, quamvis non ſine ſua culpa, decepti,

Digitized by Google

eas paſſi ſunt. Nam ſerpens antiquus, dum ſcit eorum ſocordiam in continendis affectibus, & exiguam exercitationem internorum ſenſuum in divinis rebus inſtillat occultam ſuperbiam, qua credunt, ſe eſſe dilectos amicos Dei. Exinde ſubtrahit humilem timorem, & replet deſideriis curioſis ſciendi ſublimia, & habendi revelationes, & gaudendi donis ſingularibus, quibus tandem aperitur diabolo porta, ut eos circumveniat erroribus, & phantaſiis, quin tamen res verè divinas intelligant, ſed tantùm aliquas apparenter divinas, ut his ſuum venenum contegat.

618. Huic deceptioni quis obviare poteſt, ſi non deſideret ſcire valde ſublimia, & omnia committat judicio ſervorum Dei, ac docti Confeſſarii. Securiſſimum eſt, ejusmodi dona nunquam petere, ſed ſemper timere periculum, præſertim in initio, in quo periculum majus eſt. Nam quamvis DEus incipientibus ſoleat immittere ſolatia, id fit, ut abſtrahantur à vitiis, non ut de ſe confidant. Ipſæ Ecſtaſes, quæ ex admiratione oriuntur, ſunt magis ſigna ignorantiæ, quàm amoris. Attamen ſi amor ſit colliquefactivus, & ſecum trahat Dominium omnium affectuum, tunc paratum eſt lumen revelationum; & plus animo præparatur, quo minus revelationes deſiderat. Hìc docti viri non mirentur, quod ejusmodi dona tam ſæpe obtingant fœminis, nam, præterquam quod polleant tenero amore, etiam ex eo DEus infirma hæc inſtrumenta eligit, ut ſint argumentum ſuæ omnipotentiæ, & quia earum miſeretur, utpote aliunde non præditarum ſubſidio ſcientiæ theologicæ.

619. 620. B. V. ſæpe habuit revelationes & viſiones. Eæ erant quintuplicis generis. Primi generis eſt viſio intuitiva clara: Ad hanc requiritur omnimoda depuratio potentiarum ab omnibus reliquiis peccati, præſertim perſonalis, etiam venialis.

625. 626. Ad viſionem intuitivam claram inſuper requiritur præter purgationem à reliquiis peccati, quæ adhuc habet moleſtiam ob memoriam peccati, & tœdium de propria natura, lumen ſerenans,

Google

nans, & tranquillans, quo anima ſit propinquior ad illam beatitudinem, ac denique lumen gloriæ.

628. Secunda eſt viſio Dei abſtractiva per ſpecies à ſolo Deo infuſas. 631. Tertia eſt intellectualis, qua videntur & materialia & immaterialia; & habetur nonnunquam per ſpecies infuſas, ſed per ſpecies quæ ſunt in phantaſia, accedente tamen quodam lumine ſupernaturali, quo myſteria intelliguntur. Hunc modum revelationis habuit Joſephus in Ægypto, Daniel, & David. Et eſt modus ſecuriſſimus, quia nec dœmones nec boni angeli poſſunt illud ſupernaturale lumen infundere, licet poſſint commovere ſpecies in phantaſia.

633. Hæc viſio intellectualis in B. V. fuit perpetua, quando non habuit viſiones ſublimiores. Per eam plus agnovit, quam omnes prophetæ, & angeli; agnovit enim illa mediante eſſentiam & proprietates DEI usque ad infimam creaturam; in omnibus enim creaturis agnovit participationem creatoris, ejus ordinationes, & providentiam.

634. 635. 636. Quarta viſio eſt phantaſtica, qua repræſentantur res modo ſenſibili & materiali. Hanc poteſt excitare etiam dœmon; nam quando in anima advertit guſtum ſenſibilem circa orationem & devotionem, poteſt eam facile decipere. Etiam Sancti, qui periculum ejusmodi revelationum ſollicitè ſtuduerunt evitare, nihilominus hoc modo à dœmone ſe transformante in angelum lucis tentati ſunt. Quinta viſio eſt corporalis, dum ipſis oculis aliquid cernitur; & hoc modo ſolet decipere dœmon communius, inprimendo ſenſibus ſpecies. Deus & angeli non utuntur hoc modo deceptorio, ſed formant ex aëre vel alia materia verum corpus, quod videtur. In viſionibus B. Virginis ſemper habebatur finis utilis, vel ad perfectionem ipſius propriam, vel ad bonum Eccleſiæ, cujus erat Magiſtra, & Coadjutrix redemptionis.

Digitized by Google

640. In viſionibus corporalibus animæ debent eſſe cautæ, quia deceptionibus diaboli magis ſubjectæ ſunt. Qui eas nunquam deſiderat, magno periculo ſe eximet. Quod ſi non obſtante, quod ejusmodi deſideria, & alia inordinata deſideria excludantur, nihilominus habeantur tales viſiones, cavendum, ne ſtatim eis adhibeatur fides. Eſſet eoipſo ſignum, quod proveniat à dæmone, ſi in ea ſtatim ſine ulteriore deliberatione & conſiliatione exigeretur fides & obedientia. Hoc enim non ſolent facere angeli boni, utpote magiſtri obedientiæ, prudentiæ, & ſanctitatis.

641. B. V. ad me dixit: Ex dictis habes tuas regulas, ſecundum quas te dirigas in revelationibus. Prima eſt, ut te ſubmittas Confeſſario & Superioribus. Secunda eſt, ut advertas ad internos effectus ejusmodi viſionum; nam bonæ operantur caſtum amorem & reverentiam erga Deum; agnitionem proprii nihili; averſionem à vanitatibus mundi; amorem crucis, infimi loci, & perſecutionum; horrorem peccati etiam minimi, deſiderium operandi ſemper perfectiora, ſeque uniendi cum Deo. Hæc erunt ſigna infallibilia, quod revelatio ſit à DEO.

643. B. V. tanquam Mater Verbi erat eoipſo Domina omnium creatorum.

657. B. V. omni tempore operata eſt, quod tunc erat poſſibilitate abſoluta perfectiſſimum.

658. In primis annis ſuæ infantiæ legebat jam Scripturam Sacram, præſertim Iſaiam, Jeremiam, & Pſalmos. Quod legit, contulit in familiaribus colloquiis cum ſuis angelis. 659. Dicebat ad eos: O aulici cœleſtes. &c.

660. Pſalmi & Hymni, quos compoſuit & cantavit B. Virgo tot ſunt, ut ſi omnes eſſent ſcripti, Eccleſia haberet plures, quàm habet ab omnibus Prophetis & Sanctis.

Digitized by Google

661. Voluit DEus obſequi ejus humilitati, deſideranti, ut myſterium regis abſcondatur; & hæc etiam eſt ratio, cur S. Joannes in Apocalipſi, quando loquitur de B. V., uſus fuerit ſermone tam obſcuro, ut etiam poſſet exponi de Eccleſia.

664. 665. DEus nuntiat B. Virgini propinquam mortem S. Joachimi, ſuaviter dicens: *Pulchra eris* &c. Octiduo ante mortem datur ipſi nova revelatio, ob quod ſtatim miſit duodecim angelos, ad ipſum confortandum. Ultima vitæ hora juſſit, ut omnes ſui angeli cuſtodes patri aſſiſterent; quod & fecerunt, nuntiantes, quod ejus filia eſſet futura mater Verbi. - Sic eum alloquebantur: *Vir DEI* &c. 666. Itaque obiit ſexto menſe poſt oblationem B. Virginis in templo, & tulit nuntium in limbum Patrum, quod ſua filia eſſet futura mater Redemptoris. Patres autem præ gaudio novis Canticis laudabant propterea DEUM. 667. 669. Interea & angeli retulerunt B. Virgini obitum patris.

673. B. V. ad me dixit: Eram mater Dei, ac propterea cum filio meo Domina omnium creaturarum.

675. Prima tribulatio, quam B. V. paſſa eſt, conſiſtebat in hoc, quod DEUS & angeli ſe ipſi abſconderint, ac viſiones hucuſque conſuetas ad augendum meritum patientiæ ipſius ſubtraxerint.

682. In hac derelictione B. Virgo paſſa eſt majores dolores & pœnas, quàm omnes Sancti ſimul ſumpti.

687. 688. Lucifer iratus contra B. Virginem cogit in inferno Concilium principum dœmonum, quos ſic alloquitur: Timeo, ne triumphus, quem habemus in mundo, brevi pereat. - Noſtis filiam Annæ - exploravi ejus actiones, nec adverti in illa, ut in aliis ſolet, fomitem malitiæ. - Hinc timeo, ne forte ipſa ſit futura mater ejus, qui Incarnandus. - Nec tamen id credo; quia ejus parentes pro ſe & filia obtulerunt oblationes & preces,

ut eis remittatur culpa. - Nihilominus ejus virtutes cruciant me - ſæpius volui propius ad eam accedere; nec potui - Deliberandum jam, quibus mediis ſuperanda? - qui in hac re optimum conſilium monſtraverit, ei promitto omnes divitias meæ liberalitatis.

689. Tunc unus principalium dœmonum dixit: Princeps, & Caput noſtræ infernalis communitatis; ne te crucies his non neceſſariis curis; nunquid infirma puella tam invicta erit, ut nos omnes, qui ſub tuo vexillo militamus? - -

690. Alii dœmones addiderunt: O Potens inferni Princeps; habemus ab experientia; efficax medium eſſe, tentare per alios - - .

691. Lucifer gratias egit pro his conſiliis, & juſſit ut ſagaciores ſe comitarentur; ſtatuit enim perſonaliter aggredi B. Virginem.

695. Itaque eam ab initio tentat ſuperbia. - 697. 698. Dein concitat alias puellas ſocias, quæ omnes contra eam inſurrexerunt tanquam hypocriſis, ſuſurrationis, &c. ream; nec deſtiterunt ab injuriis, ſtatuentes eam exturbare à communitate. - 702. Sacerdotes, & Magiſtra crediderunt delationibus - 710. Sed DEus loquitur in ſomno Sacerdoti dicens: *Maria eſt innocens à culpa, quæ ipſi imputatur.*

712. In iſta tribulatione B. Virgo clamavit ad Dominum dicens: *Cur, o Dilecte, tam durum te oſtendis mihi? Cur tua abſentia eſt tam longa* &c.

713. Tunc ceſſavit quidem iſta perſecutio; nondum tamen ceſſavit derelictio interna, qua fuit privata viſionibus & conſolationibus internis. Nam ea duravit per decem annos, quamvis nonnunquam fuerit interrupta. Incepit poſt mortem S. Joachimi.

714.

714. 715. 716. Anno ætatis duodecimo nūntiant ei angeli, vicinam eſſe mortem matris, dicentes: &c. Tunc provoluta eſt in genua coram DEO, dicens: *Inviſibilis Rex gentium* &c. Deus poſt has preces præcepit angelis, ut eam portarent ad infirmam matrem, & ut interea unus ex eis aſſumeret formam B. Virginis in corpore aëreo, ſicque in communitate ſuppleret ejus vices. Quando venit ad matrem dixit: *Chara mater* &c.

718. S. Anna reſpondit: De hæreditate patris Joachim, & mea, quæ ad te pertinet, divides cum pauperibus.

720. S. Anna fuit mediocris ſtaturæ; aliquanto minoris videlicet, quàm filia. Vultus erat aliquatenus rotundus. Color lacteus & ſanguineus. Vixit 56 annos. Anno ætatis 24. nupſit. Annis 20 erat ſterilis. Anno 44. peperit Mariam; & anno ejus 12 obiit.

721. De hac Matrona, ut audio, aliqui Doctores ſcripſerunt, quod ter fuerit conjugata; & quod in quolibet conjugio pepererit aliquam Mariam. Alii verò Doctores tenent contrarium. Mihi DEus de S. Anna contulit magnum lumen; nunquam verò mihi oſtenſum fuit, quod fuerit cum alio conjugata, quàm S. Joachimo; aut quod habuerit aliam filiam, quàm Dei genetricem. Poteſt tamen eſſe, ideo nihil mihi de trino conjugio fuiſſe revelatum, quia id non pertinet ad hiſtoriam, quam ſcribo. Quando S. Joachim obiit, erat 48 annorum.

740. 741. 742. DEus præcipit B. Virgini, ut ineat conjugium. - Reſpondet DEO: æterne DEus. &c. DEus verò dixit: Noli conturbari. &c. Poſtquam B. Virgo ex hac apparitione ad ſe reverſa eſt, apparuit DEus in ſomno Summo Sacerdoti, Simeoni, præcipiens, ut Mariam jungat matrimonio. Simeon quæſivit, cui eſſet tradenda? Reſpondit DEus, cogendum eſſe de hac re Concilium Sacerdotum.

743.

Digitized by Google

743. 744. Itaque Simeon congregat Concilium Sacerdotum, eique proponit; Mariam, cujus eſſet hæreditas pinguis, tradendam eſſe conjugio. Sacerdotes interno lumine ducti reſpondent, petendum eſſe à DEO ſignum, quo manifeſtaret, cui tradenda eſſet. In hunc finem jubent conſtituto die in templo comparere omnes maſculos ſolutos ex ſtemmate David. Dies conſtitutus idem erat, quo B. Virgo compleverat annum ætatis decimum quartum Aperuit tamen illi prius Sacerdos, quid jam tractaretur.

745. 746. Reſpondit illi B. Virgo. &c. Hoc contigit novem diebus ante deſponſationem. Intra hoc novendium illi apparuit DEus, dicens. &c. 747. Reſpondit illi B. V. dicens. &c. 748. Allocuta etiam eſt de hac re ſuos angelos, qui ipſi reſponderunt dicentes. &c.

752. Conſtituto die, quo B. Virgo compleverat annum ætatis decimum quartum, conveniunt omnes ſoluti ex tribu Juda de ſtemmate David, inter quos & Joſeph, incola urbis Nazareth. Habebat tunc annum ætatis trigeſimum tertium; & jam anno duodecimo ſuæ ætatis depoſuerat votum caſtitatis. Erat etiam B. Virgini in tertio gradu cognatus.

753. Poſtquam omnes convenerant, Summus Sacerdos ex divino inſtinctu omnibus tradit ramum aridum; omnes cupiunt potiri ſponſa ob ejus præclaras dotes, & ſubſtantiam bonorum hæreditariorum; ſolus S. Joſeph ſe æſtimat indignum. 753. Nihilominus viſus eſt florere ramus ſolius S. Joſephi, cujus ſupra caput etiam ſedit è cœlo deſcendens columba. DEUS quoque intus loquebatur dicens: &c. Fit ergo in continenti deſponſatio.

755. Deducitur B. Virgo cum Joſepho, qui aliquamdiu Jeroſolimis hucusque ſe detinuerat, à quibusdam famulis templi usque in Nazareth, ubi ſtatim domum paternam poſſedit. 756.

758.

758. B. V. ad S. Joſephum dixit: &c. Hic reſpondit: *Loquere Domina mea, quia audit ſervus tuus.* Tunc adfuerunt in viſibili forma omnes mille angeli cuſtodes, ut petiit, quia B. Virgo hactenus nunquam ſola locuta eſt cum viro aliquo, niſi quando hoc per repentinum occurſum contigit cum ſummo Sacerdote.

761. Tunc B. Virgo & S. Joſephus diſtribuerunt hæreditatem relictam à S. Joachimo & S. Anna. Unam partem dederunt templo; alteram pauperibus. Tertia pro adminiſtratione tradita fuit S. Joſepho. B. Virgo curabat unicè, ut ſerviret S. Joſepho, & ut laboraret in domo. A negotiis externis emptionis aut venditionis prorſus abſtinuit.

765. Deſponſatio contigit die octavo Septembris.

769. 770. Ut ſciatur, quid B. Virgo in domo egerit, vel cogitaverit, DEus me remiſit ad virtutes illius mulieris fortis, de qua loquitur Salomon C. ult. *Mulierem,* inquit, *fortem quis inveniet?* Hoc intelligitur de B. Virgine, in cujus comparatione nulla fortis dici poteſt.

772. Omnes ſancti ſimul ſumpti non conſummarunt ſuam perfectionem in eo gradu, in quo eam B. V. incepit.

773. 774. *Spoliis non indigebit,* id eſt, non erit pauper, ſed dives laude & gloria, tanquam ſuis ſpoliis, quibus ſpoliis abundabit.

776. *Quæſivit lanam & linum.* B. Virgo fuit operoſa, ſed magis internis, quàm externis operationibus.

778. *Facta eſt quaſi navis inſtitoris.* Nemo fuit unquam tam providus, ſicut B. Virgo pro ſua paupere familia.

779. *Dedit cibaria ancillis ſuis.* B. Virgo in domo nec habuit famulum, nec ancillam. 781. Dedit ſuſtentationem & occupationem ſuis ſervis, nempe externis ſenſibus.

783. *Conſideravit agrum.* Id eſt, agrum ſummæ perfectionis *Plantavit vineam.* Id eſt, Eccleſiam; non tantùm eatenus, quàtenus nobis dedit ſuum filium; ſed etiam, quia fuit ejus cooperatrix, & poſt Aſcenſionem filii vera Eccleſiæ Magiſtra.

784. *Accinxit fortitudine lumbos ſuos.* Indeſinenter cruciabat corpus ſuum operibus pœnitentiæ, vigilando, jejunando, & expanſis manibus orando.

792. *Nobilis in portis vir ejus.* S. Joſephus in die judicii inter Apoſtolos ſedebit & judicabit mundum.

PARS II.

1. 2. EX præſentia B. Virginis multi deſtiterunt à peccatis mox ut illam intuebantur; alii emendabant ſuam vitam; omnes autem fiebant perfectiores in ejus præſentia.

3. A tempore Deſponſationis usque ad Annuntiationem per ſex menſes B. Virgo ita auxit merita & preces, ut per hanc ejus ſanctitatem DEUS fuerit quaſi coactus ad accelerandam Incarnationem.

4. Ut Incarnatio decentius fieret, DEUS B. Virginem per novem præcedentes dies ſpecialiter præparavit, inundando illam torrente gratiarum.

5. Primo die hujus Novennæ, dum poſt exiguum ſomnum media nocte ſurgit ad orandum & genu flectit, dixit angelus: *Surge* &c. Tunc ejus anima rapta eſt in habitaculum, quod eſt proximo DEO, & remotiſſimum à rebus tranſitoriis.

7. 8. In Ectaſi hujus primi diei conceſſit ei DEUS claram cognitionem eorum, quæ in Geneſi C. 1. deſcribuntur de operi-

operibus creationis primo die. Creatio cœli, & terræ, lucis, & Angelorum &c. Tam clarè ipſi præſentabantur, ac ſi fuiſſet præſens.

12. Poſt raptum perſeveravit toto die orare expanſis manibus.

13. B. V. ad me dixit: Per novem illos dies ſpiritus meus fuit unitus invariabili eſſentiæ divinæ. Notitia de creaturis tunc mihi communicata erat comprehenſiva, & erat perfectior ea notitia, quam habent angeli de creaturis videndo omnia in DEO; nec unquam eorum potui obliviſci, quæ tunc didici.

16. Decebat, ut ea, quæ erat futura mediatrix inter DEUM & hominem, de utroque aliquid participaret, utque ſolo DEO minor; cæteris autem omnibus, quæ non ſunt DEUS, major eſſet.

17. Secundo die Novennæ denuò elevata ad videndum DEUM. Videbat tunc opera pertinentia ad ſecundum diem creationis; vidit enim diviſionem aquarum, & in medio firmamentum cum cœlo cryſtallino, aqueo communiter dicto.

18. 19. 20. Hoc ſecundo die DEus B. Virginem aliquo modo participem reddidit ſuæ omnipotentiæ; contulit enim illi plenariam poteſtatem in influxus cœlorum, planetarum, & elementorum, addito mandato, ut hæc omnia illi obedirent. Ratio tantæ poteſtatis erat etiam hæc; quia ipſa exempta fuit à peccato originali & ejus ſequelis; itaque non decebat, ut involveretur communi ſententia contra poſteros Adæ, contra quos DEus armavit omnes creaturas. Nam ſi ipſi fuiſſent obedientes DEO, non fuiſſent paſſi inobedientiam & moleſtias à creaturis. Quia ergo oppoſitio creaturarum erat pœna peccati, debuit ab ea B. Virgo eximi. Secunda ratio eſt, quia omnia debent eſſe ſubjecta matri, quæ ſunt ſubjecta filio, cùm & ipſe ſit ſubjectus matri. Noluit tamen hoc privilegio uti ad ſuam commoditatem, ſed juſſit

elementa uti contra ſe ſuis viribus, ut ſic patiendo conformaret ſe filio.

21. Scientia B. Virginis fuit Ectypon ſeu effigies infinitæ ſcientiæ DEI, conformiter ad ſcientiam, quam habuit anima Chriſti. Nam Maria non ſolùm agnovit in DEO omnia creata, ſed etiam omnia poſſibilia jam comprehendit in ſua capacitate; quod merito vocari poteſt quædam infinitudo.

27. Nulla pura creatura in cognitione DEI & creaturarum tam altè aſcendit, ac B. Virgo; nec ulla creatura, angelica vel humana intelligere poterit, quantas gratias B. Virgo acceperit.

29. 30. Omnia naturalia, & virtus medicas longè perfectius agnovit, quàm Adam vel Salomon; & hac ſcientia interdum utebatur in ſolatium pauperum. Quia autem habuit poteſtatem in omnes creaturas, habuit eoipſo privilegium, ne ei poſſent nocere venena &c. 31. Ne tamen ſe privaret occaſione patiendi, dedit creaturis licentiam, immo mandatum, ut ſe cruciarent. Quod ipſum non ſemper admiſit DEus. 32. Libenter pertuliſſet omnia tormenta pro ſalute generis humani. Videant ergo homines, quantum debeant Mariæ.

34. Fervor illius pro ſalute mundi ſic vulneraverat cor divini ſponſi, ut juxta noſtrum modum concipiendi, vix exſpectare potuerit horam, qua erat reponendus in ejus brachiis.

36. 37. B. V. ad me dixit: In die judicii ſumma indignatio judicis ex hoc erit, quod homines obliti ſint amoris DEI erga illos; & ideo præ confuſione ſeipſos præcipitarent in infernum, niſi alii hoc exequerentur. Sis ergo grata pro te & pro aliis.

38. Intra limites puræ creaturæ DEus omnia operatus eſt in B. V. ſine numero & menſura.

41. Quar-

41. Quarto die Novennæ B. V. vidit, quomodo DEus produxerit in cœlo octavo ſtellas, ut ſuo influxu omnia recrearent. 42. B. V. cognovit ſingularum ſtellarum proprium influxum & effectum; & 43. proprios cujuslibet characteres. Habuit in ſtellas tantam poteſtatem, ut ſi imperaſſet, eas moveri de cœlo, ſtatim paruiſſent. Et uſa eſt hac poteſtate ſæpius, v. g. in Ægypto, ubi imperavit ſoli ne calore ſuo ita cruciaret filium.

44. Suis meritis acceleravit nobis Incarnationem.

46. B. V. ad me dixit: Cogita, quantos dolores pro genere humano ſuſtinuerim.

48. 49. 53. DEus dixit in viſione ad B. V. Peccata hominum à me prævisa, ac ſecutura retinent meam miſericordiam. B. Virgo ex hoc agnovit magnum numerum reproborum, & quantum impedimentum peccata præviſa in mente DEI cauſarent, ne Verbum incarnetur. Tunc B. V. oravit dicens: Si prævides peccata eorum, qui te offenſuri ſunt; etiam prævides opera Chriſti, quæ ſuperant illa peccata; ab his ergo ſine te moveri ad accelerandam Incarnationem, non ab illis ad eam retardandam. 54. DEus dixit: Permitte me, ut retribuam hominibus juxta eorum demerita. B. V. reſpondit: Non, Domine, non permittam te. -

55. In hoc amoris certamine DEus B. Virginem, ut olim Jacobum, interrogavit; quodnam haberet nomen? B. V. reſpondit: Ego ſum filia Adæ &c. DEus dixit: Ex hoc nomen tuum erit: Electa in matrem unigeniti filii DEI. Sed hæc verba ſolùm intellexerunt angeli, & manſerunt adhuc abſconſa B. Virgini, quæ audivit hoc ſolum nomen: *Electa.* Tandem SS. Trinitas B. Virgini dedit promiſſum, mittendi Chriſtum. Videant homines ergo, quod B. Virgo poſt ejus filium fuerit totalis cauſa eorum ſalutis & redemptionis.

 56. Quin-

Google

56. Quinto die Novennæ oſtenſa eſt B. Virgini natura omnium piſcium, volucrum, & cæterorum animalium imperfectorum, quibus omnibus DEus præcepit, ut B. Virginem agnoſcerent in ſuam Dominam.

59. Sexto die rapta denuo novem horis inſtitit orationi, quam finivit hora tertia. Hoc die ipſi oſtenſa eſt natura omnium animalium terreſtrium. Hæc ſcientia ipſi erat neceſſaria, ut pro omnibus creaturis condignæ DEO redderentur ab aliqua creatura laudes & gratiæ; hæ enim nec ab ipſis angelis condignæ reddi poterant, cùm & angeli non omnia creata perfectè comprehendant. 61. Eo die B. V. etiam obtinuit dominium in feras, quibus DEus præcepit, ut Mariæ obedirent. Et hanc obedientiam ſæpius exhibuerunt; ſic ſcimus, quod bos & aſinus in præſepi ad imperium Mariæ halitu ſuo Jeſulum foverint. 60.

62. Poſtea cognovit B. V. etiam naturam humanam, omnia oſſa, virtutem nutritivam, virtutem motricem, temperamentum quatuor humorum, & quod ex inæqualitate harmoniæ omnium partium oriantur omnes morbi, & qualia adverſus morbos dentur media &c. hæc omnia melius intellexit, quàm ipſi angeli.

63. B. Virgo ſe humiliabat non ſine admiratione divini cordis, ob quod DEus ſe agnoſcebat quaſi obligatum, ad eam extollendam.

71. Mater DEI debuit eſſe prorſus perfecta & ornata omnibus divitiis, ut ipſi nihil deeſſet de omnibus poſſibilibus donis ac gratiis; ſed ut eſſent redundantes, & omnem vel minimam carentiam totaliter excluderent.

72. Septimo die Novennæ fuit ab angelis corporaliter portata in cœlum, dum interea aliquis angelus aſſumptâ illius formâ ejus vices ſupplevit in terra.

73. Tunc

Digitized by Google

73. Tunc præcepit DEus duobus proximè Throno adſtantibus Seraphinis, ut aſſiſterent B. Virgini: hi ergo in comitatu plurium aliorum angelorum ſtabant in viſibili forma ad pedem throni.

75. Tunc Tres perſonæ juxta noſtrum modum intelligendi quaſi colloquebantur invicem, quàm amœna eſſet Maria coram ſuis oculis; ſtatuerunt etiam, quod ad ſupremum gradum gratiarum debeat elevari, & ad tantam amicitiam admitti, quæ nec obtenta unquam fuerit ab ulla pura creatura, nec in futurum poſſet obtineri.

76. 77. In conteſtationem ſingularis amicitiæ juſſit DEus, eam ornari viſibiliter gemmis & ornamentis. Itaque duo Seraphini eam ab initio induunt interulâ candida & lucida. 78. & Zonâ. 79. & faſciis pro colligendis crinibus. 80. & armillis, & annulo, & collari, in quo characteres correſpondentes tribus virtutibus theologicis. 81. & Inauribus. Tota veſtis erat intexta characteribus. Horum quorundam ſignificatio erat: *Maria, mater DEI.* Et aliorum; *Maria virgo & mater.* 82. Decebat, ut mater DEI particeps fieret prius filii per gratiam in ſummo gradu puræ creaturæ poſſibili, antequam ejus particeps facta corporaliter.

83. In hoc mari donorum B. V. quò ingredior profundius, eò magis ſentio me ſtare in littore; & meus intellectus, quò plus illi revelatur de illis, eò magis ſentit ſe incapacem ad explicandas ſuas cognitiones.

87. B. Virgo DEum quaſi obligavit ſuo amore ad deſcendendum in terras, & ad diſſolvendum illud vinculum, quod illum ultra quinque annorum millia ab eo deſcenſu impediverat.

88. 89. B. Virgo oravit ad DEum his deſideriis: Ah! quis poterit detrahere Unigenitum ex ſinu patris! Quis poterit eum permovere ad porrigendum naturæ noſtræ illud oſculum à ſponſa tanto-

Digitized by Google

tantopere deſideratum! - quis mihi det videre te ad cor matris tuæ, humanæ naturæ! - o utinam deſcenderes & diſrumperes cœlos, & illuminares, qui in tenebris ſunt! - o utinam contereres ſuperbum Aman, Satanam! Reſpondit DEus: *Veni electa mea; in momento conceptionis poſui ſuper te ſceptrum meum, & præſervavi te immaculatam à lege peccati.*

90. Octavo die Novennæ ab angelis denuo deportatur in cœlum, ſicut die præcedente, aliquo angelo interea in terra ſupplente ejus vices. Angeli tunc in cœlo dixerunt: *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto, tam ornata & ditata! quæ eſt iſta, innixa, & vim inferens dilecto, ut eum ſecum in terram pertrahat! Quæ eſt iſta, quæ aſcendit ſicut aurora, pulchra ut luna* &c.

91. DEus recepit dilectam in ſuam præſentiam, & ut pro captu loquamur, admirabatur ejus pulchritudinem; & quaſi amaſius ad eam dixit: Revertere, revertere Sunamitis, ut intueamur te.

93. Tunc DEus iteratò juſſit, ut peteret omnia, quæcunque vellet; omnia enim fore ipſi concedenda, etiamſi partem regni ſui eſſet petitura. B. Virgo reſpondit: Non peto partem regni, ſed ut mittas Unigenitum, ut pro nobis ſatisfaciat. &c.

100. Ultimo die Novennæ in noctis ſilentio denuo ab angelis corporaliter fuit portata in cœlum, & poſita in præſentia divini throni. DEus eam collocavit ad ſuum latus, & oſtendit illi ſedem in æternum ipſi paratam. Ea ſedes erat proxima Deo; ſolum excepto throno humanitatis Chriſti.

101. Ex hac ſede vidit DEum viſione abſtractiva. Vidit etiam de novo omnia creata cum multis rebus poſſibilibus & futuris. Res corporales vidit in ſpecie corporea, quaſi eſſent præſentes oculis. Cognovit etiam totam machinam mundi, quam prius ſolùm cognoverat per partes.

103.

Digitized by Google

103. DEus ad B. V. dixit: *Conſtituo te Dominam omnium borum bonorum, ut poſſis exinde diſpenſare illis, qui aliquid ſunt petituri per tuam interceſſionem; hinc omnia repono in tuas manus.* Poſt hæc verba SS. Trinitas impoſuit in ejus caput coronam, cui arte fuſoria characteribus inſcriptum erat: *Mater DEI.* Hos tamen characteres B. Virgo tunc non intellexit; ſed intellexerunt eos ſoli angeli. 104. Erat enim conveniens, ut prius conſtitueretur in reginam, antequam fieret mater DEI.

106. Præ humilitate ipſi nunquam venit in mentem ne quidem cogitatio, quod aliquando poſſet fieri mater DEI.

109. 110. Poſtquam ab infinitis temporibus DEus decreverat Incarnationem, locutus eſt Gabrieli ſtanti ad pedem throni divini, & audientibus angelis ipſi mandat, nuntiare B. Virgini, eam futuram matrem DEI. Itaque Gabriel cum multis angelorum millibus deſcendit ad B. V. Caput ipſius redimitum erat diademate; veſtis erat varii coloris. Ad pectus gerebat crucem duplicem. B. Virgo tunc numerabat annos ætatis quatuordecim cum dimidio, & dies ſeptendecim, 114.

115. 116. Vultus B. V. erat magis oblongus, quàm rotundus, nec macilentus, nec pinguis. Color erat prope caſtaneus. Frons larga. Supercilia perfectè incurva. Oculi magni. Pupilla coloris erat medii inter faſcum, & viridem ſaturum. Naſus oblongus. Os parvum cum labiis corallinis. Color veſtis erat atro-argenteus.

123. Ad deſcribendum jam myſterium Incarnationis erigo oculos ad divinum lumen, quod me regit & inſtruit.

124. Tempore Incarnationis genus humanum erat penitus oppreſſum ſomno oblivionis de vero Deo, quin ullus reperiretur, qui aperiret os ad confitendum DEum. Paucis exceptis de populo electo reliqui omnes oppreſſi erant nocte per 5000 & ferme 200 annos.

Digitized by Google

128. In deſcenſu Verbi ex reverentia ſe inclinabant cœli, & ſe aperiebant. Undecim cœli cum omnibus elementis dividebantur ab invicem; ſtellæ ſe veſtiebant nova luce. Sol, & luna cum reliquis planetis accelerabant ſuum curſum, ut ſic venerarentur ſuum creatorem;

129. Hæc tamen commotio & renovatio omnium creaturarum non fuit agnita ab hominibus, quia contigit noctu; & DEUS voluit, ut agnoſceretur à ſolis angelis. Eadem tamen hora in cordibus quorundam juſtorum orta eſt inſolita lætitia ex qua aliqui ſuſpicabantur, adveniſſe Meſſiam.

130. In eo momento etiam reliquæ creaturæ innovatæ ſunt. Volucres jubilabant inſolito cantu ſe elevantes in aërem. Flores & arbores meliorem dabant odorem & fructus meliores. Omnes aliæ creaturæ obtinuerunt novum vigorem, & novas vires. Ad Patres in Limbo miſſus eſt S. Michael, ut nuntiaret hoc gaudium; qui proin repleti fuerunt jubilo. Dœmones autem in inferno ſenſerunt aliquam vim eos ad infima inferni deprimentem. Poſtea verò furentes reverſi ſunt in terram, ut viderent, quid novi contigiſſet; nec tamen invenerunt veram cauſam.

131. 132. Tandem angelus Gabriel in forma humana die Jovis hora ſeptima veſpertina apparuit B. Virgini in ejus cubiculo dicens: *Ave gratia plena* &c. 133. B. V. reſpondit, *quomodo fiet iſtud?* - Angelus dixit: *Sanctiſſima Domina; Omnipotentiæ DEI facile eſt, te efficere matrem, quin cognoſcas virum. Spiritus Sanctus obumbrabit tibi, ut ex te naſcatur ſanctus ſanctorum, qui vocabitur filius DEI. Et Ecce Eliſabeth concepit filium in ſenectute - ille, qui potuit facere ut pareret ſterilis, etiam facere poteſt, ut tu, o Domina, fias mater, & maneas virgo, & quidem in virginitate puriore & ſanctiore. - Nota eſt tibi prophetia Iſaiæ;* VIRGO CONCIPIET - *Hæc prophetia non fruſtrabitur, ſed implebitur in te.* Noſti etiam, o Domina, myſterium de rubo, quem Moyſes vidit ardentem, attamen incombuſtum, quo ſigni-

gnificantur duæ naturæ, divina & humana, quin iſta ab illa fuerit conſumpta; & quod mater Meſſiæ illum paritura ſit absque detrimento virginitatis. Præterea memento promiſſionis factæ Abrahamo; qua DEus illi promiſit, poſt captivitatem ejus poſterorum in Ægypto quartam generationem reverſuram in ſuam patriam; & myſterium hujus promiſſionis conſiſtebat in eo, quod in quarta generatione DEus te mediante redempturus ſit genus humanum à captivitate dœmonis. Illa ſcala Jacobi, quam vidit in ſomno, erat figura illius viæ, quam Verbum æternum in humana ſpecie aliquando eſſet aperturum, ut homines poſſent in cœlum aſcendere, & angeli in terras deſcendere; ad quas & Unigenitus Patris eſſet venturus, ut converſetur inter homines, & communicet divitias ſuæ deitatis cum illis virtutibus, & perfectionibus, quæ in ſua eſſentia continentur. 135. His & aliis rationibus inſtruxit divinus nuntius Mariam, ut metum poneret.

137. Conceptio Meſſiæ ſeu Incarnatio ſic contigit: Cor Mariæ præ admiratione, reverentia, & amore in conſideratione myſterii quaſi connaturaliter tanta vi quaſi compreſſum eſt, ut tres guttæ puriſſimi ſanguinis deciderint, & in ſuum locum naturalem pro formatione Corporis Meſſiæ repoſitæ fuerint. Eodem momento B. Virgo junctis manibus & aliquantum inclinato capite dixit: *Ecce Ancilla Domini* &c.

138. Dum B. Virgo pronuntiavit hæc verba, ſimul quatuor res contigerunt. Primò formatio corporis Chriſti ex ſanguine deſumpto ex corde Mariæ. Secundò creatio animæ Chriſti, ejusque unio ad corpus; atque ipſa unio divinitatis ad naturam humanam. Contigit autem hoc die Veneris, vigeſimo quinto Martii, illuceſcente aurorâ, eadem horâ, qua primus parens Adam creatus eſt; poſt creationem mundi anno quinquies milleſimo centeſimo nonageſimo nono, prout ſancta romana à Spiritu Sancto illuminata Eccleſia in Martirologio numerat. Hæc eſt vera computa-

Digitized by Google

putatio annorum, prout mihi revelatum fuit ad meam interrogationem, quam ex obedientia mihi à Superioribus meis injuncta DEO propoſui.

139. Eodem tempore, quo verbum fuit Incarnatum, B. Virgo fuit elevata ad viſionem beatificam intuitivam. Tunc & ſtatim cœpit creſcere divinus infans de ſubſtantia & ſanguine B. Virginis; erat tamen liber ab illis imperfectionibus, quas patiuntur alii infantes in eo ſtatu. Nam Maria erat exempta ab illis ſuperfluis humoribus, qui in aliis mulieribus ſunt effectus peccati originalis. - Sanguis qui in aliis matribus pro nutritione infantis impurus eſt, in B. Virgine erat puriſſimus, & ad nutritionem aptiſſimus, quia communicatus ex impulſu amoris & aliarum virtutum. Hinc eſt ſubſtantia ciborum talis erat; cum enim ſciret, cibos ſuos cedere in nutrimentum filio, ſemper comedit cum intermixtione affectuum.

145. Corpuſculum Chriſti non erat majus, quàm apiculæ, aut nucleus amygdalæ mediocris magnitudinis.

146. In humanitate Chriſti omnia erant eousque perfecta, quo potuit pertingere omnipotentia DEI.

149. De myſteriis vitæ Chriſti non ſcribam fusè, ſed referam me ad hiſtoriam Evangeliſtarum; ſolùm ea deſumam, quæ neceſſaria ſunt ad hiſtoriam vitæ B. V; addam tamen circumſtantias ab iis non deſcriptas, quia ad eorum ſcopum, aut pro temporibus primitivæ Eccleſiæ non erant neceſſariæ.

150. In viſione illa intuitiva DEus ipſi confirmavit titulum & jus matris DEI. 151. In eodem momento agnovit omnia myſteria vitæ & paſſionis Chriſti. Tunc proſtravit ſe ante thronum DEI.

152. Ex ea hora B. Virgo ſemper fuit magis diviniſata novis donis.

153.

Digitized by Google

153. Per triginta tres annos ex conſideratione futuræ paſſionis Dominicæ continuis doloribus celebravit vigiliam noſtræ redemptionis.

162. Omnes angeli non poſſunt attingere tam ſublimem gradum viſionis intuitivæ, quàm habuit B. V. in die Incarnationis. Idem ſentiendum de dotibus glorioſis corporis, quas tunc habuit.

164. Alter effectus illius viſionis comprehenſivæ erat, quod obtinuerit majorem ſecuritatem non excidendi unquam gratia, & fine ultimo, quàm habent ipſimet beati in cœlo; quamvis hæc incapacitas ac impoſſibilitas peccandi fuerit alterius generis, quàm eſt beatorum in cœlo.

168. De quatuor dotibus glorioſis corporis habuit B. V. in vita adhuc notabilem partem. Præſertim manſit in illa etiam poſt illam viſionem beatificam aliquod genus lucis, quam etiam aliquo modo prodidit ejus facies.

174. B. Virgo has quatuor dotes in tanta perfectione etiam in hac vita habuit, ut non poſſim ſufficienter explicare verbis, quæ mihi de hac re fuerunt revelata; ea enim longè plura ſunt, quàm hactenus dixi, aut dicere poſſum. O Domina, promiſiſti mihi, quod futura eſſes lux mea, & magiſtra mea; ea fide proin audeo tibi proponere aliquod dubium. Cum habueris toties viſionem beatificam, quomodo contigit, quod non retinueris eam conſtanter? B. Virgo mihi reſpondit: Chariſſima filia; dubitas per modum amantis, & interrogas per modum ignorantis. 175.

180. Quotidie tercenties adorabat genuflexa DEum incipiendo à medio noctis usque ad medium noctis.

181. 182. Proximo die poſt Incarnationem in viſibili forma apparuerunt ipſi ſui mille angeli cuſtodes, modo conſimili adorantes DEum in utero B. Virginis, & offerentes ſua ſervitia; dicendo: *Nunc es vera Arca* &c. Quando laborabat manibus, porrigebant ei neceſſaria; quando comedebat ſola in abſentia S. Jo-

 ſephi

Digitized by Google

ſephi, miniſtrabant illi ad menſam; comitabantur eam ubique, & juvabant ad inſerviendum Joſepho.

184. Quando libera à functionibus fuit relicta ſuæ naturali diſpoſitioni, patiebatur deliquium præ amoris æſtu.

185. Sæpe ex mandato DEI aves ſalutabant ſuis actionibus Mariam, & faciebant ipſi muſicam; nec diſcedebant, niſi prius impenſa benedictione.

190. 193. Poſtquam B. V. in Ectaſi agnovit, voluntatem DEI eſſe, ut viſitet Eliſabeth, vocavit ad ſe ſuos mille angelos cuſtodes, eisque mandavit, ut ſe comitentur in via. Angeli obſequuntur mandato, cantant cum illa canticum Domini, & colloquuntur de myſterio Incarnationis - verùm nimis longè progrederer, ſi vellem omnia deſcribere, quæ mihi eatenus fuerunt revelata.

194. 196. Tunc petit licentiam abeundi à S. Joſepho dicens: *Domine* &c. Sed reſpondit, ſe velle illam comitari. Itaque ſecum ſumpſit panem, paucos piſciculos, & aſinum commodatum & fructus, cum exigua ſarcinula.

201. 203. Sic aggrediuntur iter verſum Domum Zachariæ, quæ viginti ſeptem milliaribus diſſita erat à Nazareth. B. Virgo ſæpe deſcendebat de aſino, & rogabat S. Joſephum, ut ipſe aſcenderet; quod tamen non admiſit. B. Virgo ſæpe in via cum angelis decantabat laudes DEI, dum interea S. Joſeph meditabatur. 204. S. Joſeph accendebatur valde in amore DEI ex præſentia Salvatoris, quamvis illi B. Virgo non manifeſtaverit cauſam.

207. Iter durat quatuor diebus. In aliquot diverſoriis non admittitur. Inquirebat in pauperes, infirmos, & deſolatos, quos conſolabatur, aut à doloribus liberabat. Statim primo die itineris reperit in hoſpitio virginem aliquam febricitantem; imperavit febri; & in momento ægram dimiſit. Puella etiam exinde in anima ſic profecit, ut ſancta effecta ſit.

208.

208. Quarto die pervenerunt in civitatem Juda; in qua habitabant Zacharias & Eliſabeth. Hoc erat proprium nomen illius loci juxta Evangeliſtam Lucam, qui locum illum nominavit Juda, quamvis Interpretes communiter crediderint, nomen hoc non eſſe proprium loci, ſed regionis, utpote quæ vocatur Juda ſeu Judæa. Mihi tamen revelatum eſt, nomen hoc eſſe proprium urbis, in qua habitavit Zacharias & Eliſabeth. Cauſa autem erroris, quod Interpretes exiſtimaverint eo nomine intelligi regionem, hæc eſt, quia urbs Juda brevi poſt mortem Chriſti periit. Cum ergo Interpretes nulla repererint ejus urbis veſtigia, crediderunt, Evangeliſtam eo nomine deſignaſſe regionem.

209. Cum obedientia mihi injunxerit, ut hanc rem, quæ mira videri poſſit, magis illuſtrem, dico, quod domus Zachariæ ſteterit in eodem loco, in quo nunc à peregrinis inviſitur. Nam quamvis urbs Juda penitus everſa ſit, DEus tamen non permiſit, ut ſimul periret loci memoria, prioribus Chriſtianis ex divina illuſtratione & traditione memoriam renovantibus.

210. Ad majorem dictorum illuſtrationem notandum, quod dœmon poſt mortem Chriſti ſummopere conatus ſit abolere memoriam Chriſti & B. V. Ideo fecit, ut S. Crux defoderetur in terra, & in Perſiam poſtea deportaretur. Hinc etiam toties Domus Lauretana ab angelis tranſlata eſt, quia dœmon jam concitaverat vicinos quoſdam, ut eam deſtruerent. Ex conſimili furore Luciferi urbs Vetus Juda partim ab incolis fuit derelicta, partim ex aliis infortuniis deſtructa, nec tamen DEus permiſit, ut Domus Zachariæ totaliter deſtrueretur.

211. Illa urbs Juda diſtabat Jeroſolymâ duobus milliaribus verſus locum, ubi oritur ex montibus fluvius Horec. Poſt nativitatem S. Joannis S. Eliſabeth habuit revelationem, quod brevi magna eſſet futura clades infantium per viciniam Bethlehem. Propterea cum Zacharia & S. Joanne ſeceſſit in Hebron, locum octo milliaribus Jeroſolima diſſitum; nam cum eſſent divites

Digitized by Google

vites, habuerunt etiam domum in Hebron, & in pluribus aliis locis. Zacharias obiit quarto menſe poſt Nativitatem Chriſti. Et hæc ſufficiant pro dilucidando dubio, ubi ſteterit domus Zachariæ, in qua B. Virgo viſitavit Eliſabeth. Ea enim nec ſtetit Jeroſolimis, nec in Hebron, nec in Bethlehem, ſed in aliqua civitate, quæ vocabatur Juda. Ita intellexi ex revelatione divina, uti & alia myſteria hujus hiſtoriæ. Et idem poſtmodum de novo revelavit aliquis angelus, quem ex injuncta mihi obedientia debui de hac re interrogare.

212. S. Joſeph aliquot paſſibus præcedens venit prior in domum Zachariæ, ubi vocans domeſticos dicebat: Dominus vobiscum ſit, & repleat animas veſtras ſua divina gratia. Eliſabethæ jam fuerat prius revelatum, venturam Mariam. Itaque proceſſit illi obviam; attamen Maria prior illam ſalutavit, dicens: Dominus tecum, Chariſſima cognata. Reſpondit Eliſabeth: Idem Dominus tibi rependat, quod ad meam conſolationem huc veneris.

214. B. V. ad me dixit: ob naturalem compaſſionem impetravi animabus omnia bona, temporalia & ſpiritualia.

215. Omnibus, qui peccaverunt in Adamo, uterus maternus ſervit pro carcere.

216. Erat octavus tunc dies poſt Incarnationem, quando B. Virgo ſalutavit Eliſabeth. Tunc Chriſtus in utero materno erexit ſe in genua, & rogavit cœleſtem Patrem, ut liberaret S. Joannem à peccato originali.

218. Quando Maria ſalutavit Eliſabeth in cubiculo ſecunda vice, dicendo: *DEUS te ſalutet, cognata mea Chariſſima, & divinum lumen det tibi gratiam & vitam,* DEus infudit S. Joanni perfectiſſimum uſum rationis, ut ſe diſponeret ad gratiam recipiendam; & in hac præparatione fuit mandatus à peccato originali. Eodem tempore vidit Joannes Chriſtum per uterum virgineum tanquam per cryſtallum; quem proin flexis genibus adoravit,

ravit, & hic motus fuit illa exultatio infantis in utero. Elicuit tunc Joannes etiam actus fidei, ſpei, charitatis, & aliarum virtutum; & ab eo momento incepit mereri, nec unquam deſtitit à continuo exercitio cooperandô gratiæ totis viribus.

219. Eliſabeth tunc etiam agnovit ſanctificationem ſui filii; & vidit etiam Chriſtum in utero virgineo quaſi per cryſtallum. Hoc donum obtinuit dependenter à ſalutatione Mariæ, ejusque verbis, quæ & audivit Joannes. 220.

223. Miſericordiæ Dei ex plenitudine B. Virginis in reliquum genus humanum dimanarunt; ipſa eſt porta cœli, per quam omnia bona fluxerunt, & adhuc fluunt; & omnes in cœlum debent intrare per hanc portam. Deus loco Luciferi poſuit Mariam, tanquam matrem, & reſervatorium antiquarum miſericordiarum Dei.

225. Eliſabeth intellexit totum Canticum *Magnificat*; ipſa autem & Maria promiſerunt ſibi invicem, quod toto vitæ ſuæ tempore nulli vellent revelare hoc myſterium.

226. Tunc Eliſabeth aſſignavit B. Virgini aliquod cubiculum, in quo quiétè poſſet vacare Deo. Itaque Incarnatio fuit eousque tantùm tribus fœminis revelata nempe S. Annæ, B. Virgini, & Eliſabethæ.

227. Quamvis B. Virgo compaſſa fuerit Zachariæ muto, noluit tamen ſolvere ejus linguam, quia ſciebat myſterium latens. Joſeph poſt tres dies redit in Nazareth, ubi interea ipſi inſervit aliqua vicina.

232. B. V. ſemper ſurrexit media nocte, & contemplabatur myſteria. Per illos tres menſes habebat frequenter viſiones Dei, quæ erant ſæpius intuitivæ. Conſiderabat etiam, quomodo indies creverit corpus Chriſti.

239. Eliſabeth ſæpe vidit B. Virginem in oratione è terra elevatam, & luce circumfuſam.

Digitized by Google

243. Nullum erat tempus, in quo B. V. non fuerit operata perfectiſſimum omnium maximarum perfectionum.

244. Sæpe colloquebatur cum ſuis angelis; ſemel ſic loquebatur ad eos: *Cœleſtes Spiritus* &c. 246. à primo momento ſuæ nativitatis ſemper crevit in continuis actibus amoris.

249. Semper everrebat proprium cubiculum; & quoties habebat occaſionem, etiam domum Eliſabeth. Purgabat etiam cum ancillis vaſa.

250. O Domina; ſciebas utique, te geſtare DEUM; quare ergo ex reverentia erga filium non omiſiſti tam vilia? deſidero ergo ac peto audire à te, quos tunc habueris ſenſus animi? B. Virgo reſpondit. &c.

255. Reperiebatur in domo inquieta ancilla, iræ, juramentis, & detractionibus dedita. Per quatuordecim annos eam comitabantur multi dœmones; tantùm in præſentia B. Virginis recedebant longius. Tandem ob affectionem ancillæ ad ſe præcepit authoritativè dœmonibus, ut relinquerent ancillam, quod ſtatim exequebantur. Tunc dixerunt dœmones inter ſe; *Quæ eſt hæc mulier, quæ exercet tantam poteſtatem in nos?* &c.

257. Erat in vicinia domûs Eliſabeth fœmina, quæ illudebat moribus B. Virginis, quæ tandem ex ſolo ejus aſpectu attentiore à vitio laſciviæ liberata eſt.

258. B. Virgo agnovit ſecreta cordium & conſcientiarum. Aliquoties ipſi etiam DEus revelavit, an illi, quos aſpexit, eſſent prædeſtinati, aut reprobi. Pro prædeſtinatis orabat; ad eos autem, quos agnovit eſſe reprobos, flevit.

260. B. V. ad me dixit: volo, ut, ubi neceſſe fuerit, dœmonibus nomine DEI & meo authoritativè præcipias, ut fugiant ab animabus, quas infeſtant.

261. Eli-

Digitized by Google

261. Eliſabeth, poſtquam agnovit felicitatem ſuam ex conſortio B. V., non potuiſſet ſine ſpeciali gratia vivere ea abſente.

265. B. V. & Eliſabeth erant omnium matrum, quæ unquam fuerunt in mundo, optimæ. B. V. in revelatione agnovit futuram vitam S. Joannis. Agnovit etiam, quod Eliſabeth ante Zachariam eſſet moritura.

266. DEus ad B. V. dixit: Volo, ut expectes, & Eliſabetham conſoleris in partu, poſt octiduum ſecuturo. Poſt circumciſionem autem Infantis reverteris cum Joſepho domum. Similiter etiam Eliſabethæ revelatum fuit, inſtare ejus partum.

270. 271. DEus Joanni in utero materno revelat, veniſſe horam pro ejus partu. Joannes autem conſiderans, in quam periculoſum mundum eſſet ingreſſurus, dicebat intra ſe: Quo vado? eamne in tanta pericula? - Offero tamen meam vitam DEO. - 272. Itaque naſcitur poſt novem menſes & novem dies à ſua conceptione.

273. Sequenti die poſt circumciſionem Joannis B. Virgo valedicit Eliſabethæ. Nam quamvis S. Lucas ejus reditum prius narret, quàm Nativitatem Joannis, hæc tamen præceſſit. S. Lucas tantum ideo reditum præpoſuit, ne interrumperetur hiſtoria Præcurſoris; & ita mihi fuit revelatum. Obſervo etiam, quod B. Virgo ſecundo Aprilis venerit in Domum Zachariæ, & ſecundo Julii diſceſſerit.

274. 275. Joannes in nativitate non habuit tot ſordes ut alii infantes. Agnovit præſentem eſſe matrem DEI; ideo elicuit actus amoris erga Incarnatum DEum, & ejus matrem.

276. B. V. ſumpſit Joannem in brachia, & ſtatim in Ectaſin rapta eum obtulit DEO - & hæc myſteria Eliſabeth per revelationem agnovit. Joannes geſtibus ſuum gaudium monſtravit. B. Virgo eum tamen non oſculata eſt, ſua labia reſervans Chriſto.

Digitized by Google

277. Domus Zachariæ erat nobilis, dives, & honorata.

280. B. V. ad me dixit: Manifeſtabo tibi rem incognitam; Conſtituti ſunt ſpeciales dœmones à Lucifero, qui exſpectant Religioſos ſine neceſſitate continuò è cella exeuntes; quos proin gravibus tentationibus adoriuntur, & ſæpe vincunt.

284. B. V. reditum parans ſic allocuta Eliſabetham: Filius tuus erit magnus Propheta; in ſpiritu Eliæ defendet legem - in circumciſione detur illi nomen Joannes; hoc enim nomen illi conſtitutum eſt ab æterno.

288. Eliſabeth viciſſim ſic locuta eſt ad B. Virginem; *O Regina omnium creaturarum* &c.

291. B. Virgo, dum Zacharias ſcribit nomen Joannis, utitur ſua poteſtate, & præcipit mutitati, ut Zachariam deſerat; ad quod imperium ſtatim potuit loqui.

294. Zacharias ſupernaturali claritate vidit, myſterium Incarnationis conſummatum in utero B. V.

298. O Domina Univerſi, non ſcio cauſam eorum ſecretorum miraculorum, quæ patraſti cum Joanne, Eliſabeth, & Zacharia; meam ignorantiam ſubmitto, ut me tanquam Magiſtra mea inſtruas.

299. B. V. ad me dixit: Decentius erat, ea myſteria promulgari per Zachariam ratione ſtatûs ſacerdotalis; hic modus promulgandi erat convenientior pro ignorantibus, & in divinis myſteriis parum exercitatis. - Habui poteſtatem imperandi peccato originali; & DEus voluit, ut tanquam domina in Joanne imperarem peccato originali. Neque etiam præcepiſſem ſolutionem linguæ in Zacharia, niſi id juſſiſſet mihi Deus.

309. 310. Joannes loquitur in ſecreto ad B. V. *Tu es mater Dei, Regina creaturarum omnium* &c. oſculabatur tunc ter manum B. V. & adorabat Chriſtum. Similiter agnovit etiam dignitatem S. Joſephi.

315.

Digitized by Google

315. B. V. fatigabatur in itinere, quia noluit uti dominio ſuo in omnes creaturas, ut aliquid pateretur.

317. In itinere reperit mulierem obſeſſam - tunc agnoſcens divinam ad miſericordiam propenſam voluntatem, imperavit intus in animo dœmonibus, ut exirent, & in infernum abirent. Et ſtatim exierunt, ac in infernum ſe præcipitarunt.

322. 323. Cum Lucifer in momento Incarnationis cum ſuis vehementer opprimeretur occulta vi, ipſemet circuivit totam terram ad inveniendam tantæ oppreſſionis cauſam. Tandem poſt tres menſes nullâ reperta cauſa reverſus in infernum coegit univerſale Concilium omnium dœmonum, quos ex alto throno ſic alloquitur: Scitis, qualiter allaboraverim ad vindicandum nos ob ejectionem noſtram è cœlo. - Hoc non obſtante ſentio nunc, vires noſtras eſſe fractas, & regnum noſtrum eſſe everſum. - Circuivi terram, & perluſtravi omnes homines - puella, quam timebam, jam eſt conjugata, adeoque non poteſt eſſe mater Meſſiæ, cum Iſaias prophetaverit, eam fore virginem. Timeo tamen, ne forte ipſa ſit mater matris futuræ Meſſiæ. Hæc eſt invicta contra noſtros inſultus. Facile labitur mihi è memoria; & ſi rectè memini, non poſſum facile illi appropinquare. Non intelligo quid ſibi velint hæc difficultas appropinquandi, & mea oblivio in hac re. &c. &c. Perſequamur illam; quicunque veſtrum in hac perſecutione ſe ſtrenuum geſſerit, habebit à me prœmium.

325. 326. Tota caterva dœmonum laudavit hanc propoſitionem Luciferi, & promiſit, ſe fortiter contra hanc mulierem dimicaturam, dicens: - . Deus enim dœmonibus providè occultavit myſterium Incarnationis, & virginitatem B. V. Deitatem Chriſti usque ad ejus mortem nunquam agnoverunt certitudinaliter. Dœmones ab obſeſſis ejecti, quando dixerunt, ſcimus, quod ſis filius Dei, id tantùm dixerunt ſuſpicando.

334. B. V. ad me dixit: Scias, dœmones explorare tuas naturales inclinationes, & dona conceſſa à Deo.

335. Chriſtus in utero materno ſciens præfata dœmonis conſilia ſe erexit in pedes, quaſi ſtans in arenam deſcenſurus. In hoc ſitu rogavit Patrem, ut matri ſua dona confirmaret.

336. Tunc apparuit Deus B. Virgini, eamque contra dœmones animans dixit: *Columba mea* &c.

337. Igitur B. V. triumphavit contra infernum, ut nos agnoſcamus obligatos non tantùm Chriſto, ſed etiam ejus matri, noſtræ conſervatrici & defenſatrici, quæ dœmonem in certamine repulit, ligavit, & vicit, ut genus humanum eſſet minus inidoneum ac incapax ad recipiendum Salvatorem.

340. Ad inchoandam pugnam contra B. V. ſumpſit Lucifer ſeptem Legiones dœmonum cum optimis eorum ducibus, quas ſecum è cœlo traxit, ut tentet genus humanum per ſeptem vitia capitalia. Prima Legio tentavit B. Virginem per ſuperbiam, quia hoc eſt illius Legionis officium. Ut ergo præparet naturales propenſiones per commotionem humorum nitebantur appropinquare B. Virgini, ſed impediebantur quadam vi, & odore ſanctitatis illius, qui eos inſtar ignis infernalis cruciabat. Tantus tamen erat eorum furor, ut non obſtantibus his doloribus, quos ſentiebant, nihilominus ſibimetipſis vim intulerint ad propius accedendum.

341. 342. Dein ſuggerunt blaſphemas cogitationes. 342. Induunt etiam terribiles formas, & conantur terrere B. Virginem rugitibus, clamoribus, & ululatibus. Denique concutiunt terram ac domum, ut eam impediant ab oratione. - In hac pugna B. V. aliquoties dixit: quis ut Deus? &c.

343. Dein dœmones transformarunt ſe in angelos lucis, dicentes: Viciſti, viciſti, o fortiſſima; venimus ad coronandum te - 344. Dœmones volebant per hoc expiſcari, an eſſet verè mater Dei.

Digitized by Google

Dei. - Non cenſui omnia eſſe referenda, quæ garrierunt dœmones, & fecerunt; dicta ſufficiant; neque enim poſſunt omnia confidi ignorantiæ creaturarum labilium.

345. Secunda Legio tentavit per avaritiam, offerendo divitias, argentum, aurum &c. dicens: hæc eſſe illi donata à Deo, ut diſtribuat in pauperes &c.

348. Quartà Legio nitebatur commovere ad iram. Igitur frangunt omnia in domo, & induunt formam quarundam mulierum, quæ B. Virginem laceſſunt convitiis, & minantur, ſe omnia velle tollere è domo.

359. Denique voluit Lucifer occidere matrem cum filio, quamvis non crediderit hunc fore Meſſiam, ſed tantum aliquem ſanctum. In hac perſuaſione concepit illam iram, quæ deſcribitur in Apoc. C. 12. Itaque ut occidat matrem cum filio, apparet illi in terribilibus formis taurorum, draconum. &c. ex ore evomebat ignem & fumum ſulphureum.

361. 362. 363. Tunc in præſentia B. Virginis evomuit multas hæreſes, quas non conſultum hìc omnes enumerare ob multos puſillos. B. Virgo has omnes tentationes repulit, & per hanc victoriam promeruit, quod Deus Luciferum impedierit, ne ſeminaret in mundo tot hæreſes, quot voluiſſet. Nam, quamvis nunc multæ ſint in mundo hæreſes, non tamen intra hunc numerum ſtetiſſent, niſi B. Virgo ſuis precibus & triumpho caput illius contriviſſet. Revelatum mihi eſt, quod propter hunc & alium, quem infra referam, triumphum Deus B. Virgini conceſſerit, ut ob illius preces & virtutes aliquando extinguendæ ſint omnes hæreſes. Sed quando hoc futurum ſit, mihi non eſt revelatum. Et quamvis hæc promiſſio ſit conditionata, certa tamen ſum, ſi principes cum ſuis ſubditis debitè venerarentur Mariam, quod futuri eſſent idonea inſtrumenta ad extinguendos errores.

364. Lu-

Digitized by Google

364. Lucifer in Eccleſia diſſeminavit hæreſes, quæ à tempore Apoſtolorum usque ad hæc tempora turbarunt Eccleſiam. Victoriam contra has machinationes dœmonis reliquit Chriſtus ſuæ matri. Ipſa enim ſòla hoc promeruit & promereri potuit. Per ipſam extincta fuit Idololatria; per ipſam conſumptæ ſunt hæreſes Arrii, Neſtorii, Pelagii & aliæ.

365. Maria ſola erat digna illis donis, & privilegiis, quibus vicit infernum. Ipſi dedit Deus gladium ſuæ omnipotentiæ, ut amputaret caput draconi infernali; & hæc poteſtas nunquam ab ipſa auferetur, ut defendat Eccleſiam militantem.

366. Lucifer pergit cum ſuis Legionibus in forma viſibili infeſtare Mariam. Verùm ex imperio B. V. debuerunt ora ſua impingere terræ. Cruciabantur adeo ejus oratione, ut voluerint aufugere; ſed Deus hoc non permiſit; itaque debuerunt à B. V. petere licentiam abeundi; quâ petitâ eos miſit in infernum.

367. Poſtquam Deus permiſit Lucifero, ut ſe attoleret, excitat inter mulieres vicinas diſcordias ratione bonorum temporalium; dein aſſumit perſonam alterius mulieris, & perſuadet illas vicinas, totam diſcordiarum cauſam eſſe Mariam &c.

369. Ultimò omnes infernales catervæ renovant ſimul omnes tentationes, quas hactenus moverunt ſeparatim.

370. Tunc Maria converſa ad dœmones dixit: Tibi princeps tenebrarum in nomine altiſſimi præcipio, ut te cum toto tuo comitatu præcipites in infernum, nec inde redeas usque ad adventum Meſſiæ. Et ſic factum. In alio certamine, ut in alia revelatione infra dicam, ſic fregit vires Luciferi, ut, dummodo homines vellent, facile eum poſſent ſuperare.

372. B. V. ad me dixit: Non ſunt fortiora arma contra dœmonem, quàm ſi homo tanquam ſuperior ex fide & fiducia in cœleſtem ſuum patrem illi imperet, ut abeat.

375.

Digitized by Google

375. Quinto menſe advertit S. Joſeph ſuam ſponſam gravidam. 376. Certè, ſi credidiſſet in ea culpam, obiiſſet præ dolore. 396.

390. B. V. cognoſcens anxias S. Joſephi curas jubet ſuis angelis, ut eum adjuvent. *Beati ſpiritus*, inquit, -

393. S. Joſeph, poſtquam jam duos menſes in hac anxietate tranſegerat, exclamat: *Non invenio aptius medium* &c. ſtatuit proin ea nocte diſcedere. Attamen prius ſic precabatur Deum: *Æterne Deus* &c. 394. Vovit etiam aliquam partem pecuniæ in templum. B. Virgo per revelationem cognoſcit omnes eas cogitationes S. Joſephi.

397. B. V. ad me dixit: Diſce ex illo meo ſilentio te nunquam excuſare in eo, quod tibi imputatur, etſi ſis innocentiſſima.

400. Deus mittit angelum Gabrielem, ut eum liberet à curis. Illi in ſomno loquitur; quia, licet S. Joſephus non commiſerit culpam ſuſpicione, paſſus tamen eſt aliquam perturbationem ſenſuum, qua ad ſenſibilem familiaritatem cum angelo inidoneus redditus eſt.

401. Et hæc ipſa cauſa eſt, cur Deus in Veteri Teſtamento toties legatur locutus fuiſſe Patribus in ſomno; quia nempe ſenſus eorum ad familiarem converſationem cum angelis nondum erant purgati.

404. Tunc Joſeph in ſomno intellexit eſſe matrem Dei. Itaque increpabat ſeipſum dicens: *O mater Dei* &c. 405. Flebat, & verrebat domum, ac purgabat ſolum, quod veſtigiis B. Virginis premebatur. 408. Projecit ſe etiam ad ejus pedes dicens: *O Mater Verbi æterni* &c.

410. 411. B. V. conſolabatur Joſephum, & illuminabat dicens: *de myſteriis* &c. Hic verò exclamavit: *Benedicta tu in mulieribus* &c.

412. S. Joſeph agnovit & adoravit Verbum incarnatum in utero virgineo. Non me detinebo in recenſendis aliis prærogativis conceſſis S. Joſepho, quæ mihi fuerunt revelata, quia indigerent longiore tractatu.

414. De his & multis aliis myſteriis nihil ſcripſerunt Evangeliſtæ, partim quia B. V. & S. Joſeph ea non manifeſtaverunt, partim quia erat non neceſſarium in primitiva Eccleſia aut utile pro gentilibus, qui potuiſſent his narrationibus offendi. - Fateor, in hoc ipſo libro comprehendi aliqua myſteria, quorum plena cognitio reſervatur in diem extremi judicii.

420. 421. Joſephus adorat Deum in utero virgineo, & eum videt quaſi per cryſtallum corporaliter.

423. S. Joſephus & B. V. in domo nec habuerunt ancillam, nec famulum. Domus diviſa erat in tria cubicula. In uno S. Joſephus dormiebat; in altero laborabat; in tertio dormiebat B. Virgo. Eam verò S Joſephus aliquoties reperit in Ectaſi, elevatam è terra; lumine circumfuſam. Aliis vicibus eam reperit in forma crucis expanſis manibus orantem.

424. B. V. non ſolebat exire domo, niſi ob ſervitium Dei aut proximi; neceſſaria enim afferebat aliqua mulier vicina.

425. Nunquam viſa fuit à S. Joſepho dormire. In lecto habebat duas ſtragulas, intra quas brevem ſomnum carpebat. Camiſia erat linea; hanc retinuit eandem ab eo tempore, quo exivit è Convictu puellarum Templi. Non enim antiquabatur, nec deterebatur. Exterior veſtis erat cinerei coloris; hanc & velamentum capitis ſubin mutabat, non quia erant detrita, ſed ne obſervaretur ab aliis. Nihil eorum, quæ in ſuo virgineo corpore portavit, fuit unquam denigratum, aut ſordidatum, quia nunquam ſudavit, nec paſſa eſt alia incommoda, quæ ſentiuntur ab aliis peccato originali ſubjectis. Similiter opera manuum ejus, quæ laborabat, erant immaculata. Nunquam comedebat carnem,

quam-

quamvis eam paraverit pro S. Joſepho. Cibi ejus erant fructus, piſces, panis, herbæ.

426. Habuit ſummam perfectionem ſine defectu ullius gratiæ; nam omnes in plenitudine abſolutæ perfectionis tam naturalis quàm ſupernaturalis erant in ipſa conſummatæ.

429. B. V. ſolebat S. Joſepho prælegere S. Scripturam præſertim Pſalmos & Prophetias, & ex iis idoneos textus eidem interpretabatur de Meſſia. Sed de paſſione Chriſti, de qua agunt Iſaias & Jeremias, loquebatur parcius, quia nolebat ſuum ſponſum, qui erat cordis teneri ac ſimplicis, hac re contriſtare.

432. Semel S. Joſephus obſervavit, quod aves turmatim convolando ac cantando B. Virginem venerentur; tunc dixit: Hæccine animalcula ſuæ obligationis obſervantiores erunt, quàm ego?

433. Sæpius contigit, in domo B. V. deficere alimenta. Tunc interdum B. V. præcepit avibus, ut ex aquis apportarent piſces, aut fructus ex agris; interdum attulerunt in roſtris panem.

434. S. Joſephus & B. V. nunquam pro ſuis operis ac laboribus exigebant determinatam mercedem, ſed eam relinquebant arbitrio eorum, qui operas eorum conduxerant. Propterea contigit, quod interdum non fuerit eis ſolutum competens pretium, & ſic in domo defecerint neceſſaria. Semel, dum ad prandium non aderant cibi, perſeverabant usque in ſeram veſperam in oratione. Tunc angeli appararunt menſam, ob quod B. V. cantavit Hymnos.

435. Quando ſcribo, quod B. V. cantaverit Hymnos, ſemper intelligo novos, quales fuerunt Annæ matris Samuelis, Moyſis, Iſaiæ, Ezechiæ, & aliorum Prophetarum. Si omnes ejusmodi Hymni B. Virginis decantarentur, conficerent magnum librum.

Digitized by Google

439. Appropinquante partu B. V. ad S. Joſephum dixit: *Parabo jam faſcias pro Meſſia; pro adultiore ejus ætate conficiam togulam inconſutilem.* --

440. Deus apparuit S. Joſepho & B. Virgini dicens: *In mundo poſt meam nativitatem volo à vobis tractari tanquam veſter filius.* --

441. Dein B. V. præparavit duas faſcias laneas, unam albam, alteram caſtanei coloris; & linteamina à ſe contexta ad involvendum Infantem. Faſcias conſpergit aqua odorifera; ſicque conſperſas reſervat in ciſtula.

442. Ad hæc compoſuit novos Pſalmos & Hymnos, quos decantabat; & percurrit Scripturam Sacram.

443. Præ deſiderio amoris, quo exſpectabat filium, mortua fuiſſet, niſi ſupernaturaliter eam Deus conſervaſſet à morte. Nam plerumque videbat clarè in ſuo virgineo utero Chriſtum, & omnes internos actus in ejus anima; videbat etiam ejus ſitum quoad corpus, & preces ejus pro humano genere.

444. Sæpe alloquebatur ſuum filium, dicens: O dulcis amor mei cordis - - - ſi non poteſt aliter fieri, quàm ut patiaris, permitte tamen, ut particeps ſim omnis paſſionis toto vitæ tuæ tempore.

445. Chriſtus aliquoties in utero virgineo genuflexus orabat; aliquando verò orabat in forma crucis. Vidit etiam omnia futura; quæ & ipſa cognovit B. V.

451. Quando parabant ſe ad iter Bethlemium, Deus ordinavit alia novem angelorum millia, ut eos comitarentur; ut proin B. Virgo in eo itinere habuerit decem angelorum millia.

453. S. Joſephus pro itinere conquirebat in Nazareth aſinum; ſed difficulter poterat obtineri, quia plures alii incolæ pro exequendo mandato Imperatoris ad ſuum iter aſinos conquirebant. Iter durabat quinque diebus. Cura domus interea alteri commiſſa.

457.

457. In itinere decem millia angelorum præcedebant B. Virginem in viſibili forma. Quadringenti autem quinquaginta & unus angelus erant à Deo deputati ad inſerviendum Chriſto & B. Virgini in itinere. Multi alii angeli ultra præfata decem millia erant à Deo deputati tanquam nuntii cœleſtis Patris ad Chriſtum & B. Virginem, quorum erat deſcendere è cœlo & aſcendere. Cæterùm in itinere nullus hominum eos comitabatur, aut adjuvabat.

458. B. V. in hoc itinere non habuit noctem, quia angeli eam comitantes ſparſerunt tantam lucem, quantam ſol in meridie. Hoc privilegio gaudebat etiam S. Joſephus, qui cum B. V. & cum angelis reciprocis choris cantando in itinere laudabat Deum.

459. In aliquibus hoſpitiis rejiciebantur; in aliis in viles tantum domûs angulos admittebantur, ubi, dum S. Joſephus dormit, B. Virgo cum angelis noctem in colloquiis tranſigit.

460. In hoc itinere litteraliter impletum eſt, quod ſcribit Salomon in Canticis de ſuo lectulo, & ferculo, & de ſexaginta fortibus.

461. B. V. ſcivit cogitationes ſecretiſſimas animarum, & omnem earum ſtatum internum; de multis etiam ſcivit, an eſſent prædeſtinatæ vel non.

462. Aliquoties, poſtquam frigore, nive, & pluvia laſſati ad hoſpitia venerant, cogebantur divertere in ſtabulis animalium; poterat quidem B. Virgo ventis, pruinæ, & nivi præcipere, ne ſe moleſtarent, ſed noluit. - Juvabant tamen angeli, præſertim S. Michaël, qui eam ſuſtentabat ſuis brachiis, quando laſſabatur.

463. Quinto tandem die horâ quartâ pomeridiana ſole jam occidente, & nocte appropinquante die Sabbati in ſolſtitio hyemali pervenit in Betlehem. Primò circumeundo per varias plateas quærebant diverſorium apud cognatos & notos; ſed cum

Digitized by Google

contumelia rejiciebantur. S. Joſeph pulſabat de domo in domum, ſed ubivis datur repulſa. Sic quærendo diverſorium pervenerunt etiam ad Curiam urbis, ubi ſtatim dederunt nomen ſuum pro inſcriptione, & ſolverunt cenſum; dein pergebant in quærendo diverſorio; attamen, licet jam in quinquaginta domibus id petierint, ubivis repulſi ſunt cum irriſione.

464. Jam erat hora nona. Tunc S. Joſephus dixit: Eamus in illam ſpecum extra urbem --

467. B. V. ad me dixit: Finis principalis in deſcriptione hujus meæ vitæ eſto, ut in me habeas formulam tuæ vitæ.

470. Itaque ingreſſi ſunt in ſpecum, quæ à ſolo natura ſine arte humana ſic formata erat pro pecoribus. Ibi per lumen, quod decem angelorum millia de ſe ſpargebant, omnia intuebantur.

472. Primò S. Joſeph everrit ſpecum; dein accendit lumen.
473. Tunc parat ſtragulam pro B. V. ut dormiat; ipſe verò parat ſe ad ſomnum in angulo; ubi raptus in Ectaſin videt omnia eventura ea nocte.

474. Similiter B. Virgo rapta in Ectaſin videt intuitivè Deum.

476. Sic parit genuflexa & fulgens inſtar ſolis, media nocte in die Dominica, poſt Creationem mundi anno 5999, ſicut docet nos Eccleſia; & hunc calculum eſſe verum, mihi revelatum eſt.

477. Superiores mei injunxerunt mihi ſub obedientia, ut B. Virginem & angelos interrogarem de circumſtantiis hujus Nativitatis; cui mandato Superiorum dum obtemperarem, hæc mihi revelata ſunt. &c.

478. Corpus Chriſti non diviſit corpus B. V. ſed tranſiit, ut radius ſolis per cryſtallum; & exiit purum ſine ſordibus, ac ſine ſecundinis. Quia defuerunt in hac Nativitate non tantùm ea, quæ ſunt ſequela peccati originalis, ſed etiam eæ naturales impuri-

puritates quæ non pertinent ad ſubſtantiam generationis. Nam à Chriſto & B. Virgine omnia excludenda ſunt, quorum excluſio ſervit ad eorum majorem honorem ac excellentiam, dummodo non ſint neceſſaria ad conſtitutionem humanæ naturæ, aut ad officium Redemptoris vel Magiſtri. Aliqui erroneè crediderunt, Chriſtum natum cum Secundinis.

479. Non decuit, ut Incarnatum Verbum iret juxta leges communes filiorum Adam; ſed decuit, ut miraculoſo modo naſceretur, & ab omni eo liber eſſet, quod poſſet eſſe aliqua materia corruptionis aut putrefactionis. Igitur Secundinæ, cum fuerint tam propinquæ corpori Chriſti, ac quaſi unum cum illo; ac etiam fuerint pars ſanguinis & ſubſtantiæ Mariæ, non debuerunt extra corpus B. Virginis corrumpi. Dein non decuit eas extra corpus B. V. aſſervari; aut iisdem donum penetrabilitatis concedi, ut divino corpori. Denique, cum non potuiſſent aſſervari incorruptæ ſine miraculo, decentius hoc miraculum patratum eſt in utero virgineo.

480. Corpus Chriſti in Nativitate fuit & apparuit B. Virgini glorioſum, ut in monte Thabor.

481. Statim natum Chriſtum ex utero exceperunt in humana ſpecie ſuis manibus angelus Michael, & Gabriel, & ſicut Sacerdos Hoſtiam populo adorandam oſtendit, ita illi corpus Chriſti B. Virgini monſtrarunt. Tunc filius & mater ſe invicem intuebantur; & Filius adhuc in manibus duorum angelorum exiſtens ſic matrem allocutus eſt: *Chariſſima mater* &c.

482. B. Virgo tantam habuit ſimilitudinem ad animam Chriſti, quanta puræ creaturæ eſt poſſibilis. Tunc & ſenſit præſentiam SS. Trinitatis, & audivit vocem cœleſtis Patris: *Hic eſt filius meus dilectus in quo mihi complacui.*

485. Decem angelorum millia proni in terram adoraverunt Chriſtum; & cum SS. Trinitas ſpeciali modo adfuerit Nativitati Chriſti, cœlum à ſuis incolis fuit quaſi deſertum; tota enim cœleſtis curia venit in Betlehem ad adorandum Chriſtum.

486.

Digitized by Google

486. S. Joſeph intuendo Chriſtum tanta repletus eſt exultatione, ut naturaliter debuiſſet mori, niſi fuiſſet divinitus præſervatus. Tunc Jeſulum faſciis involutum repoſuit in præſepi ſupra lapidem, ſtramen, & fœnum. Statim accurrit ex vicinis campis bos, ſe ſocians aſino, quem S. Joſeph ſecum adduxerat. B. Virgine utriſque præcipiente, ut venerarentur ſuum Dominum, ſtatim procubuerunt in genua, & halitu eum foverunt. Sic implebatur prophetia Iſ. 1. v. 3. *Agnovit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui.*

490. B. Virgo præcepit S. Michaeli, ut proficiſcens in limbum Patrum ſpeciatim S. Joachimo & Annæ acta referret. Omnes Patres ſtatim cecinerunt nova Cantica, & genuflexi adoraverunt ſuum creatorem. Alii angeli in varia alia loca ad annuntiandum miſſi ſunt. S. Joachim & Anna injunxerunt S. Michaeli ad filiam, ut ipſa eorum nomine divinum puſionem veneretur.

491. 492. Alius angelus miſſus eſt ad S. Eliſabeth & S. Joannem, qui ſtatim proni adorarunt Salvatorem. S. Eliſabeth miſit dona in Betlehem, pecuniam, pannum lineum. Alii angeli miſſi ad Zachariam, Simeonem, & Annam Prophetiſſam, & alios aliquos juſtos.

493. In Nativitate Domini omnes juſti ſenſerunt aliquod internum gaudium, cujus cauſam ignorabant. Tunc etiam in aliis creaturis inſenſibilibus contigit mutatio. Nam omnes influxus Planetarum renovabantur & meliorabantur; ſol accelerabat ſuum curſum in ortu; ſtellæ ſplendebant longè clarius; & eadem nocte accenſa eſt ſtella, quæ duxit tres Reges. Multæ arbores dabant flores, & fructus. Aliquot templa idolorum, & in multis ipſa idola corruerunt. Hæc miracula erant publica ac manifeſta mundo, ſed homines dederunt varias ejus rei cauſas.

494. Gabriel in viſibili forma apparuit paſtoribus.

495. Chorus angelorum ſæpius iteravit hoc canticum; *Gloria in excelſis Deo* &c. - 497. Paſtores adorantes manſerunt à diluculo usque ad meridiem; tunc à B. Virgine cibis refecti disceſſerunt.

498. Paſtores ſæpius ad præſepe reverſi ſunt cum muneribus. Illud verò, quod refert S. Lucas, nempe eos, qui audierant dicta à paſtoribus, miratos eſſe, primùm contigit, quando S. Joſeph cum B. Virgine jam diſceſſerat Bethlemio. Inter eos, qui paſtoribus crediderant, erat etiam Herodes, non ex pietate, ſed ex metu perdendi regnum.

499. B. V. ad me dixit: Niſi malus ſtatus hominum impediviſſet, omnes, aut ſaltem multi idem lumen obtinuiſſent, quod tunc obtinuerunt juſti, paſtores, & magi.

501. 502. Incarnatio ſeu Nativitatis Chriſti erat Lucifero abſcondita. Hinc etiam Deus illi abſcondit multas circumſtantias ad Nativitatem hanc pertinentes, & quas naturaliter potuiſſet ac debuiſſet agnoſcere. Scivit Mariam pauperem peperiſſe infantem, & hunc fuiſſe circumciſum; ſed non agnovit virginitatem B. V., nec delegationem angelorum ad juſtos, nec paſtorum ſermones & adorationem; ſimiliter non vidit ſtellam prælucentem tribus magis; nec ſcivit cauſam eorum adventûs. Sic pariter ignoravit cauſam mutationis in elementis, ſtellis ac planetis, quamvis ipſam mutationem obſervaverit. Item erat ipſi incognita allocutio trium magorum cum Herode, eorum adoratio, & munera. Agnoſcebat crudelitatem Herodis contra infantes, ſed malam Herodis intentionem non agnoſcebat.

503. Itaque convocat in inferno concilium dœmonum dicens: Non habemus cauſam ſuſpicandi, hunc infantem eſſe Meſſiam. -

507. Quando S. Joſephus tradebat B. Virgini infantem, aut B. Virgo S. Joſepho, ſemper id faciebant flexis genibus; & quan-

Digitized by Google

do propius accedebant ad JESUM, ter ſe proſternebant in terram, eamque oſculabantur.

508. Quando B. V. volebat lactare infantem, ſemper petebat ab eo licentiam. Angeli autem miniſtrabant B. Virgini in omnibus. Horum myſteriorum in nobis oblivio eſt magna inurbanitas.

509. Poſſem multa adhuc enarrare de reverentia B. V. erga infantem mihi revelata, quæ dum non enarro, culpabilem me fateor. Erant tunc angeli omnes B. Virgini præſentes usque ad fugam in Ægyptum in viſibili forma. Datum etiam B. Virgini à Deo, ut in ſomno eadem curâ poſſet geſtare ac tractare infantem, ac ſi vigilaret; & ut omnia, quæ agebat, intellexerit, ac ſi eſſet vigil.

510. Cantica, quæ B. Virgo cum angelis decantabat filio, erant varia; de his multa mihi eſſent ſcribenda. Sed horum cognitio eſt reſervata ſolis electis ad eorum ſpeciale gaudium.

515. 516. B. Virgo hæſitabat, an non obſtante, quod filius ſuus ſit immunis à lege Circumciſionis, nihilominus eſſet circumcidendus; poterat quidem liberare ſe hoc dubio interrogando Deum; noluit tamen ex humilitate. Immo nec interrogavit de hoc ſuos angelos; quia cuivis rei voluit exſpectare tempus opportunum. Non præcipitabat unquam curioſitatem ſciendi, ut res indagaret modo ſupernaturali extraordinario. Si verò ingruebat repentinus caſus, in quo neceſſariò inquirendum erat in voluntatem Dei, petebat prius à Deo licentiam, Deo ſupplicandi pro informatione. Neque huic obſtat, quod dixi, B. Virginem nihil feciſſe ſine prævia deliberatione cum Deo: hoc enim ſic intelligendum, quod per lumen internum ſupernaturale omnia expenderit; non quod petierit extraordinariam revelationem.

517. Itaque cum in hoc dubio indigeret ſpeciali illuſtratione, ſic in corde ſuo locuta eſt: *O communis lex! juſta es & ſancta,*

ſed

ſed nimis dura pro corde meo, ſi hoc vulneras in eo, qui eſt illius vita. &c.

518. Poſt hæc propoſuit ſuum dubium Deo, dicens: *Summe Rex.* &c. 519. Deus reſpondit: - *Si filius tuus tradendus dolori - cogita, quod & ſit meus, imago ſubſtantiæ meæ, & conſubſtantialis.* --

521. B. V. non manifeſtavit hanc revelationem S. Joſepho, ſed ei dixit: cum non haberent expreſſum mandatum omittendi circumciſionem, videri neceſſarium, ut ea ſuſcipiatur.

522. B. V. S. Joſepho dixit, ut provideat de vaſe cryſtallino, in quo Reliquia Præputii aſſervetur. Ipſa verò præparavit faſcias, in quibus exciperetur ſanguis, ne guttula periret. Dein ordinavit, ut S. Joſephus adiret Sacerdotem, eumque rogaret, ut veniret in Præſepe, ubi contigit Nativitas, ibique ſacramentum Circumciſionis adminiſtraret.

524. Tunc deſcenderunt innumeri angeli de cœlo in veſtibus ſplendidis, habentes palmas in manibus, & coronas in capite; ac ſpargentes tantam lucem, quam ſpargerent multi ſoles. Ad pectus illis quaſi e catena aurea dependebat gemma, cui inſcriptum erat nomen JESUS. Splendor hujus nominis longè ſuperabat ipſum ſplendorem angelorum. Hi verò ſe dividebant in duos Choros in præſepi; Duces eorum erant S. Michael, & S. Gabriel. Habebant etiam in manibus Scuta, quibus inſcriptum erat magnis litteris nomen JESUS.

525. Dein angeli B. Virginem ſic allocuti ſunt: - *Nos, qui hic adſtamus, ſumus ordinati ad aſſiſtendum tuo filio in omnibus myſteriis usque ad ejus Aſcenſionem in cœlum.* - Joſeph & Maria laudabant Deum novis Canticis. Quid cum illis ulterius in multis contigerit, non poſſum ſatis declarare.

526. 527. B. V. ad me dixit: Requiro à te, ut cum ſumma reverentia agas cum creatore. - Alii, qui magna beneficia acce-

perunt à Deo, eum graviter offendunt quadam periculoſa & horrenda inurbanitate. Nam ex dulcedine, qua illos Deus dignatur, inſoleſcentes, audent ob elationem cerebri cum immenſa majeſtate agere ſine debita reverentia, aut ex vana curioſitate per vias ſupernaturales indagare res, traſcendentes eorum intellectum, quas non convenit ipſis ſcire. Id ex eo provenit, quia erroneè judicant, eundem eſſe modum, familiariter agendi cum Deo, ac cum hominibus. 528. Non incidas in temeritatem eorum, qui in quovis caſu, parvo ſeu magno, abſque conſideratione conantur ſcrutari myſterium, & deſiderant, ut divina providentia ſe inclinet ad eorum vanam curioſitatem, ortam non ex fervore ſancti amoris, ſed ex inordinatis affectibus. 529. Ipſamet auſa non ſum, precari Deum, ut mihi viâ aliquâ extraordinaria manifeſtet ullam rem, ut me liberet aliqua incommoditate, aut ex humano motivo certiorem faciat. Nam hæc petere foret naturalis infirmitas, vana curioſitas, aut reprehenſibilis malitia. Si autem adigebat me neceſſitas ob honorem Dei, aut alia inevitabilis occaſio, tunc petebam à Deo licentiam, Deo proponendi meum deſiderium. 530. Scribe hoc documentum in corde tuo; cave, ne unquàm ex inordinatio curioſo deſiderio ſcire deſideres, quod tranſcendit humanum intellectum. Nam Deus non ſolet reſpondere hujusmodi imprudentiæ, & magnam contra eam habet diſplicentiam; dœmon autem in perſonis ſectantibus ſpiritualem vitam ad hoc vitium ſollicitè invigilat. Et ſicut ipſe plerumque eſt author ejusmodi pravæ curioſitatis, eam ſuâ aſtutiâ commovendo, ita ſolet ad eam reſpondere, transformando ſe in angelum lucis, & imperfectos atque incautos decipiendo. Et etiamſi ejusmodi interrogationes tantùm orirentur ex affectu naturali, non tamen eſſent propterea attentandæ, quia natura corrupta habet in ſe affectiones inordinatas. Conſimiliter non eſt confugiendum ad revelationes divinas, ut quis ſe liberet à tribulationibus; quia ſervum Chriſti quærere magis convenit cruces, quàm fugere.

531.

Digitized by Google

531. Quamvis cuivis licuerit, circumcidere infantes, piæ tamen matres ſolebant hoc committere Sacerdoti. Itaque etiam B. V. fecit advocari per S. Joſephum Sacerdotem Synagogæ, quæ erat in urbe Bethlehem.

532. Is proin venit ad præſepe cum duobus miniſtris.

533. Sacerdos dixit B. Virgini, ut traderet infantem miniſtris, ſed tenuit eum ipſamet in circumciſione. S. Joſephus pro majori reverentia accendit duos cereos.

534. Itaque Chriſtus ſuſcepit Sacramentum Circumciſionis, quod fuit inſtitutum ad abluendum peccatum originale.

535. Chriſtus & B. V. tunc flevit, quæ linteolum ſanguine reſperſum tradidit S. Joſepho.

536. Sacerdos prædicit, infantem fore prophetam. B. Virgo ei tradit duos cereos & alia.

537. B. Virgo adhibet infanti medicamenta ordinaria; & detinet eum in ulnis die ac nocte, usque dum ceſſaverat dolor. Ad ejus preces angeli habuerunt muſicam, & cantaverunt vocibus materialibus ea Cantica, quæ ipſa cum S. Joſepho in laudem SS. Nominis JESU compoſuerant.

541. B. Virgo ſciebat venturos Reges per ſcientiam infuſam ex Scriptura, & per angelos, & per multas ſublimes revelationes.

542. Deus per SS. Michaelem & Gabrielem ad B. V. & S. Joſephum dixit: Dei voluntas eſt, ut Rex cœlorum in hoc loco adoretur à tribus Regibus. Jam decem diebus ſunt in via; nam ſtatim de Nativitate habuerunt notitiam, & ſine mora ſe commiſerunt viæ.

543. B. V. ad S Joſephum dixit: Hic locus electus eſt - conſenſit S. Joſeph, ut usque ad oblationem in templo ibi manerent; præſertim, quia longum eſt iter in Nazareth. Quod ſi frigore cogerentur ſe conferre in urbem, id facile fieri poſſe, quia Bethlehem tantùm diſtat duobus milliaribus Jeroſolima.

544. B. Virgo manſit ergo in Præſepio cum propoſito ibi commorandi usque ad oblationem in templo. Maximam curam habuit, ut infantem ſemper retineret in ulnis, nec eum ſine neceſſitate dimitteret. Quando venti erant nimis moleſti, uſa eſt ſua poteſtate in creaturas, quarum eſt Domina & Regina. Præcepit enim frigori, ventis, nivi, pruinæ, ut creatorem ſuum non offenderent, ſed ut ſævitiam ſuam converterent in ſe. Dicebat illis: *Retinete* iram veſtram contra veſtrum Creatorem, Dominum, & conſervatorem, qui vobis dedit eſſentiam, vires, & operationem. Advertite o creaturæ Dilecti mei, quod veſtram acrimoniam tantùm receperitis ad puniendam inobedientiam Adami & ejus poſterorum; ſed Adamo ſecundo, qui venit ad reparandum lapſum primi, exhibeatis omnem urbanitatem; nec offendatis eum, cui debetis omne ſervitium & obedientiam; Præcipio vobis in ejus nomine, ut ipſi nil inferatis moleſtiæ.

545. Statim ergo nix, aqua, & venti ſe continuerunt in notabili diſtantia; & dum infans liberatur à moleſtia, mater ſenſit ſævitiem elementorum ac frigoris. Hanc exemptionem à moleſtia elementorum ſenſit etiam S. Joſephus, quamvis ignoraverit cauſam.

546. B. V. ſingulis diebus ter præbuit Jeſulo lac petita ab eo prius licentiâ. - Blanditiis matris reſpondebat filius pari amœnitate. Communiter ſe poſuit ſupra cor virgineum, aut ſupra humeros circumfuſus collo.

547. B. Virgo ſæpe per humanitatem Chriſti tanquam per vitrum cryſtallinum vidit unionem hypoſtaticam, & operationes ejus animæ orantis ad Patrem; quas operationes & preces ipſa quoque imitabatur. - Ipſa ſola compenſat fœditatem totius generis humani.

548. Tunc B. V. efficiebatur tota, ut ita dicam, divina. Sæpe fuiſſet mortua præ fervore divini amoris, niſi fuiſſet ſupernaturaliter conſervata. Dicebat ad filium: *O amor* &c. Interdum

dum cognovit omnes actus exercendos per eos, qui erant in Eccleſia futuri fervidi amatores, vel Martyres. Et hæc ſcientia in illa cauſabat tantam æmulationem amoris, ut in ipſa Martyrium in deſiderio fuerit majus, quàm ipſum actuale martyrium, quod martyres perpeſſi ſunt. Et ob hoc ipſa fuit magis Martyr, quàm alii.

549. Lac B. V. naturaliter fuiſſet incorruptibile ob bonam complexionem.

550. Quoties B. Virgo infantem dedit S. Joſepho, loco illius ſumpſit ſacrum ſanguinem in Circumciſione fuſum, quem aliàs S. Joſephus ſolebat aſſervare. Hic autem ſanguis aſſervabatur in vaſculo cryſtallino, quod S. Joſephus emerat ex pecuniis à S. Eliſabetha donatis. Huic vaſculo B. Virgo incluſit Præputium, & ſanguinem ex linteolis reſectum. Vitrum claudebatur argentea cochlea, ſed B. Virgo ſolo ſuo imperio duas partes cochleæ ſic conglutinavit, ut nec aurifaber melius conglutinare potuiſſet. Hunc theſaurum B. Virgo retinuit tota ſua vita; dein verò reliquit illum Apoſtolis.

551. B. Virgo ad me dixit: Nihil eſt requirendum à Deo modo ſupernaturali ex naturali deſiderio; multò minus ex vana curioſitate. In omnibus tuis operationibus tuarum potentiarum & ſenſuum deneges tuis affectibus, quod petunt, etſi haberent ſpeciem virtutis.

553. Tres Reges nati ſunt ex Perſia, Arabia, & Saba, quæ regiones reſpectu Palæſtinæ ſitæ ſunt verſus Orientem.

554. Hi tres Reges erant docti, & ob hoc ſunt vocati Magi. Ob converſationem cum Hebræis obtinuerunt notitiam de futuro Adventu Meſſiæ. Erant juſti; & cum eorum regna non fuerint magna, ea regebant per ſeipſos. Habebant etiam inter ſe commercium litterarium de ſcientiis & virtutibus.

555.

555. Notitiam de Adventu Meſſiæ ſic obtinuerunt. Nempe natô Chriſto ſtatim unus ſuperiorum angelorum ex iis, qui aſſiſtebant Chriſto, illuminavit de hac re tres angelos Cuſtodes trium Regum. Hi tres angeli ſtatim in ſomno locuti ſunt ad ſuos tres Reges, dicentes; quod natus ſit Meſſias, & quod ad eum inquirendum ipſis præluciturum ſit Sydus; quod hæc notitia etiam data ſit duobus aliis Regibus notis; ac denique quod Meſſias ſine mora inquirendus ſit.

556. 557. Itaque ſtatim eodem die quilibet eorum præparat tria dona, aurum, thus, & myrrham; & camelos, & famulos, etſi necdum ſciret, quid alii duo Reges eſſent facturi. Angelus, qui Bethlemio advenerat, formabat ex materia aërea lucidam ſtellam, attamen minorem cæteris ſtellis firmamenti. Manſit hæc ſtella in infima regione aëris; noctu lucebat inſtar facis; per diem inſtar ſolis. Quando tres Reges exierunt è ſua Domo, ſtatim viderunt novam ſtellam; nam erat in ea altitudine, ut ab omnibus obſervari potuerit. Cùm ergo omnes tres hanc lucem ſecuti fuerint, brevi ſibi invicem in via obviaverunt, ac dein ſibi ſuas revelationes narraverunt.

560. Quando tres Reges ad Præſepe venerunt, ſtella contraxit ſuam magnitudinem, & intrans ſedit ſupra caput Jeſuli, ubi diffuſo ſuo ſplendore, & diſſoluta materia, ex qua compacta erat, evanuit. Tres Reges ſciverunt, Mariam eſſe Virginem, & infantem eſſe Deum.

561. JESUS tantam tunc de ſe ſparſit lucem, ut Præſepe converteretur in cœlum. Tres Reges intrantes viderunt multitudinem angelorum cum tremore adſtantium. Voluerunt oſculari manum B. Virginis, ut in eorum regnis erga Reginas conſuetum erat, ſed ipſa loco ſuæ manus porrexit manum infantis.

562. Tres Reges tribus expletis horis in Præſepio reverſi ſunt in urbem Bethlehem ad diverſorium. Tunc B. V. cum S. Joſepho cecinit nova Cantica.

566.

Digitized by Google

566. In hoſpitio Bethlemico tres Reges colloquuntur de fervore, quem ſenſerunt in ſuis animis dicentes: *Qualis eſt hic ignis?* -

567. Inter hæc colloquia recordabantur extremæ paupertatis, quam patiebantur B. V. & S. Joſephus cum infante; itaque ſtatuerunt illis mittere aliqua honoraria, quæ & miſerunt per ſuos famulos. Tunc dormierunt, & in ſomno angelus eis præcipit reditum.

568. Altero die redeunt ad Præſepe, & offerunt aurum, thus, & myrrham, ſuos theſauros.

569. Volebant etiam B. Virgini donare pretioſas gemmas; ſed has noluit accipere. Pro auro autem, thure, & myrrha iis viciſſim donavit faſcias aliquas, in quibus involverat infantem. Hæ tantum ſparſerant odorem, ut à longe perciperetur; attamen ille odor percipiebatur tantùm ab exſpectantibus Meſſiam, non ab incredulis. Tres Reges per has Reliquias patrarunt magna miracula in ſua patria.

570. Tres Reges obtulerunt ſe ad ædificandam B. Virgini domum juxta Præſepe; ſed non acceptavit. Reverſuri in patriam per aliam viam, quamprimum egrediebantur ex urbe Bethlemica, ducebantur à priori vel alia ſtella usque ad locum, in quo primò ſibi invicem occurrerant.

571. In ſua patria inſtruebant ſuos verbo & exemplo, & B. Virgo fuit ipſis in vita & morte propitia; quæ poſt eorum abitum cum S. Joſepho &c.

574. B. V. theſauros à tribus Regibus oblatos dividit in tres partes. Unam donat templo Jeroſolimitano; alteram Sacerdoti, qui circumcidit infantem, ut eam applicaret pro ſervitio Synagogæ, aut alterius Oratorii Bethlemii. Tertiam pauperibus.

575. Dein cum S. Joſepho & infante ex Præſepio migrat in domum mulieris pauperis, quæ erat contigua muro urbis Bethlemicæ; & in quam illa mulier B. Virginem ob accepta ab ea munera invitaverat. Ut B. V. mutationem admitteret, inter motiva fuit etiam hoc, quod ad Præſepe factus fuerit magnus concurſus populi, poſtquam rumor ſparſus de adventu trium Regum.

576. Poſtquam B. Virgo emigraverat è præſepio, ſtatim iſtud datum eſt in cuſtodiam alicui angelo, ut olim Paradiſus; à quo etiamnum in hunc usque diem cuſtoditur; & omnibus irrationalibus animalibus prohibetur illius introitus. Quod verò hic angelus non prohibeat infideles ab introitu, id fit ex occultis Judiciis Dei. Mihi revelatum fuit, devotionem ad Terram Sanctam eſſe unum ex efficaciſſimis mèdiis, ſtabiliendi Catholicos Monarchas.

578. Jeſulus ſæpe clara voce loquebatur ad B. V., non tamen audiente S. Joſepho, usque dum attigerat primum annum ætatis.

579. B. V. clarè vidit animam Chriſti cum ejus internis operationibus, ut eas imitaretur.

581. Multi veniebant de populo, ut inviſerent B. Virginem in ſua domo Bethlemica. Aliqui veniebant ad accipiendam eleemoſinam; alii autem ob rei novitatem ex adventu trium Regum; omnes loquebantur de adventu Meſſiæ. Simplices mulierculæ interdum narrabant tales rumores, ut S. Joſephus ſolitus fuerit ridere.

586. Cum proximè complerentur quinquaginta dies, B. V. ſtatuit proficiſci Jeroſolimam, ut offerret puerum in templo juxta Legem Exodi. 13.

588. Priusquam ingrediebatur iter, ibat ad Præſepium, ibique oſculabatur terram. Utebatur autem in itinere ſandaliis, contextis ex quodam genere radicum, ut tunc ſolebant pauperes. 589.

Ange-

Angelo, qui conſtitutus erat pro cuſtodia, de novo demandabat eam Præſepis cuſtodiam.

590. Jeſulus egredientibus è Præſepio viſibiliter dat ſuam benedictionem ad iter. Simul comitabantur euntes decem millia angelorum, & alii in Circumciſione è cœlo deſcendentes, omnes viſibiliter in ſpecie humana. Videbantur tamen à ſolis B. Virgine & S. Joſepho, qui hoc myſterium novis celebrabant Canticis.

591. In hoc itinere frigus ſic cruciabat Jeſulum, ut tremuerit, & fleverit. Tunc B. Virgo tanquam Domina præcepit aëri & elementis, ut ſuum rigorem converterent in ſe ſolam, non autem in JESUM; & ſtatim paruerunt. Frigidus aër ſe mutavit in ventum amœnum occidentalem; ipſa autem ſenſit ejus inclementiam. B. Virgo ſimul ſe vertit contra peccatum dicens: O inhumanum peccatum! tui cauſa neceſſe eſt Creatorem ſic cruciari à creaturis. Horrendum monſtrum, quod creaturas deſtruis. - O filii hominum! usquequo gravi corde! ut quid diligitis mendacem vanitatem! ah! ceſſate eſſe ingrati erga Deum, & immiſericordes erga vosmetipſos! - nolite contemnere præcepta Dei Patris, & nolite oblivisci doctrinæ Matris veſtræ, quæ ego in amore vos genui. Nam Unigenitus Patris aſſumendo ex me carnem me conſtituit in matrem totius naturæ; & tanquam talis vos diligo - .

592. B. Virgine adhuc conſtituta in itinere Summus Sacerdos Simeon, & Anna vidua habuerunt revelationem, Verbum incarnatum offerendum in templo. Itaque ſtatim vocant Præfectum templi, qui curabat temporalia; eique præcipiunt, ut ad portam templi, quæ reſpicit verſus Bethlehem, exſpectet, atque ſumma humanitate excipiat adventantes, certis indiciis deſignatos, eosque in ſuam domum ducat; quod & fecit. Introductis verò Maria cum infante in ſuam domum, id ſtatim nuntiat ſummo ſacerdoti.

592. Eodem Veſpere S. Joſephus juſſu B. Virginis tradit Miniſtro templi dona, aurum, thus, & myrrham; & emit par turturum, altero die offerendum.

594. Simeon clarè agnovit unionem duarum naturarum in perſona verbi, & futuram paſſionem ac mortem redemptoris. Anna erat prius Magiſtra B. Virginis in templi Convictu. Erat filia Samuelis ex Tribu Aſer.

599. Accedente S. Joſepho cum B. V. ad templum ſimul aderant in humana ſpecie iidem angeli, qui comitabantur in itinere, cantantes cantica, quæ ſola B. V. intelligebat. Cum decem millibus angelorum aderant alii e cœlo, qui in eleganti concha nomen JESU operis fuſorii deportabant: non tamen hi incedebant in corporea, ſed in ſua propria forma, & videbantur à ſola B. V. Quando ſe B. V. ſtitit in templo cum Jeſulo, audivit vocem ſola: *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui.*

600. Summus Sacerdos Simeon vidit puerum & matrem in ſplendore ſummo & gloria. 602. Quando loquebatur de ejus paſſione, infans inclinavit ſuum caput.

603. B. V. aliquot diebus morabatur ex devotione Jeroſolimis, & aliquoties colloquebatur cum Summo Sacerdote & Anna; qui ambo pleni ſolatio paucis poſtea diebus obierunt. Conſolabatur quoque Jeſulus B. Virginem ob prævisum doloris gladium dicens: *Chariſſima mater* - - . Itaque ſic tranſierunt aliquot dies, donec S. Joſephus fuit admonitus, ut fugeret in Ægyptum.

604. B. V. ad me dixit: Jam ante paſſionem mei filii multi complexi ſunt crucem præcisè ob ſpem, quod aliquando Chriſtus in ea ſit paſſurus.

607. Poſt oblationem Chriſti in templo B. V. ſtatuit, manere novem diebus Jeroſolimæ, & quotidie accedere ad templum. Diligebat numerum novennarium ob novem dies, quibus præparata fuit à Deo ad Incarnationem Verbi, & ob novem menſes geſtatio-

Digitized by Google

ſtationis in utero. Itaque durante illa Novenna ſingulis diebus acceſſit ad templum hora tertia, & manſit ibi in oratione in infimo loco cum Infante usque ad Veſperam.

608. Semel hanc longiſſimam orationem obtulit Deo, dicens: *Supreme Domine* - exultat cor meum, quod poſſit offerre tibi conſubſtantialem - .

609. Deus viciſſim ipſi conceſſit, quod eſſet impetratura usque ad finem mundi, quæcunque peteret pro ſuis clientibus; & quod etiam magni peccatores eſſent impetraturi veniam, ſi ad ipſius interceſſionem confugerent; & quod in nova Lege cum ipſo filio eſſet futura cooperatrix & conmagiſtra. Plures tunc ipſi contulit gratias, quas ego non poſſum eloqui.

610. Quinto die manifeſtavit ſe ei Deus, & replevit eam Spiritu Sancto. Nam licet jam prius fuerit repleta ſpiritu, nunquam tamen Deus tantum dat creaturæ, quin poſſit ei plura dare. Tunc ipſi Deus dixit: *Non poteris complere hanc Novennam* &c.

613. Quando B. V. excitavit Jeſulum ad capeſſendam fugam in Ægyptum, dixit: Fuge, Dilecte mi; aſſimilare hinnulo cervorum, & capreæ in montes aromatum. Veni, Dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremur in villis.

614. Jeſulus dat S. Joſepho & B. V. viſibiliter benedictionem.

615. Revelata mihi fuit concordia inter Evangelium Matthæi & Lucæ circa hoc myſterium. Nam quilibet Evangeliſtarum in lumine Spiritus Sancti agnovit, quidquid ſcripſerunt tres alii Evangeliſtæ. - Certum eſt, quod oblatio in templo primum contigerit poſt diſceſſum trium Regum, ſicut conteſtatur S. Lucas.

617. Deus ut author gratiæ non eſt ſibi contrarius ut authori naturæ. Hinc miracula debent eſſe rara, & ſolùm contingere in caſu neceſſitatis.

619. B. V. ad me dixit: Cum filius meus & ego tanta paſſi fuerimus pro creaturis, volo, ut nos imiteris.

620. In hac fuga angeli aderant in viſibili forma, illuminantes noctem.

621. Exierunt proin Jeroſolimis per portam, quæ ducit in Nazareth. B. Virgo volebat ire in Bethlehem, ſed angeli diſſuadent, dicentes: *Regina noſtra* -

622. Itaque B. Virgo tantùm à longè dirigit cogitationes ſuas ad Præſepe, cujus angelus cuſtos illi obviam venit, adoraturus Verbum. Mittit etiam unum è ſuis angelis in Hebron ad S. Eliſabeth, ut in tutum locum recipiat S. Joannem; quid autem angelus nuntiet, mentaliter eum inſtruit. 623.

624. S. Eliſabeth ſtatim mittit nuntium ad B. V. cum dònis, pecunia, cibis, & linteaminibus pro itinere. Nuntius reperit B. Virginem in urbe Gaza, quæ viginti horis diſſita eſt Jeroſolimâ.

625. S. Joſephus Gazæ nuntio à S. Eliſabetha miſſo præcipit, ut in ſuo reditu nemini diceret, ubi B. Virginem cum infante repererit. Sed Deus majori cautela prævertit periculum; quia fecit, ut nuntio illi omnia exciderint memoria, præterquàm ea, quæ nuntianda erant S. Eliſabethæ. B. Virgo pro itinere ſumpſit ſecum varia neceſſaria; quia tamdiu nolebat exſpectare miraculum, quamdiu ſufficere poterat humana induſtria. Intra duos tamen dies, quibus morabatur Gazæ, patravit multa miracula.

626. Non poſſum verbis explicare, quæ mihi revelata ſunt de operibus à B. V. & ejus Infante in hac via patratis. Mater & filius miſcebant ſuavia colloquia, & cantabant cantica. Tunc vidit B. V. operationes SS. Trinitatis ad intra.

627. In ea cognitione cantavit nova Cantica. Ter per diem lactabat Infantem, & tales ipſi demonſtravit blanditias, quales non exhibuerunt ſuis prolibus omnes matres ſimul ſumptæ.

628.

628. B. V. dixit ad JESUM: Dic mihi, an fatigeris itinere? an crucieris aliqua incommoditate? Reſpondit: -

629. B. V. ad me dixit: Herodes minorem pœnam patitur, quàm pateretur, ſi JESUS pro eo non oraſſet.

631. Tunc veniunt in arenoſum deſertum Berſabeæ, in quo conficiunt 60 milliaria intra aliquot dies; quibus noctu ſemper dormiebant ſub Dio; hoc difficile erat illo frigido tempore, quia iter inſtituebatur menſe Februario ſex diebus poſt purificationem in Templo. Confidebant ad rupem montis. Angeli in viſibili ſpecie agebant cuſtodias; JESUS dormiebat in brachiis Matris, ipſa autem ſemper vigilabat, colloquens cum Deo & angelis.

633. Semel proficiſcebantur usque ad horam nonam noctis nondum guſtato ullo cibo, eò quod non haberent, quod manducarent. Tunc B. V. rogat Deum pro alimentis in conſervationem filii, dicens - Deus inſuper permiſerat elementis, ut aſperitatem ſuam exercerent: orta ergo eſt tempeſtas valida urgentibus ventis & pluviâ. Non ſuffecerant omnia involucra ad impediendum, quin JESUS fleret & tremeret. Itaque uſa eſt ſua poteſtate, & præcepit elementis, ut non moleſta eſſent Creatori. Et ſtatim paruerunt. JESUS viciſſim præcepit angelis, ut inſtar muri circumvallent B. Virginem, ac contra inclementiam aëris tueantur. 634.

635. Dein angeli afferunt panem, & fructus cum amœno potu, & ſerviunt ad menſam. 637. De montibus advolant aves, & cantu B. Virginem recreant, inſidentes humeris & manibus.

638. B. V. cum Jeſulo loquebatur quandoque vocaliter, ſic tamen ut S. Joſephus eas voces non intellexerit, aut non audierit. Aliquando dicebat B. V. ad puerum: O amor & lux animæ meæ - Reſpondit: Chariſſima mater -

642. Tandem poſt 50 dies confecto itinere 200 milliarium venit B. V. cum puero Hermopolin juxta Prophetiam Iſaiæ C. 19. Idola Ægypti a facie ejus commovebuntur.

644.

Digitized by Google

644. In aditu Ægypti Chriſtus elevatis in cœlum oculis orabat pro ſalute Ægyptiorum; tunc uſus eſt ſua divina poteſtate, & juſſit dœmones, qui erant in idolis, ſecedere in orcum; & ſtatim inſtar fulminis præcipitati ſunt in infernum. Eodem tempore magno tumultu contrita ſunt idola, templa, & altaria. Dœmones tamen non agnoverunt hujus eventus cauſam, aut unde ea vis provenerit.

645. Ægyptii admirabantur has novitates. Nam quamvis ex eò tempore, quo Jeremias fuit in Ægypto, inter Sapientes fuerit traditio, venturum aliquando Regem Judæorum, qui deſtrueret idola Ægypti, neſciebant tamen, eum tunc jam adveniſſe. Itaque terror & perturbatio erat univerſalis; quilibet interrogabat de hac re alterum. Aliqui veniebant etiam ad Mariam & Joſephum, & narrabant illis interitum ſuorum templorum & idolorum; ex quo B. Virgo ſumpſit occaſionem eos inſtruendi de vero Deo.

646. Cùm B. V. fuerit valde amœna & ſapiens in ſuis colloquiis, ideo fiebat de illa paſſim ſermo, & ubi advenit, concurrit magna multitudo, ejus videndæ causâ. Operante etiam in animis audientium Verbo multi convertebantur ad verum Deum. JESUS & Maria pergebant in pagis Ægypti patrare multa miracula, & non ſolùm ejicere dœmones ex idolis, ſed etiam ex animabus, & corporibus.

647. Pervenit Hermopolim, quæ ſita eſt verſum Thebaidam, & aliàs etiam vocatur urbs Mercurii. In ea urbe ſtabant multa idola, & potentes dœmones. Unus horum erat in arbore ſita ad introitum urbis, cui deferebatur magnus cultus. Quando advenit in vicinum Chriſtus, non ſolùm fugit dœmon, ſed etiam arbor ſe inclinavit uſque ad terram. Hoc miraculum, quod arbores ſe inclinaverint ſuo Creatori, durante itinere ſæpius contigit, etſi non ſemper fuerit annotatum. Hoc verò, quod contigit Hermopoli, pluribus ſæculis inhæſit memoriæ, quia folia & fructus illius arboris ſanarunt multos morbos. De hoc miraculo ſcripſerunt aliqui

Digitized by Google

aliqui authores, uti etiam de fonte ſito, prope Heliopolin, quæ urbs hodie vocatur Cairum, unde B. Virgo biberat, & ubi faſcias lavaverat. Hoc totum verum eſt. Non eſt tamen neceſſe, iſta narrare.

648. Deſcribens hæc miracula interrogavi B. Virginem, quomodo cum Infante tot regiones peragraverit? Reſpondit: *Noli mirari, quod pro lucrandis tot animabus tam longas peregrinationes inſtituerimus; nam, ſi neceſſe foret, pro lucranda unica anima vellemus peragrare totum mundum.* Si mirum nobis videtur, quanta JESUS & Maria pro ſalute generis humani ſuſceperint, non cognoſcimus eorum amorem.

649. Lucifer iratus ob nuperum eventum in Ægypto percurrit multas partes mundi ad indagandam eventûs cauſam. Percurrit præſertim Ægyptum, ubi conciderant idola & templa. Quando pervenit Heliopolin, ubi paſſus eſt majus damnum, reperit Mariam, contra quam, quia de Infante non curaverat, totam iram convertit.

650. Itaque properè redit in infernum, ubi convocatis principibus tenebrarum narrat deſtructionem idolorum & templorum in Ægypto. Nam Dœmones tanta præcipitatione ex idolis effugerant, ut neſcierint, quid poſtea idolis ac templis contigerit. Animat eos denique contra Mariam, & ipſi ſpondent operam & victoriam.

651. Tunc aſcenderunt ex orco contra Mariam multæ legiones dœmonum; non poterant autem ad eam propius accedere, quàm in diſtantia ſeptem millium paſſuum. Cùm autem Lucifer urgeret legiones, ſubito cum iis in infernum præcipitatus eſt. Hoc ei ſæpius contigit poſt Incarnationem Verbi; & ob hoc venit in ſuſpicionem, jam veniſſe Meſſiam.

654. Quod aliqui authores ſcripſerint, B. Virginem in Ægypto habitaſſe in hoc loco; alii autem authores in alio; id pro-

Digitized by Google

venit ex eo, quia in variis locis Ægypti habentur monumenta per B. V. relicta. Omnes hi authores poſſunt conciliari, quia B. V. aliquo tempore fuit in Memphis ſeu Babylonia, alio Hermipoli, & Matariæ, vel in aliis urbibus. Mihi revelatum eſt, B. Virginem in aliis urbibus tranſiiſſe, ſed Heliopoli habitaſſe, & ibi præter deſtructionem templorum ac idolorum etiam alia miracula patraſſe. Habitavit autem in domo paupere parum ab urbe diſſita.

655. Primis diebus tribus S. Joſephus pro ſuſtentatione circumeundo colligebat eleemoſinas, ex quibus etiam B. Virgo his tribus diebus vixit; ſimul autem fecit lectum pro Maria & cunas pro infante.

657. In ea domo unum cubiculum ſacrabant in templum, in quo manebat JESUS & B. V. alterum erat S. Joſephi. Et tertium erat laboratorium. B. V. etiam tunc vivebat de labore manuum. 658. Tota die laborabat; totam autem noctem tranſigebat in ſpiritualibus exercitiis. Sic faciebat, ne cogeretur petere miraculum in eo, in quo ſufficit humana induſtria. Aliàs peteretur potius miraculum pro noſtra commoditate, quàm pro neceſſitate.

659. JESUS hoc obſervans dixit ad eam: Præſcribam tuo labori ordinem. B. Virgo reſpondit - JESUS dixit: Initio noctis, quod eſt, hora nonâ, concedes ſomno. A medio noctis usque ad diluculum perſeverabis in meditatione, dein curabis cibos pro te & tuo ſponſo. Dein mihi porriges cibum, meque in tuis brachiis detinebis usque ad horam tertiam &c.

660. Ter per diem dabat lac Jeſulo. Quando laborabat, ſemper id faciebat genuflexa in præſentia Jeſuli, qui ex cunis cum matre plerumque decantabat cantica. Hæc, ſi eſſent ſcripta, præcellerent omnibus Pſalmis & Canticis Eccleſiæ.

661.

661. B. V. vidit per corpus Chriſti tanquam per cryſtallum in anima Chriſti omnes ejus operationes.

664. B. V. ad me dixit: Si humanis mediis ſuſtentatio comparari poteſt, non eſt exſpectandum miraculum; nec à labore abſtinendum ſub prætextu, Deum jam proviſurum.

665. In Ægypto vix unus tunc poterat inveniri, qui verum Deum agnoſceret. B. Virgo autem eam regionem ſic fœcundavit, ut multis ſæculis ibi in flore permanſerit ſanctitas, ut patet ex Eremitis.

666. Quando JESUS intravit Heliopolin, quotquot ibi in urbe erant idola, corruerunt omnia cum magno fragore, & terrore viciniæ. Propterea magna eſt exorta perturbatio in urbe. Concurrerunt etiam aliqui ad Mariam, quorum aliquos ſanavit. Cum ergo concurſus ob miracula creſceret, quæſivit Jeſulum, quid ſibi agendum? Reſpondit. Omnes ab ea eſſe inſtruendos in fide & bonis moribus &c.

667. Officium hoc concionatoris & Magiſtri B. Virgo perfectè adimplevit. Fructus tantus extitit, ut integri libri eſſent implendi, ſi eſſent deſcribenda patrata miracula, & converſiones, quæ fiebant integro illo Septennio, quo B. V. in Ægypto manſit. Nam tota regio implebatur ſanctitate, & benedictione. Quando B. V. docebat populum, ſumebat in brachia Jeſulum. Docebat autem de Deo, & ejus vero cultu, & de redemptione generis humani.

668. Doctrinam ſuam confirmabat miraculis - ſæpe ibat in hoſpitalia & exhibebat ægris magna beneficia.

669. Dubitabat ob modeſtiam, an deberet manu tangere vulnera ſananda. JESUS reſpondit, ut viros ſanaret ſolo verbô; mulieres autem attactu. S. Joſephus poſt duos annos etiam ipſe cœpit ſanare ægros.

670. Exorta Heliopoli peſte, & in aliis locis, magna multitudo ex tota provincia concurrebat ad B. V. & S. Joſephum; omnes

redibant recepta ſanitate animæ & corporis. Ex hoc colligi poteſt, quanta patraverint durante toto ſeptennio, quo morabantur in Ægypto.

673. Herodes, poſtquam tres Reges jam per aliquot dies exſpectaverat reduces, ſe illuſum deprehendens jubet inquiri in JESUM & Mariam.

675. Mandatum ejus, quo mandat occidi Infantes, editum fuit ſexto menſe poſt Nativitatem Chriſti. B. Virgo videt interea in anima Chriſti, quomodo offerat Deo eos infantes. Oravit tunc Chriſtus, ut infantes obtinerent uſum rationis, eo fine, ut ſeipſos poſſent offerre Deo, & ſic fieri Martyres.

676. B. Virgo tunc adhuc ignorabat, quid interea actum cum S. Eliſabetha & Joanne. Non audebet de hac re interrogare ſuum filium. Sed hic ultrò illi revelat; Zachariam quarto menſe poſt ſuam Nativitatem obiiſſe; Eliſabetham verò cum filio ſeceſſiſſe in deſertum.

677. B. Virgo agnovit; Eliſabetham poſt tres annos ſuæ viduitatis obiiſſe, & Joannem velle manere in deſerto; hæc enim ipſi revelaverat JESUS. Durante autem illo triennio B. Virgo rogat ſuum filium, ut poſſet ex longinquo juvare Eliſabetham, & Joannem. Obtentâ ergo licentia mittit eis cibos & alia neceſſaria per angelos, per quos proin perpetuam habuit cum illis correſpondentiam ex Ægypto. Quando autem inſtabat dies mortis Eliſabethæ, miſit ei magnam multitudinem angelorum. Mortuam ſepelit Joannes quatriennis, juvantibus ſimul angelis. Ex eo die B. Virgo miſit quotidie per angelos cibos & neceſſaria, donec pervenerat ad ætatem, in qua ſibimetipſi poterat providere de herbis, radicibus, & melle ſylveſtri.

678. B. V. agnovit lanienam Infantium, quaſi fuiſſet præſens: adultiores illorum non habent ætatem majorem, quam duorum annorum. Omnes habebant uſum rationis; agnoſcebant divinam eſſen-

Digitized by Google

eſſentiam; & erat ipſis infuſus ſummus amor, fides, & ſpes, quibûs elicuerunt heroicos actus fidei, reverentiæ, amoris, & compaſſionis erga parentes, pro quibus rogabant Deum, ut iis compenſaret hanc tribulationem. Martyrium admittebant ultronea voluntate.

679. Hic monendum judico, quod in iis rebus, quas hìc deſcribo, magna intercedat opinionum varietas apud SS. Patres; loquuntur enim diverſimodè de tempore, quo Herodes occidit infantes; & num hi fuerint neonati? an octo dierum, vel duorum annorum? De his dubiis non me detinebo, quia non ſervit ad meum intentum; & quia ſolùm ea ſcribo, quæ doctus ſum, & quæ mihi fuerunt dictata, aut de quibus aliquoties ex obedientia interrogavi (Deum) ut melius poſſem proſequi hanc hiſtoriam. Non decet, ut in iis rebus, quas deſcribo, immiſceantur concertationes opinionum; quia ſtatim ab initio à Domino intellexi, quod velit à me hoc opus conſcribi ſine immixtione diverſarum opinionum, ſed ut præcisè referrem eas veritates, quæ ex divino lumine eſſem intellectura. Utrum autem illud, quod ſcribo, conforme ſit divinæ Scripturæ, & utrum res à me deſcriptæ inter ſe cohæreant, aut Deum deceant, totum relinquo prudentiæ meorum Superiorum, & judicio virorum doctorum ac piorum.

682. JESUS expletò primo anno ætatis prima vice, & quidem ex brachiis Mariæ alloquitur S. Joſephum his verbis: *Mi pater, deſcendi de cœlo* -

685. Toto primo anno JESUS fuit involutus faſciis. Expleto autem hoc anno B. V. judicans, eum eſſe calceandum, genuflexa dicit: Sat jam ligatus fuiſti faſciis - quomodo vis nunc erigi in pedes? Reſpondit JESUS. - Veſtis mea toto vitæ tempore ſit unica - veſtias me togâ communis colòris; hæc toga mecum creſcet; & eadem in morte erit, de qua ſortientur aleis.

686. B. V. ad JESUM dixit: Non poſſum hoc pati, ut nudis pedibus incedas. Et ſola toga ſine induſio nimis moleſta erit. Reſpondit: Calceos viles permittam usque ad tempus prædicationis; induſium tamen nunquam admittam, quia linteamina ſunt incentiva carnis.

687. Itaque B. V. texit togulam ex ſubtili lána non colorata ſine ſutura, & ſine plicis ut ſolent contexi aciculis. Factum autem ut lana mutaverit ſuum colorem in alium medium inter colorem violaceum & argenteum. Ipſa quoque filio fecit ſuccinctorium interius lineum, & ſandalia ex canape.

688. Recurrente anniverſario Incarnationis & Nativitatis Domini B. Virgo hos feſtos dies etiam in Ægypto, & dein per totam vitam celebrat. Invitat ad hoc angelos; & JESUM rogat expanſis brachiis, ut pro ſe gratias referat Patri. Elevabatur tunc à terra, & canebat cum angelis nova Cantica reciprocatis cantu verſibus. Echo hujus cantionis pervenit usque ad thronum Dei.

692. Quando B. V. induit JESUM togâ & ſandaliis, genuflexa coram eo dixit: *Summe Deus* - . Toga accuratè pertigit usque ad pedes, & ad medias manus, etiamſi prius non fuerit ſumpta menſura. Toga circa collum non habuit aperturam, & rotunditas ſuperior habebat junctum quaſi collare; nihilominus paruit toga B. Virgini, ut ſine difficultate attraheretur, & accomodaretur corpori. Hanc togam Chriſtus nunquam exuit usque ad crucifixionem, quia crevit cum corpore. Idem contigit cum ſuccinctorio & ſandaliis. Nec tamen atterebantur per triginta duos annos, nec toga amiſit unquam ſuam primam novitatem. Veſtimentum, quod Chriſtus depoſuit in lotione pedum, erat pallium, quod pariter B. Virgo confecit poſt reditum in Nazareth.

700. Numerus animarum, quas B. V. ſanctificavit Heliopoli & in tota Ægypto; ægrorum, quos ſanavit; & miraculorum, quæ illo ſeptennio patravit, non poteſt comprehendi.

703.

Digitized by Google

703. B. Virgo in anima divinizata Chriſti hoc agnovit.

714. Deus decrevit, ut B. Virgo eſſet perfectiſſima effigies ſuæ Imaginis Incarnatæ, & perfectiſſimum exemplar cæterorum fidelium, ſic ut mater & filius eſſent veræ duæ tabulæ, in quibus exprimeretur nova lex Gratiæ. Hinc Chriſtus per viginti tres annos usque ad ſuam prædicationem inſtruxit in Lege gratiæ, eamque totam in ejus corde repoſuit.

715. In hunc finem eam tentavit deſolatione, ſubtrahendo illi conſuetas viſiones. Ipſe etiam Chriſtus vultum induit magis ſerium, nec tam frequentem ipſi exhibuit præſentiam, ut prius; loquebatur cum ea jam pauca, eaque modo valde ſerio. Nec ipſa videbat amplius animam Chriſti, tanquam ſuum exemplar. Quorum omnium ignorabat cauſam.

717. 718. Sæpe proponebat Deo cum lachrimis hanc ſuam tribulationem, dicens: *Creator* -

720. Chriſtus compatiebatur quidem Matri; eam tamen compaſſionem occultabat ſeveritate vultûs. Quando à Matre vocabatur ad menſam, morabatur, & avertebat ſuam faciem; non aſpiciebat ipſam, nec loquebatur cum ea ullum verbum.

721. Ad noctem ante ſomnum B. Virgo quotidie genuflectebat ante JESUM jam ſedentem in ſuo lecto, & deprecabatur, quod per diem non melius ipſi inſervierit. Gratias ipſi referebat, agnoſcens eum Creatorem mundi, & petebat benedictionem. Idem faciebat mane. In lecto Jeſuli tantùm erat ſtragula, & pulvinar de lana.

722. Quando ergo B. Virgo ad ipſum accedebat, ut more ſolito eum adoraret, ac veneraretur, non dabat ei reſponſum, ſed eam vultu ſerio audiebat, & ſic eam à ſe dimittebat.

725. B. V. ad me dixit: Æſtima doctrinam, quàm à divino tuo magiſtro, & à me accipis. Jam tempera tuum timorem, neç amplius dubites, quod Dominus ad te loquatur,

Digitized by Google

tur, & te inſtruat. Doctrina ipſa teſtimonium perhibet de ſua veritate, & certam te reddit de ejus authore, quia eſt ſancta & perfecta.

728. B. V. paſſa eſt (ob ejusmodi deſolationes) durum Martyrium, quale hucusque nec angelicus nec humanus intellectus comprehendit. Maria ſola attigit ſummum verticem, quantum puræ creaturæ eſt poſſibile. Ipſa ſola ſciebat & poterat tolerare hoc Martyrium, in quo ſuperabat omnia ſupplicia Martyrum, & auſteritates Confeſſorum.

729. 730. Triginta diebus durabat hæc deſolatio, qui videbantur ipſi centum anni. Semel cum lachrimis proſtrata ad pedes JESU dixit: Si deliqui in tuo ſervitio, poſt meam confeſſionem puni eam negligentiam, ac dein ignoſce. - Non ſurgam à tuis pedibus, donec clarè videam ſpeculum animæ meæ. Ad hæc verba plena ſapientia & amore dixit JESUS: Surge, mater mea. Dein ſtatim rapta in Ectaſin, in qua vidit immediata viſione intuitivâ Deum. SS. Trinitas tunc ipſi promiſit, quod eſſet futura prima diſcipula Verbi, & quod tota nova Lex eſſet inſcribenda in ejus corde, ut ipſa eſſet primarium Exemplar, ex quo omnes Apoſtoli, Martyres, Doctores, Confeſſores, Virgines, & alii juſti novæ Legis formam ſuæ vitæ delineare, ac juxta eam vivere poſſent.

731. Huic conſonat, quod B. V. ipſamet dixit de ſe, ſicut Eccleſia in C. 24. Eccleſ. ſub figura divinæ Sapientiæ hoc ei attribuit. Non me detinebo in explicatione hujus Capituli; nam ex dictis colligi poteſt, quomodo omnia congruant B. Virgini, quæ Spiritus Sanctus ibi in ejus perſona loquitur. Sufficiat, aliqua litteraliter adducere. *Ego*, inquit Maria, prodivi ex ore Altiſſimi, primogenita ante omnem creaturam. Ego feci in cœlis, ut oriretur lumen indeficiens - - -

Digitized by Google

732. Ex fonte ejus Sapientiæ & gratiæ tanquam ex mari inexhauſto, effluxit totum, quidquid Sancti hucusque acceperunt, & usque ad finem mundi accepturi ſunt.

733. Tunc B. Virgini de novo oſtenſa fuit anima Chriſti cum omnibus ejus operationibus. In hac anima vidit totam Legem Evangelicam cum omnibus ejus myſteriis, & ſanctificationibus, & doctrinis, eo prorſus modo, quo erat delineata in mente Dei, & in ejus voluntate decreta. - Hanc ſcientiam, quam ſine fictione didicit, communicavit ſine invidia ante & poſt aſcenſionem Domini.

734. Maria clarè ac diſtinctè cognovit, & comprehendit omnia recondita myſteria S. Scripturæ, totam doctrinam Chriſtianam, omnes virtutes, & traditiones Eccleſiæ, omnes refutationes errorum, & hæreſum, concluſiones ac decreta omnium Conciliorum, & omnia, ex quibus defendenda ac conſervanda aliquando foret Eccleſia usque ad finem. Item alia magna myſteria vitæ & gloriæ Sanctorum, & opera Chriſti; & quæcunque ſcripta fuerunt ab Evangeliſtis, Apoſtolis, Prophetis, & antiquis Patribus; omnia, quæ operati ſunt Sancti; lumen, quod acceperunt Doctores; omnia, quæ paſſi ſunt Martyres, & Virgines; gratiam, per quam illa operati & paſſi ſunt, & multa alia, quæ non poſſum eloqui.

735. JESUS adjuvabat S. Joſephum in labore manuum; & ut hic labor promoveretur, aliquando etiam operabatur miracula, nulli tamen manifeſta niſi S. Joſepho & B. Virgini.

736. B. V. ad me dixit: Suſcipio te de novo in meam Diſcipulam - Dominus te vocat ad viam & veſtigia veri luminis; ſequere hoc ad imitationem mei. - Omnia obtinebis, ſi tanquam diſcipula mei filii, & mea perfecte executa fueris doctrinam Evangelicam, quam tibi proponimus. Ut eò pertingas, electa es à Deo, ut publicè profitereris imitationem meæ vitæ, doctrinæ,

Digitized by Google

& virtutum. Ex hoc primo ſtatu nempe ex imitatione mearum virtutum venies ad ſecundum ſtatum perfectiorem, nempe ad imitationem Chriſti; & ex hoc ſecundo ſtatu pertinges ad tertium ſtatum, nempe ad unionem cum eſſentia divina. Hi tres ſtatus te obligant, ut ſis perfectior Seraphinis. Deus tamen eos ſtatus tibi conceſſit, ut melius comprehenderes mea lumina ac opera, à te deſcribenda. Iſtud autem obtinuiſti à Deo per meam interceſſionem, ut timidos tuos ſenſus ſubdas voluntati Dei, & obedientiæ Superiorum, qui tibi Jam ſæpius præceperunt, ut ſcribas hiſtoriam meæ vitæ. Hi tres ſtatus ſeu viæ continent in ſe copioſas doctrinas. Scribe eas ſeorſim in alio titulo, quia ſic eſt voluntas Dei, prout in Præfatione hujus libri promiſiſti. Titulus libri ſit: *Leges Sponſæ; vertex puri amoris ejus, & fructus collecti ex arbore vitæ.*

737. Advenerant etiam dies, quibus Iſraelitæ tenebantur ſe ſiſtere Domino Jeroſolimis ter per annum, ut patet ex libro Exodi & Deuteronomii. Primum illud feſtum erat tabernaculorum. Secundum Pentecoſte. Tertium Paſcha, ſeu Paraſceve. Ad hoc ultimum, quod durabat ſeptem diebus, venit etiam Maria cum Joſepho & cum JESU, quamvis mulieres non obligarentur ea lege.

738. Proficiſcebantur ſimul decem angelorum millia hoc toto itinere Nazaretho Jeroſolimam in viſibili ſpecie humana. Diſtat autem Jeroſolima Nazaretho triginta milliaribus.

739. Primo anno B. Virgo portabat quandoque JESUM brachiis in hoc itinere; ſed annis ſubſequentibus ſemper ipſemet conficiebat totum iter pedes. B. Virgo tunc ſæpe ipſi deterſit ſudorem è vultu, & quidem genuflexa.

742. Aliquoties pernoctabant in campo. B. Virgo in templo aliquoties audivit vocem cœleſtis patris: *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complaceo.*

743.

743. Sæpe angeli faciebant in via muſicam, & in ingreſſu templi. B. Virgo meditabatur ſæpe paſſionem Chriſti, qui eam adhortabatur, ut dolorem, quem exinde conceperat, ſecum offerret Deo patri pro utilitate generis humani. Hanc oblationem filius & mater faciebant ſimul principaliter pro fidelibus, & adhuc magis ſpecialiter pro prædeſtinatis.

747. Septem diebus paſchalibus expletis revertebantur in Nazareth. Solebant autem fœminæ honeſtatis cauſa ſe in via ſeparare à viris.

749. Amiſſo filio B. Virgo interrogabat angelos, dicens: *Chariſſimi comites* - Hi verò eam quidem conſolabantur, at, cum perſpectam haberent voluntatem Dei de celando filio, eum non manifeſtabant. Illi autem angeli, qui portabant nomen JESU, aberant omnino, quia ſemper comitabantur JESUM.

751. Tertio die volebat B. Virgo adire deſertum Joannis, & ibi JESUM quærere; ſed retinebant eam angeli, uti etiam à propoſito quærendi Bethlemii. Non tamen auſa fuit ulterius interrogare angelos, ubi eſſet ſuus dilectus.

753. Cum ergo interrogaret varias perſonas, dixerunt mulieres Jeroſolimitanæ; ex quibus ſignis dignoſcemus tuum filium? Reſpondit Maria, ſicut Sponſa in Canticis: *Dilectus meus candidus & rubicundus, electus ex millibus.* Tunc una mulier iſta audiens dixit: Iſte puer heri ante januam meam petiit eleemoſinam. Tunc quæſivit ſtatim in Noſocomio, & fuit ipſi reſponſum; talem puerum attuliſſe eleemoſinam, & conſolatum fuiſſe ægros.

754. Tandem quærit in templo; & angeli dicunt: *Non eſt procul.* Advenit etiam S. Joſephus, & ipſe ab angelis admonitus, ut quæreret in templo.

Digitized by Google

758. Quod autem amiſſus fuerit JESUS, hoc modo factum eſt. Immiſit Deus B. Virgini Ectaſin, qua durante evaſit. Similiter & S. Joſephus erat tunc abſorptus in aliqua cœleſti meditatione.

759. Per hoc triduum JESUS colligebat eleemoſinam; viſitabat hoſpitalia; conſolabatur pauperes; diſpenſabat iis eleemoſinam à ſe collectam, & conferebat nonnullis ægris clam ſanitatem. Benefactoribus abundantius benefaciebat.

760. 761. Quando JESUS duodennis erat in templo, quæſtio erat inter Doctores, an Meſſias jam venerit? Tenentes ſententiam negativam hoc nitebantur argumento, quia Meſſias venturus eſt cum Majeſtate & poteſtate. 762. Cum JESUS videret, hanc ſententiam prævalere, ſic ut plerique ei acceſſerint, dixit ad Doctores: 763. Dubium propoſitum de adventu Meſſiæ cum ejus diſcuſſione audivi. &c. - Tunc fuſiſſimè demonſtravit ex S. Scriptura, ſecundum adventum Meſſiæ fore cum poteſtate, primum autem fore ignobilem.

767. Myſterium horum verborum Chriſti B. Virgo & S. Joſephus non intellexerunt; idque factum partim præ gaudio, partim quia illam demonſtrationem Chriſti non audierunt integram.

768. B. V. in reditu genuflexa adoravit JESUM, & agnovit omnia myſteria hoc triduo per illum patrata.

769. In reditu JESUS multos convertit, & ad hoc utebatur inſtrumento B. Virgine; ſanabant etiam multos ægrotos, & conſolabantur mœſtos &c. Quia verò jam in aliis eorum itineribus ſimilia protuli, non me hìc detinebo, maximè cum ad omnia iſta narranda requirerentur multa capitula, & me ſeries hiſtorica ad alia vocet.

771. JESUS divinæ huic Virgini obligatus fuit in tantum -

774. B. V. ad me dixit: Si amori erga creaturas aditum concedis, ſine dubio te avertent à ſummo bono - Propone pro objecto

jecto meum filium; nam ejus aſpectus eſt pulcherrimus inter omnes filios hominum. Hunc ama ex toto corde.

775. Precor Deum, ut loco mei conſtituat angelum ad ſcribendum; aut ut ipſemet per me loquatur tanquam per purum inſtrumentum, ne mea imperfectio in hoc opere ullam partem habeat.

776. B. Virgini fuerunt collatæ omnes gratiæ, quæ potuerunt dari.

777. B. Virgo eſt inſtrumentum & cauſa gloriæ, quam quilibet Sanctorum in aliquo gradu tenet. - Ut Chriſtus B. Virgini formam completæ ſanctitatis imprimeret, non laboravit tantùm tribus, ſed triginta annis.

779. B. V. prima legit librum ſignatum ſigillis ſeptem; & contractus inter Patrem & Filium de redimendo humano genere in B. Virgine fuit depoſitus.

780. Deus ad B. V. dixit: Volumus, ut meus Unigenitus ſecundum humanitatem reperiat in aliqua pura creatura effigiem ſui, & poſſibilem quanta abſolutè dari poteſt, ſimilitudinem.

781. Quamvis omnia beneficia Dei in B. V. fuerint maxima, ac ſumma, ſic ut cuilibet eorum adſcribi potuerit; *Non plus ultra.* Specialiter tamen id locum habet in participatione divinarum perfectionum, ut communicentur ſine limitibus, ubi non deeſt capacitas in creatura. Cum ergo capacitas in B. V. fuerit magna, eaque creverit cum ipſis beneficiis divinis; & omnipotentia Dei nullum repererit obicem, cœpit omnes ſuos theſauros in hoc theſaurario B. V. deponere.

782. Chriſtus de novo manifeſtat B. Virgini, quod in executione tantorum myſteriorum, nempe in redemptione generis humani & in erectione Eccleſiæ ſocia & coadjutrix ſibi eſſe debeat.

786. Cauſa, cur Deus poſuit ſummam conformitatem inter naturam humanam Chriſti & B. Virginis, erat, ut in B. Virgine agno-

Digitized by Google

agnoſceretur puritas doctrinæ Chriſti, & virtus legis Evangelicæ, & fructus redemptionis.

787. Sicut primus Adam in peccato habuit ſociam Evam; ita ſecundus Adam in reparatione debuit habere ſociam & coadjutricem pro redemptione generis humani. Quamvis enim ſolùm in Chriſto vis & totalis cauſa redemptionis extiterit, nihilominus, ut hoc myſterium perageretur majori decentia, & annalogiâ, neceſſe fuit, ut in Chriſto & Maria impleretur illud: *Non eſt bonum, hominem eſſe ſolum. Faciamus ei adjutorium ſimile ſibi.*

788. Primæ tabulæ Legis confractæ ſunt - Non haberemus Legem Evangelicam, niſi adeſſent aliæ tabulæ, Chriſtus & Maria - Si Maria nihil contuliſſet ad Decretum condendi hanc legem, ſine ea manſiſſemus.

789. B. V. illuſtrabatur à Deo aliquando per viſionem Dei intuitivam, aliquando autem per viſionem intellectualem. In utraque autem cognovit expreſsè totam militantem Eccleſiam cum tota ejus ſerie ab initio mundi usque ad extremum ejus diem. Hæc cognitio erat tam clara, tam illimitata, & tam diſtincta, ut cognoſceret omnes Sanctos, & juſtos, & perſonas eximias, Apoſtolos, Martyres, Patriarchas, Fundatores Ordinum, Doctores, Confeſſores, Virgines. Omnes agnoſcebat cum eorum operibus, meritis, & gratiis, & proemiis.

790. Habebat etiam claram cognitionem de tota doctrina prædicanda à Chriſto; & de omnibus myſteriis Sacræ Scripturæ V. & N. T. Hæc omnia myſteria cognovit in quadruplici ſenſu cum omnibus Interpretationibus Interpretum. Hæc ſcientia ipſi fuit data, ut eſſet magiſtra Eccleſiæ, quæ & fuit poſt Aſcenſionem; & ut fideles in ipſa haberent Matrem, quæ ipſos lacte ſuæ doctrinæ educaret.

791.

Digitized by Google

791. Plenitudo ejus operum concordabat cum immenſa ejus ſapientia & ſcientia; & hæc erat proviſa de tam claris ſpeciebus, ut non confunderentur.

795. Ab anno duodecimo usque ad Trigeſimum JESUS non operabatur tam manifeſta miracula, ut prius in Ægypto; clam tamen operabatur magna in animabus & corporibus. Viſitabat pauperes & ægros - 796. Reliquum tempus impendebat cum SS. Matre, eam exercendo in oratione, & eam inſtruendo.

797. Agnovit quatuor Evangelia cum eorum myſteriis; & cognovit, quod ſua ſcientia ſit quaſi Copia ſeu apographum ejus ſcientiæ, quæ eſt in Chriſto, & quod hæc Copia deponeretur in anima ſua, ſicut tabulæ Legis in Arca fœderis, ut ſerviret juſtis & ſanctis pro vero Originali Legis Gratiæ. Nam omnes ſuam virtutem & ſanctitatem formare debent juxta eam, quæ eſt in Archivio B. Virginis.

798. Quid operata ſit doctrina Evangelica in omnibus Sanctis, & adhuc operetur usque ad finem mundi, nemo poteſt comprehendere niſi ſolus Deus.

799. Si jam aliquid loquendum mihi foret de iis, quæ mihi revelata ſunt, non invenirem ſufficientia verba.

801. Beati mites, quoniam ipſi poſſidebunt terram. B. Virgo in potentiis internis, ne ab iis perturbaretur, fuit liberior, quàm angeli. Fuit Domina non tantùm potentiarum & operationum ſui corporis, ſed etiam alienorum cordium reſpectu eorum, cum quibus converſabatur. Sic ergo poſſedit terram. *Beati qui lugent.* Panis ejus die ac nocte erat deflere ingratitudinem hominum. Nulla pura creatura, immo omnes ſimul ſumptæ, non tantum lachrimarum profuderunt, quàm B. Virgo.

802. *Beati miſericordes.* In miſericordia aſſimilatur Deo perfectiſſimè, ac par eſt.

805.

805. B. V. ad me dixit: Cum Chriſtus & egŏ non potuerimus ſemper manere in mundo, ideo Chriſtus reliquit Evangelia, tanquam exemplar ſuæ & meæ vitæ - in tantum nempe valent Evangelia, & in tantum debes ea æſtimare & venerari.

808. 809. In aliqua viſione Dei immediata agnovit B. V. etiam omnes articulos fidei, aliquando definiendos ab Eccleſia, qui in Scriptura continentur tanquam in radice.

814. Hoc caput nimis excreſceret, ſi vellem omnia explicare, quæ mihi de fide B. V. circumſtantialiter revelata ſunt. - Inſinuatum mihi eſt, non decere, iſta manifeſtari in hac vita.

821. Hæc verba divinam matrem reddebant quaſi divinam. - Quamvis nullus hominum primum præceptum perfectè impleverit, B. Virgo eatenus plus præſtitit, quàm ſummi Seraphini & beati in cœlo.

823. Habuit notitiam omnium feſtorum aliquando celebrandorum in Eccleſia. Et quamvis ea feſta jam cœperit obſervare in Ægypto, quæ pertinebant ad myſteria præcedentia, nihilominus poſt hanc cognitionem obſervavit etiam alia feſta, nempe SS. Trinitatis, feſta filii, & Angelorum.

825. B. V. petiit à Deo ſpecialem benedictionem pro voventibus caſtitatem. Tunc ad preces illius determinavit Deus ſpecialem laureolam virginitati, quia ſequitur illam, quæ erat mater & virgo Agni.

829. B. Virgo ad me dixit: Obliviſcere omnium temporalium, ſic ut potentiæ tuæ maneant liberæ ab omnibus ſpeciebus, niſi ab iis ſolis, quas Deus imprimet de ſua doctrina & voluntate.

831. Jam tunc agnovit, materiam baptiſmi eſſe aquam elementarem, & formam illius conſiſtere in expreſſione trium Perſonarum.

832. Àgnovit etiam materiam, formam, miniſtrum, collationem gratiæ, & Characterem in Sacramento Confirmationis; & quod

quod per Cryſamum, balſamum & oleum, tanquam materiam hujus Sacramenti ſignificetur lux bonorum operum.

834. Agnovit etiam virtutem verborum in conſecratione, nempe transmutandi ſubſtantias, manentibus accidentibus ſine ſubjecto.

836. Quando dignè communicamus, id præter merita Chriſti debemus lachrimis & ſuſpiriis ejus Matris, quæ hoc nobis promeruit & obtinuit. Si quis ergo ſacrilegè communicat, ſciat, ſe non tantùm injuriam inferre Chriſto, ſed & B. Virgini; quia aliquo modo fruſtrat ejus preces, lachrimas, & ſuſpiria. - Memoria B. Virginis erat tenaciſſima, ut memoria angeli; ejus autem ſcientia erat amplior ſcientia angelica.

837. B. Virgo agnovit, materiam Sacramenti extremæ Unctionis eſſe oleum olivarum, & formam eſſe deprecationem presbyteri.

839. Agnovit etiam quinque præcepta Eccleſiæ; &c.

842. Deus aſſumpſit B. Virginem in coadjutricem pro redemptione hominum; & in ejus corde reliquit regiſtrum miraculorum à ſe patrandorum.

846. B. V. agnovit, quæ futura eſſent usque ad annum 1657. & ultra usque ad finem mundi.

847. Erat ſumma ſimilitudo inter Chriſtum & Mariam; & ipſa ſuam partem tanquam coadjutrix contulit ad ædificium Eccleſiæ, & legem Evangelicam.

848. Revelatum mihi eſt, quod ingratitudo hominum præviſa ſæpe Chriſto expreſſerit ſudorem ſanguineum.

849. Chriſtus ſolebat aliquando orare flexis genibus; aliquando jacens in terra expanſis brachiis; aliquando elevatus in aërem pariter expanſis manibus. Orans autem ſolebat in præſentia B. Virginis dicere: O Sanctiſſima crux, quando inveniar in tuis brachiis! - - Venite cœci ad lumen - Cœleſtis Pater, ne contemnas eos -

850. B. Virgo hæc videns & audiens omnia imitabatur. Quando prima vice obſervavit ſanguineum Chriſti ſudorem ob præviſam hominum ingratitudinem, convertit ſe ad homines, dicens: O filii hominum - 851. Multa alia loquebatur B. V., quorum conſideratione cor meum colliqueſcit. Vidit quandoque ſuum filium, ut in Thabor, in gloria, vel audivit muſicam angelicam; quæ videns vel audiens neceſſario mortua fuiſſet, niſi eam Deus miraculosè ſervaſſet.

854. B. V. ad me dixit: Ab hoc die nullum amplius opus peragas, nihil loquaris, nullam cogitationem ſuſcipias, niſi petita prius à me licentiâ. Antequam quidpiam concludas, meum exquire conſilium. Quod ſi tibi reſpondero, gratias age Deo. Si verò tibi non reſpondero, certa tamen ſis, Deum tibi collaturum ſuum lumen, ut agnoſcas ejus voluntatem. Omnia tamen exequere ſub obedientia tui ſpiritualis directoris; & nunquam obliviſcere hujus ſpiritualis exercitii.

855. Quando JESUS complevit octodecim annos, B. Virgo complevit annum ætatis trigeſimum tertium, quæ eſt ætas perfecta, quia eſt medium, ſi communis duratio humanæ vitæ in ſex aut ſeptem partes dividatur. In hac ætate corpus non amplius creſcit in longitudinem; & ſi creſcit in craſſitudinem, id eſt augmentum potius imperfectionis, quàm perfectionis. Hinc & Chriſtus obiit anno ætatis trigeſimo tertio, quia voluit exſpectare ſtatum corporis perfectum, ut poſſet ſacrificare naturam hominis completam. Ex hac etiam cauſa dicitur, Deum creaſſe Adamum & Evam in perfectione ætatis 33 annorum; quamvis fatendum, tunc eam ætatem non fuiſſe medium comparativè ad durationem totius eorum vitæ. 856. Et quamvis ab hac ætate incipiat natura decreſcere, naturalis calor deficere, capilli inalbeſcere, frons in rugas contrahi, ſanguis frigeſcere, vires fugere, in Maria tamen hoc non contigit, quia habuit eundem vigorem, vires, ac pulchritudinem anno ætatis ſuæ ſeptuageſimo, ac trigeſimo tertio.

857.

Digitized by Google

857. S. Joſepho tamen, quamvis non fuerit ſenex, vires jam tunc erant fractæ; ob quod incidit in morbum; tunc B. V. eum ſic allocuta eſt. - Quieſce jam, & in futurum ceſſa à labore.
858. S. Joſephus ſæpius rogavit B. Virginem, ut permitteret, eum inſiſtere labori; ſed cum non conſentiret, inſtrumenta artis dedit pauperibus in eleemoſinam, & in poſterum inſtitit contemplationi.
859. Ex eo tempore B. V. propoſuit, ſuo labore ſuſtentare ſuum filium & ſponſum. Hinc magis inſtitit labori fila ducendo, & texendo.

860. Chriſtus & B. V. nunquam comedebant carnem; ſed veſcebantur piſcibus, fructibus, & herbis.

865. Debemus ſequi Chriſtum in via crucis. Sic dicis, eum fuiſſe ſimul Deum, ac propterea ejus paſſionem fuiſſe potius admirationi; hanc objectionem refutat vita B. Virginis, quæ erat homo tantùm.

866. S. Joſephus ſæpe tales habuit Ectaſes, in quibus ejus anima rupiſſet vincula corporis, niſi fuiſſet ſupernaturaliter ſervatus.

867. B. V. ſolebat uti ſua poteſtate, tanquam Domina mundi, & præcipere aliquoties cibis à ſe pro ægro S. Joſepho præparatis, ut ei conferrent vires & refocillationem.

868. Sicut B. V. cibis præcepit, ita factum eſt; quod ubi ſenſit S. Joſephus, dixit: - Miniſtrabat autem B. V. ei cibos genuflexa, & exuebat illi calceos. - Tribus ultimis annis ejus infirmitatis inſerviebat ei die ac nocte.

870. B. V. præcepit ſuis angelis, ut ſolarentur S. Joſephum. Tunc ad ejus imperium in viſibili forma adſtiterunt ægro, & fecerunt ei Muſicam. 874. Ultimis novem diebus ejus vitæ juſſu Dei ter per diem fecerunt angeli ægro Muſicam.

875. Semel in Ectaſi S. Joſephus vidit immediatè intuitivè Deum, & tunc agnovit myſteria fidei, & quæ pertinent ad militantem Eccleſiam cum omnibus Sacramentis.

877. Quando anima S. Joſephi fuit deportata ab angelis in limbum, Patres monſtrarunt magnam lætitiam & reverentiam. 878. Obiit autem præ violentia amoris.

879. Sola B. V. & angeli curarunt cadaver. Angeli tunc in viſibili forma ſuam navarunt operam. Ne læderetur modeſtia B. Virginis Deus cadaver S. Joſephi veſtivit miro ſplendore, ſic ut videret ſolam ejus faciem.

882. B. V. ad me dixit: Dœmones in agone non potuerunt appropinquare S. Joſepho, ſed fuerunt ab angelis in infernum detruſi; & ideo Lucifer collegit in inferno Concilium, ut examinarent, an nondum in mundum advenerit Meſſias?

884. B. V. ad me dixit: Ut poſſis juvare agonizantes, præcipio tibi, ut præcipias dœmonibus recedere ab agonizantibus. Poteris hac poteſtate uti, etiamſi non ſis præſens moribundis; Deus enim ubique præſens eſt, in cujus nomine id dœmonibus præcipis.

885. B. V. ad me dixit: impetrabo tibi aliqua ſpecialia privilegia & ſingulares favores pro te, & pro aliis, quibus deſideras auxiliari in illa hora mortis.

886. S. Joſephus complevit annos ætatis ſexaginta & aliquot dies. B. V. tunc compleverat annos ætatis 41 cum dimidio; erat tamen ejusdem formæ, ac vigoris, cujus erat anno ætatis 33. In conjugio S. Joſeph traduxit annos 27, non omnino completos.

888. S. Joſephus fuit ſanctificatus in utero ſexto menſe, & tunc concupiſcentia in ipſo fuit totaliter extincta; ſic ut per totam vitam nunquam ſenſerit ullum impurum aut inordinatum motum. 890. In dono caſtitatis erat ſublimior Seraphinis, ſic ut nulla unquam ſpecies ullius rei impuræ in ejus potentias irrepſerit.

893.

Digitized by Google

893. B. V. ad me dixit: Damnati in die judicii amarè deflebunt, quod propter ſua peccata hoc efficax remedium ſalutis (excellentias S. Joſephi) non agnoverint, nec eo, ut potuiſſent, uſi fuerint. Omnes, qui adhæſerunt mundo, non agnoverunt excellentias S. Joſephi.

898. Poſt obitum S. Joſephi JESUS & Maria comedebant tantùm ſemel per diem, nempe hora ſexta veſpertina. B. V. cibos miniſtrabat filio flexis genibus; & hoc modo genuflexa etiam parabat aliquoties cibos pro illo.

900. Certabat cum angelis de labore. Hi enim in ſpecie humana adjuvabant eam, & properabant in ſuis laboribus, ut præoccuparent induſtriam B. Virginis. Sic eos alloquebatur: - Reſponderunt: - Deus nobis præcepit, ut tibi ſerviamus. Itaque omittendo ſervitia ageremus contra obedientiam. - B. V. ad eos dixit: Non fiet, ſicut vultis -

902. Vicit ergo ſemper humilitas Mariæ. Mundo hæc myſteria ſunt incognita, utpote reddenti ſe iis indignum ob ſuam vanitatem & ſuperbiam.

904. JESU & Maria orantibus angeli decantabant cantica de Chriſto, à B. V. compoſitâ.

909. Non poſſum explicare ea myſteria, quæ contigerunt intra quatuor annos poſt obitum S. Joſephi in illa Domùncula, quæ mihi fuerunt revelata.

910. Horum omnium myſteriorum teſtis & depoſitaria erat B. Virgo, quæ tanquam coadjutrix in magno negotio redemptionis generis humani cum filio cooperabatur.

913. In hac conſideratione B. V. paſſa eſt lethalia deliquia, in quibus haud dubiè obiiſſet, ſi Deus eam ſupernaturaliter non conſervaſſet. Aliquando eam JESUS ſuſtentabat in ſuis brachiis; & aliquando dum eam ſic ſuſtentabat in ſuis ulnis, canebant ipſi angeli.

917. Aliquando eam inſtruebat JESUS, quomodo eum in omnibus operibus & in regimine novæ Eccleſiæ eſſet adjutura. - Si ergo JESUS & Maria omnia ſua dona ſcientiæ & gratiæ pro utilitate hominum impenderunt, & unicum ſuſpirium Chriſti fuit infiniti valoris, quamvis opera B. Virginis, utpote puræ creaturæ, non fuerint tanti valoris, valebant tamen plus, quàm merita omnium creaturarum.

919. B. V. ad me dixit: Grata ſis, eo quod filium comitata fuerim in omnibus operibus, quæ pro humano genere operatus eſt. De paſſione ejus habetur major memoria; de aliis autem ejus, & meis operibus parum cogitatur - hæc opera mei filii teſtimonium perhibebunt contra oblivionem fidelium.

920. JESUS anno ætatis vigeſimo ſeptimo ineunte jam converſabatur cum hominibus. Sæpe integras noctes in montibus tranſigebat orando; & manebat duobus vel tribus diebus extra domum.

922. B. V. rogabat Deum, ut merita Chriſti fructificarent, & recolerentur ab hominibus. Hoc modo partem habuit in omnibus operibus Chriſti ſumma participatione, non tantùm reſpectu cauſæ, ſed etiam relatè ad effectum. Nam ſic operabatur cum animabus, ac ſi ipſa beneficium recepiſſet.

923. Chriſtus ad B. V. dixit: Volo, ut præſtes mihi ſocietatem in redemptione generis humani, & me ſequaris. Roga Patrem pro genere humano - ob hanc adhortationem B. Virgo ſe fere ſemper Chriſto ſociam exhibuit, quoties ex urbe Nazareth egreſſus eſt.

924. Chriſtus per tres annos ante ſuam prædicationem circuibat in comitatu B. Virginis vicina loca usque ad Tribum Nephtali, & inſtruebat homines, jam adveniſſe Meſſiam; dicebat, ſe hoc certò ſcire, quamvis de ſe nihil dixerit; nec patraverit aperta miracula. 926. multis tamen tunc contulit ſanitatem modo occulto. B. Virgo tunc multos adhortabatur, & trahebat ad doctrinam filii;

filii; quamvis has adhortationes potiſſimum habuerit ad fœminas; ſimul operabatur eadem opera miſericordiæ, quæ Chriſtus operabatur.

927. Paucæ perſonæ tunc ſequebantur Chriſtum & Mariam. Angeli tamen eis inſerviebant. Interdum erant ipſis loco tentorii, & defendebant eos contra moleſtias aëris; interdum afferebant eis cibos. Quoties Chriſtus & Maria ſe ſeparabant ad prædicandum in diverſis partibus, angeli in viſibili forma comitabantur B. Virginem, & cooperabantur ad multa opera miſericordiæ; referebant etiam matri omnia, quæ patraverat filius. Non me detinebo in enarrandis miraculis, & operationibus, patratis à B. Virgine in hoc itinere.

928. Cum Chriſtus hoc triennio non prædicaverit, aut patraverit miracula publicè, ideo egit maximè cum humilibus & pauperibus, qui facilius ad doctrinam veritatis pertrahi poſſunt.

929. Maximè exaſperabat Luciferum, quod jam in moribundis nil poſſet proficere. Sæpe contigit, quod cum moribundos angeret, accedente JESU & Maria cum tota ſua cohorte fuerit in infernum detruſus.

934. Lucifer videns ſuas vires deprimi, quoties tentabat moribundos aut alios homines, & cauſam non deprehendens deliberat cum primatibus dœmonum. Itaque in inferno attollit ſuam vocem inſtar rugientis, & convocat ſocios, eo modo, quo hi ſpiritus ſe invicem intelligunt. Tunc eos ſic alloquitur: *Scitis - quod Deus nobis præceperit, non ſolùm adorare hominem, ſed etiam colere fœminam, tanquam Reginam noſtram - omnibus viribus opus eſt ad extinguendum hunc hominem cum ejus matre - Qui ſe magis ſtrenuum in hoc negotio exhibuerit, habebit magnum prœmium, & à me gratitudinem. - Quis nos ejecit ex Ægypto? quis confregit noſtra idola, & diruit templa? quis nos nunc opprimit*

mit in Galilæa? quis probibet nos accedere ad agonizantes? - 935. 936.

937. Tunc Lucifer aſcendit ex orco cum innumerabili turba dœmonum. - 938. B. V. agnoſcens ac videns hæc conſilia dœmonum in anima Chriſti, tanquam coadjutrix Chriſti ad victoriam, rogavit cœleſtem Patrem. Per has preces JESUS & Maria impetrarunt magna ſubſidia omnibus, qui invocaverint nomen JESUS & Maria in tentationibus dœmonum; ita enim Pater cœleſtis illis promiſit. Cùm ergo JESUS & Maria tanta nobis reliquerint ſubſidia, quam excuſationem habere poſſumus, ſi non viriliter pugnemus?

942. Joannes ab utero materno ſemper ſine ulla intermiſſione exercuit actus virtutum heroicos, ſic ut gratia in illo ne quidem ullo momento fuerit otioſa, aut ſine plenitudine perfectionis.

943. B. Virgo Joanni usque ad annum ætatis ejus ſeptimum multis diebus ei miſit cibos per angelos. A ſeptimo anno usque ad nonum tantum miſit ei panem. Singulis etiam octiduis miſit ei legationem angelorum, ut ipſi referrent de ſuo ſtatu, de Chriſto, & de myſteriis patratis.

945. Joannes ſemel in Ectaſi vidit intuitivè Deum.

947. Joannes multis antea annis erexit in eremo magnam Crucem, in qua ſæpe perfecit opera pœnitentiæ, in ea per modum crucifixi orando. Hanc Crucem noluit relinquere in eremo, ſed ante ſuum diſceſſum per angelos eam miſit B. Virgini. Hæc eam tota ſua vita ſervavit in ſuo cubiculo cum alia adhuc Cruce, quam accepit à Chriſto; Utramque autem tanquam hæreditatem reliquit Apoſtolis, qui eas in omnibus regionibus, ubi prædicarunt Evangelium, circumtulerunt. Illa autem Crux Joannis erat confecta ab angelis.

Digitized by Google

948. Tunc propoſui B. Virgini hoc dubium: Cum cruci reverentia primùm accreverit ex morte Chriſti, cur ergo tu jam antea crucem honoras? B. V. reſpondit: Adorabam crucem, ut typum futuri. 949.

954. Deus ad B. V. dixit: Offer mihi filium in Sacrificium. B. V. reſpondit - . Hoc ſacrificium B. Virginis fuit omnium Sacrificiorum, quæ fuerunt ab origine mundi, & erunt usque ad finem mundi, optimum, & Deo acceptiſſimum, excepto eo ſolo, quod ipſemet Chriſtus perfecit, cui tamen hoc ſacrificium B. Virginis, quantum poſſibile eſt, æquale fuit. - Chriſtus Nicodemo dixit: Sic Deus dilexit mundum, ut Unigenitum daret; Idem videtur aliquo modo perfeciſſe B. Virgo; & aliquo modo debemus ipſi noſtram redemptionem. Si non dediſſet ſuum filium, quando cœleſtis Pater hoc poſtulavit, non potuiſſet humana redemptio vi hujus præſentis divini Decreti perfici, quo Deus voluit, ut fieret accedente conſenſu B. Virginis. Intantum ergo obligati ſumus B. Virgini.

956. Omnipotentia Dei B. Virginem confortavit pane vitæ & intellectûs, ut Chriſto fortitudine invincibili aſſiſteret in operibus redemptionis, & ut eſſet in illo negotio ejus coadjutrix & cooperatrix, eò modò, quo à divina ſapientia conſtitutum eſt.

957. Chriſtus, antequam exiret in deſertum, ad B. V. dixit: Venit hora, ut incipiam pati pro redemptione hominum. Volo autem hoc opus perficere cum tuo adjutorio, & ut in hoc ſis mea ſocia & coadjutrix; & ut partem ſumas in mea paſſione ac cruce.

959. Chriſtus eo die baptizatus eſt à Joanne, quo celebratur etiamnum ab Eccleſia, inchoato anno ætatis ſuæ trigeſimo.

966. Interea B. Virgo domi ſanguineas lachrimas fudit pro peccatis hominum. Plus quàm ducenties per diem ſe proſternebat in terram, quod exercitium continuavit toto vitæ tempore. His operibus adjuvabat Chriſtum, eique cooperabatur in negotio

Digitized by Google

redemptionis, quoties erat abſens. Ea verò coram Patre æterno fuerunt tam efficacia, ut propter merita B. V. fuerit quaſi oblitus peccatorum omnium hominum, qui tunc prædicationi Chriſti fuerunt præſentes. Hoc impedimentum ſuis precibus & ferventi amore ſuſtulit B. Virgo. Ipſa fuit vera mediatrix, quæ nobis obtinuit, ut à Chriſto inſtrueremur, & ex ejus ore legem evangelicam acciperemus.

967. Non potuiſſet B. V. in tantis doloribus vivere, niſi fuiſſet ſupernaturaliter conſervata.

968. Ut leniret aliquo modo ſuum dolorem, converſa eſt ad ſuos angelos dicens: *Dicite, ubi verſetur dilectus meus? dicite, quod moriar ob abſentiam vitæ meæ.* O dulce bonum! ubi jam reclinabis caput? ubi feſſa membra dabis quieti? - ubi te inveniet hæc columba tua ſolitària? quod littus reperiet hæc fragilis navicula agitata hinc inde amoris fluctibus? ubi dabitur malacia? - quid incipiam? quis me conſolabitur? & quis ſe ſociabit mihi in hac amara ſolitudine? -

969. Tunc angeli eam ſtatim conſolati ſunt; & per illuſtrationem internam retulerunt ei omnia, quæ interea Chriſtus egit.

970. Aliquoties miſit ad filium legationem angelorum, & dabat illis ſudariolum à ſe confectum, ut illi detergerent vultum, quando in oratione conſtitutus ſudabat ſudorem ſanguineum. Interdum mittebat ipſi etiam per angelos cibos.

971. Sæpe compoſuit Cantica.

973. B. V. ad me dixit: Lucifer contra te inſurget, & impugnabit interiora tua.

978. Joannes ſe projecit ad pedes JESU, dicens: Ego à te debeo baptizari.

980. Quando Chriſtus ſuſcepit baptiſmum, ſimul inſtituit baptiſmi Sacramentum; & tunc etiam petiit à Patre generalem Ectaſin pro omnibus illis, qui baptiſmum ſuſcepturi ſunt.

981.

Digitized by Google

981. Chriſtus baptizavit Joannem & B. Virginem.

982. Tunc B. V. fecit nova Cantica.

987. Chriſtum baptizatum comitabantur angeli in deſertum, & venerabantur ipſum Canticis. - Ante orationem ſemper proſternebat ſe in terram - ibi gratias agebat non tantum Patri, ſed aliquo modo ipſi etiam eremo, eo quod ſe receperit. - Proſequebatur orationem expanſis brachiis in forma crucis. Et aliquoties ſub oratione ſudabat ſanguinem.

988. Multæ feræ accurrebant, & agnoſcebant ſuum creatorem, cujus agnitionis dabant ſigna geſtibus. Idem præſtabant volucres advolantes & cantantes.

990. Cognoſcebat B. Virgo quidem per viſiones & revelationes omnia, quæ fiebant cum Chriſto; mittebant tamen ſibi invicem angelos, ut referrent oretenus acta alterius. Itaque angeli referebant Chriſto, quæ egerat B. Virgo; & huic referebant, quæ egerat Chriſtus; quamvis ambo, JESUS & Maria, eadem jam prius ſciverint per alium modum ſciendi. Quamprimum B. V. intellexit, filium ſuum migraſſe in deſertum, concluſit ſtatim januam ſuæ domûs, tamque quietam per illos 40 dies ſe domi detinuit ab omni ſocietate hominum remota, ut vicini crediderint, eam derelicta domo cum filio aliò migraſſe.

991. Chriſtus in deſerto quotidie orabat trecenties flexis genibus. Idem faciebat B. V. in ſuo cubiculo. Reliquo tempore cantabat cum angelis. Hac imitatione operabatur in omnibus orationibus & meritis Chriſti. Obtinebat etiam pares victorias contra vitia. Si Chriſtus tanta bona nobis promeruit, & tanta debita condignè ſolvit, etiam B. Virgo tanquam coadjutrix ſuas preces interpoſuit, & Mediatrix fuit, quantum puræ creaturæ eſt poſſibile.

995. Quando Lucifer propius acceſſit ad Chriſtum, ut tentaret, invaſit eum cum ſua cohorte magnus horror. - Dein dicebat ad cohortem: *Qualis hic eſt homo?* -

996. Chriſtus autem peregit ſuam orationem in ſuperiori animæ parte, quò cognitio dœmonis non pertingit.

997. Lucifer non vidit angelos aſſiſtentes Chriſto, Deo ſic diſponente. Maria autem è ſuo cubiculo vidit totam pugnam. Ea incepit die trigeſimo quinto Jejunii, & duravit usque ad quadrageſimum. Lucifer apparebat in ſpecie humana.

998. Cum Lucifero aderant innumerabiles dœmones: nam eo die infernus erat quaſi exhauſtus.

999. Lucifer portavit Chriſtum in montem excelſum, è quo poterat conſpici magna pars regionis. Tunc dixit: *Omnia, quæ vides, tibi dabo* - Sed Chriſtus eum cum tota cohorte detruſit in infernum, ubi in profundo carcere tribus diebus jacuerunt, quin potuerint ſe movere. Poſtquam autem eis licuit ſe utut debiles erigere, cœperunt primùm ſuſpicari, hunc hominem eſſe filium Dei; & in hac ſuſpicione perſeveraverunt usque ad mortem, quamvis opiniones eorum fuerint diverſæ.

1000. Tunc Chriſtus fuit ab angelis reportatus in deſertum inter Cantica. Afferebant etiam angeli cibos. Feræ autem & volucres applaudebant triumphatori.

1001. B. Virgo orabat, ut filius; certabat inviſibiliter contra Luciferum, ut filius; conterebat illum, & cooperabatur in omnibus cum Chriſto pro noſtra utilitate.

1002. Chriſtus miſit partem ciborum ab angelis allatorum Matri, quæ & ipſa jejunavit 40 diebus. Quando de his comedit, advolabant ad eam etiam volucres ex deſerto, iidem, qui inſervierant Chriſto ſuo cantu.

1003. Tunc propoſui B. Virgini dubium, nempe, quales fuerint cibi, quos attulerunt angeli Chriſto in deſerto?

1004. B. V. mihi reſpondit: fuiſſe aliquando aquam, aliquando panem, aut fructus, vi ſupernaturali prædita.

1006.

Digitized by Google

1006. Quia Lucifer cuilibet ex ſeptem vitiis capitalibus præpoſuit dœmonem, voluit eos Chriſtus vincere.

1008. B. V. ad me dixit: In nullum delectationis motum tua voluntas unquam conſentiat, etſi foret minima.

1010. Poſt jejunium Chriſtus regreditur ad Joannem, ut de ſua divinitate ferret novum teſtimonium.

1013. Evangeliſtæ non memorant, quid Chriſtus patraverit poſt jejunium; aut ubi ſe detinuerit; mihi tamen revelatum eſt, quod Chriſtus decem menſibus manſerit in Judæa, nec eo temporis ſpatio reverſus fuerit in Nazareth. Intra hoc tempus venit ſecunda vice ad Joannem; & hic ſecunda vice exclamavit: *Ecce! Agnus Dei.* Tunc ſecuti ſunt eum Andreas, & reliqui diſcipuli primi; & tunc etiam vocatus eſt Philippus. His decem menſibus tantum præparabat animas ad futuram converſionem tempore prædicationis ſecuturam; neque tunc locutus eſt cum Scribis, & Phariſæis.

1014. Sicut Chriſtus egreſſus deſertò ſe applicuit pro ſalute animarum; ita etiam B. V. poſt jejunium ſuum quadrageſimale egreſſa eſt domo, & ſuſcepit officium Præcurſicris. Exivit ergo in loca vicina, & nuntiabat, jam veniſſe Meſſiam, quamvis non dixerit, quis ille ſit. Patravit etiam multa miracula, expellendo dœmones, ſanando ægros; quamvis ea non patraverit publicè, & plerumque tantùm reſpectu fœminarum.

1015. Hoc modo circumivit nudis pedibus per decem menſes, ſicut Chriſtus. Raró tunc reverſa eſt in Nazareth; & parum etiam hoc tempore comedit, quia cibi per angelos allati ex deſerto à Chriſto tantas ipſi contulerunt vires, ut non indiguerit multùm cibo.

1018. Andreas adduxit Petrum ad Chriſtum, ut deſcribit S. Joannes C. 1. Hæc facta ſunt in Judæa. Dein voluit Chriſtus intrare in Galilæam, ubi reperit Philippum. Philippus vocavit Nathanaelem.

Digitized by Google

1026. Hi quinque primi Diſcipuli rogabant Chriſtum, ut ipſis permitteret videre & venerari ejus matrem; quod & conceſſit; hinc ſtatim iter agreſſus eſt verſus Nazareth.

1028. Quando JESUS advenit, B. V. eum excepit ad januam domûs. Ibi, dum JESUS ingreditur, provoluta in terram oſculabatur ei manus & pedes, & petebat benedictionem: & tunc ſtatim in præſentia Apoſtolorum depoſuit profeſſionem SS. Trinitatis, & humanitatis Verbi. Hoc modo B. Virgo cœpit eſſe Magiſtra Apoſtolorum, qui & abjecerunt ſe ad ejus pedes, rogantes, ut ſe in filios ac ſervos recipere dignaretur. Primus hunc honorem ipſi exhibuit S. Joannes.

1029. Eo die ad veſperam Chriſto ingrediente in Oratorium B. Virginis projecit ſe ad ejus pedes, ac precata eſt veniam, quod tam parum ei inſerviret. Chriſto autem ſemper inſerviebat flexis genibus.

1030. Tunc recepit baptiſmum à Chriſto; ad hunc actum deſcenderunt innumeri Chori angelorum, & audita eſt vox cœleſtis Patris: *Hæc eſt filia mea dilecta, in qua mihi complacui.* Ipſa verò cum angelis compoſuit nova Cantica.

1032. B. V. ad me dixit: Volo, ut in te extinguantur omnes effectus ac reliquiæ peccati originalis; & ut in te extinguantur omnes pravæ inclinationes, quæ ſequuntur ex fomite peccati. In omnibus tuis operibus ſis angelus. Deus enim erga te tam liberalis fuit, ut dederit tibi intellectum magis angelicum, quàm humanum.

1033. Ut concordetur Evangelium Joannis cum mea Hiſtoria, dico, quod Chriſtus ingrediendo Galilæam cum ſuis quinque diſcipulis rectà tetenderit verſus Nazareth. In hoc itinere non ſe detinuit multò diutius quàm tribus diebus. In Nazareth baptizata matre exivit cum Diſcipulis ad prædicandum in vicinis locis. Interea B. Virgo invitata eſt ad nuptias in Cana à cognatis in quarto gradu ex parte lineæ maternæ S. Annæ. Poſtquam B. Virgo

Digitized by Google

go in Cana jam comparuerat, & Sponſus intellexit, Chriſtum eſſe in vicinia, etiam hunc invitavit cum Diſcipulis. Evangeliſta dicit, nuptias factas eſſe tertio die. Per hoc intelligitur tertius dies hebdomadæ apud Hebræos. Nam licet hoc non exprimatur ab Evangeliſta; tamen etiam ab eo non dicitur, quod dies ille fuerit tertius ab ingreſſu Chriſti in Galilæam. Immo hoc fuiſſet impoſſibile modo humano. Nam Cana ſita eſt in finibus Tribus Zabulon verſus Tenicia, & longe diſtat à finibus Judææ ac Galilææ. Quod ſi nuptiæ contigiſſent tertio die poſt ingreſſum Chriſti in Galilæam, non habuiſſet plures quàm duos dies ad conficiendum iter ex Judæa in Cana, cum tamen numerentur tres dies itineris.

1035. Miraculum in Cana contigit eodem die, quo Chriſtus priori anno fuit baptizatus; & quo adorarunt eum tres Reges, nempe ſexto Januarii. Tunc compleverat Chriſtus annum ætatis trigeſimum & tredecim dies.

1036. Sponſus in Cana non fuit Joannes.

1037. B. Virgo in hoc, quod Chriſtus tunc ſacraverit, ac inſtituerit Sacramentum Matrimonii, uti in aliis operibus, cooperabatur Chriſto ad redemptionem generis humani.

1041. Quando S. Joannes C. 2. dicit: *Hoc fecit initium ſignorum JESUS in Cana, & manifeſtavit gloriam ſuam,* non excluduntur per hoc priora miracula clam patrata. Interim certum eſt, quod redemptor in Ægypto patraverit multa illuſtria miracula, inter quæ fuit deſtructio templorum & idolorum, ut ſupra narravi.

1044. Non eſſet alienum à mea hiſtoria, enarrare miracula à Chriſto patrata, quia fere in omnibus etiam Maria habuit partem. Reliqua miracula, quæ ab Evangeliſtis non deſcribuntur, & quæ ego non ſum juſſa ſcribere, reſervabuntur in diem judicii.

1045.

Digitized by Google

1045. Ex Cana profectus eſt Chriſtus Capharnaum, ubi manſit aliquot diebus tantùm, ut poſſet Jeroſolimis comparare in feſto Paſchatis, quod tunc celebrabatur vigeſimo quarto Martii. Ex eo tempore B. Virgo, exceptis paucis diebus, quibus à Chriſto abfuit, comitabatur Chriſtum in omnibus itineribus usque ad Crucem. Quæ in his itineribus pertulit, & quæ pro nobis laboravit, tanta ſunt, ut omnes homines non ſufficiant ad referendam dignam gratitudinem.

1046. Divina Magiſtra, quamvis jam habuerit in corde ſuo inſcriptam legem, ac totam doctrinam Evangelicam, nihilominus ſemper audivit conciones filii, & quidem genuflexa, audientibus dabat ſuam benedictionem, quorum & cognovit ſtatum internum, pro animabus incredulis fudit ſanguineas lachrimas. Quæ eatenus paſſa eſt, ſuperarunt omnes dolores & pœnas Martyrum.

1047. Quando Apoſtolis & diſcipulis occurrit aliquod dubium, vel occulta tentatio, ſtatim recurrebant ad B. Virginem; & ſemper retulerunt ſolatium & inſtructionem. Ipſa autem laudabat Deum pro beneficiis novîs canticîs.

1048. Evangeliſtæ teſtantur, quod Chriſtum ſecutæ fuerint mulieres. Earum omnium B. Virgo curam geſſit, eas inſtruendo, & dirigendo. Erant innumerabiles mulieres, quæ à B. Virgine ad agnitionem Chriſti, viam ſalutis, & ad perfectionem Evangelii adductæ ſunt, quamvis non omnes Chriſtum ſecutæ ſint.

1049. Innumera quoque ſunt miracula, quæ B. Virgo tempore prædicationis patravit. Quamvis enim Evangeliſtæ tantùm meminerint miraculorum Chriſti, mihi tamen revelatum eſt, quod B. V. cæcis reddiderit viſum &c. ſed ea miracula propalata non fuerunt, antequam Eccleſia fuerat ſtabilita in fide. Decuit autem, à B. Virgine ſic patrari miracula, quia erat coadjutrix Chriſti in opere redemptionis.

1050.

1050. Ipſa ſola ſciebat imitari perfectiones filii in gradu perfectiſſimo. - Hæ duæ perſonæ erga omnes erant affabiles - .

1051. B. V. ad me dixit: Præcipio tibi, ut quando audis & agnoſcis hanc vocem ſponſi tui, genibus flexis eum adores. - Magna eſt obligatio tua, quia magna eſt liberalitas Dei in te.

1052. Verbum Dei, inquit ad me B. Virgo, ſimplex eſt, nec artificioſâ ingenioſæ dictionis ſtructura compoſitum, aut pro aurium lenocinio phaleratum. - Non cures, ſi & alii homines obſervent, te quoque ſubjectam eſſe defectibus naturæ, morbis, defatigationi, fami, & aliis hujuſmodi miſeriis, quæ omnia ſunt pœna peccati originalis.

1053. B. Virgo nullum paſſa eſt tranſire momentum, aut occaſionem toto vitæ tempore, quibus non operata eſt omnes virtutes poſſibiles.

1057. B. V. fuit illud inſtrumentum, quod petendo ac ſollicitando Chriſtum permovit ad patranda miracula. Niſi ipſa fuiſſet mediatrix inter Chriſtum & homines, mundus doctrinam Evangelicam nec obtinuiſſet, nec promeruiſſet.

1058. Fideles fere omnes concurrebant ad eam, & congratulantes confitebantur eam eſſe matrem Meſſiæ. - Rogabat tamen filium, ut à ſe declinaret laudes hominum. Chriſtus exaudivit illius preces; propterea laudes à quadam fœmina ſuo inſtinctu Matri collatas aliquo modo temperavit; dicendo: *Quin immo beati, qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud.*

1059. Alia vice, cum B. Virgo præ multitudine non poſſet accedere ad Chriſtum, & illi nuntiaretur, adeſſe matrem; timebat, ne ſibi à fidelibus exhiberetur honor; hinc rogavit filium, ut hoc impediret. Ob hoc dixit: *Qui fecerit voluntatem Patris mei, hic mater, & frater, & ſoror eſt.*

1062. Maria tanquam coadjutrix Chriſti in negotio redemptionis, & in Lege Evangelica fundanda ſuam partem fideliter contulit. Ea Chriſtum ter Jeroſolimam ad feſtum Paſchale tempore prædicationis comitata eſt.

1066. In Judæa tunc Chriſtus baptizat ſuis aut diſcipulorum manibus; & eodem tempore baptizat etiam Joannes in Eccon ad Jordanis ripam.

1067. Lucifer, cum non agnoſceret diſcrimen inter Joannem & Chriſtum, convocat concilium dœmonum dicens: *Circuivi iterum totam terram* -

1068. Dœmones, quibus Lucifer promiſerat magna prœmia, non poterant tamen aliquid determinate ſtatuere de Joanne & Chriſto. - Chriſtus ſtudiosè Lucifero abſcondit aliqua miracula, ne agnoſceret verum diſcrimen inter ſe & Joannem.

1071. Lucifer inſtigavit Herodiadem contra Joannem. Ea proin ſuaſit Herodi, ut decapitaretur, poſtquam idem aliis variis modis jam ſæpius tentaverat.

1072. B. Virgo miſit Joanni per ſuos angelos in carcerem cibos.

1073. Chriſtus & B. Virgo modo inviſibili, attamen corporaliter, portantur in carcerem ad Joannem, ubi eum reperiunt miſerè laniatum. Nam adultera ſuis ſervis præcepit, ut eum flagellarent. Ob quod tribus vicibus ſex famuli hoc mandatum tyrannicè executi ſunt.

1074. Quando autem Chriſtus & B. Virgo venit in carcerem, catenæ ceciderunt de ejus corpore, & vulnera ejus ſanata ſunt.

1076. Quando Joannes fuit decapitatus, Chriſtus in carcere præſens ſuis brachiis excepit corpus; B. Virgo autem ſuis manibus excepit caput reciſum enſe. Cum autem famuli inter ſe certarent, quis eorum prior deferret caput ad Herodiadem, unus eorum arripuit

Digitized by Google

arripuit caput ex manibus inviſibilibus B. Virginis, non advertens, unde illud ſumpſerit.

1081. Sub Petro & Joanne ſtetit Eccleſia myſtica, Maria, & Eccleſia militans fidelium. Joanni ſapientia ſupra cæteros apoſtolos collata eſt mediante B. Virgine; & illa prærogativa, quod vocetur dilectus diſcipulus JESU, propter ejus amorem erga B. Virginem, ei data eſt.

1082. S. Joannes Evangeliſta præ aliis colebat B. Virginem. Aſſiſtebat ipſi in laboribus manualibus, & in hoc ſervitio aliquoties certabat cum angelis.

1083. S. Joannes fuit primus, qui B. Virgini poſt aſcenſionem contulit titulum: *Mater Dei, mater Salvatoris.* Contulit ipſi adhuc plures alios ſimiles titulos, v. g. *Reparatrix peccati, Domina gentium;* præſertim nominabat eam primus; *Maria à JESU,* prout ſæpius in primitiva Eccleſia vocata fuit.

1084. B. Virgo amabat ſpecialiter Mariam Magdalenam. Hæc ipſi aperuit conſilii causâ ſuum deſiderium, ſe conferendi in ſolitudinem. B. Virgo proin ipſi dedit inſtructionem pro vita ſolitaria, quam & exactè obſervavit in eremo, in quam ſub benedictione B. Virginis ſe contulit. B. Virgo ſemel eam inviſit perſonaliter in eremo; ſæpe autem per angelos, ut eam conſolarentur in ea ſolitudine. Reliquæ mulieres, & omnes alii diſcipuli pariter per B. Virginem copioſis gratiis ac beneficiis à Deo donati ſunt.

1085. Solus Judas aberravit ab hac regia via (Maria) in qua ſolâ ad divinum amorem, & ejus dona perveniri poteſt.

1088. Judas ob inordinatam ſuam vitam fuit admonitus à B. Virgine; ſed ipſe contempſit ejus admonitiones; propterea gratia excidit, & ſibi relictus eſt. Sic à via gratiæ ac Marianæ interceſſionis receſſit, & portam miſericordiæ ſibi ipſi occluſit. Ab averſione erga Mariam progreſſus eſt ad protervitatem erga Magiſtrum.

Digitized by Google

1089. Hoc non obſtante B. Virgo admonuit illum ad pœnitentiam, eique nomine filii, ac ſuo ſpopondit veniam.

1092. Quando Chriſtus dixit, ſe velle conſtituere Oeconomum ad recipiendas ac adminiſtrandas eleemoſinas, Judas ſtatim petiit ſibi deferri hoc Officium; in hunc finem rogavit Joannem, ut permoveret B. Virginem ad impetrandum ſibi à Chriſto hoc officium. Cum B. Virgo non deferret precibus Joannis, ipſe tandem eam adiit, idem petens, ac dicens; ſe nullum habere in hoc finem, niſi ut poſſet ſervire Chriſto. -

1097. B. Virgo ad me dixit: Joannes promeruit amorem Chriſti ob amorem mei. Econtra Judas cecidit, quia contempſit bonitatem, quam ipſi exhibui.

1099. Jam ultra duos annos cum dimidio tranſierat ab initio cœptæ prædicationis, & miraculorum, dum jam appropinquabat tempus paſſionis; ſed paulo prius Salvator aſcendit in montem Thabor, diſſitum à Nazareth duobus milliaribus verſus orientem, ac ſitum in medio Galilææ.

1100. Eodem tempore, quo animæ Moyſis & Eliæ ab angelis fuerunt portatæ in Thabor, etiam B. Virgo manibûs ſuorum angelorum fuit eo deportata, ut intereſſet transfigurationi. Hoc ei debebatur, quia erat Chriſti ſocia & coadjutrix in opere redemptionis.

1101. Tunc B. V. habuit viſionem Dei intuitivam. 1102. Ob quod fecit nova Cantica.

1103. Poſt transfigurationem fuit ab angelis reportata in Nazareth, Chriſtus autem venit ad eam in Nazareth, ut valediceret patriæ. Tunc ultimò pertranſiit in Galilæa.

1104. Ante egreſſum ex urbe Nazareth Chriſtus ſic oravit: *Æterne Pater - venio, ut lapſos erigam, pauperes ditem, eſurientes reficiam - O Crux deſiderata, quando me excipies in tua brachia? O dulces contumeliæ & injuriæ! - venite, & ſatiate mea vota -*

1106.

1106. Similiter oravit B. Virgo dicens: - *Hodie deſero patriam, ut aſſiſtam filio in ſuo Sacrificio - non eſt dolor, ſicut dolor meus, quia video eum, qui eſt figura tuæ ſubſtantiæ, & tibi conſubſtantialis, inter lupos - O filii Adæ, vigilate - conſiderate grave pondus peccati in meis doloribus & tormentis.*

1107. Chriſtus tunc ultima vice proficiſcitur Jeroſolimam. - Poſt feſtum Tabernaculorum manet in Judæa usque ad paſſionem. Ultimis menſibus poſt Transfigurationem patravit majora miracula.

1108. B. V. ſemper comitabatur filium, exceptis pauculis temporibus, quibus ſeparatim in comitatu S. Joannis operabatur converſiones & miracula. Eo tempore ob abſentiam Dilecti præ amore patiebatur deliquia.

1109. Illis diebus ſecuta etiam eſt reſuſcitatio Lazari in Bethania. Hinc Pontifices collegerunt Concilium, in quo quæſtio facta, an nullus ſciret locum, ubi Chriſtus maneat?

1110. In utraque unctione pedum Chriſti erat una eademque mulier Magdalena.

1111. Lucifer tentat cor Judæ. Igitur accedit ad Pontifices, dicens: Chriſtum amare convivia, & fœcem hominum; & ab eo circumduci multos malæ famæ, viros ac mulieres -

1115. In fide expreſſa myſteriorum revelatorum creduntur etiam ea myſteria, quæ in illis implicitè continentur. - Jam eſt voluntas Dei, ut ſcribam ea occulta myſteria ſine immixtione humanarum opinionum. Et hucusque jam multa talia deſcripſi, quæ mihi revelata ſunt.

1116. Unctio Chriſti in Bethania peracta eſt à Magdalena in die Sabbati.

1117. Chriſtus jam vicinus paſſioni Bethaniæ in Oratorio ſe de novo Patri obtulit; Idem fecit B. Virgo. Tunc Pater æternus in ſpecie humana apparuit, dicens - . Quando B. Virgo in hac viſione ſuum filium vidit ad dexteram patris; ait: *Dixit*

Dominus Domino meo, ſede à dextris meis. Et in hæc verba cecinit Canticum. Quando autem deſiit loqui, Pater æternus continuavit reliquum textum Pſalmi. Nimis mihi difficile eſt, omnia enarrare, quæ de ſenſu hujus pſalmi intellexi.

1121. In die, qui correſpondet Dominicæ Palmarum, venit confectis circiter duobus milliaribus in Bethpage, ubi duos diſcipulos miſit in domum alicujus divitis, ut ejus conſenſu acciperent pullum aſinæ.

1123. Ingrediente ſic Domino Jeroſolimam ſtatim Michael angelus deſcendit in limbum Patrum, ut eis nuntiaret triumphalem ingreſſum. Illi verò in aliqua viſione viderunt totum triumphum, & gratulati ſunt Triumphatori Canticis. Ut verò hic triumphus eſſet glorioſior, juſſit morti Chriſtus, ut eo die nullus hominum moreretur in toto mundo, quod & factum eſt.

1124. Tempore hujus Proceſſionis omnes dœmones, quotquot erant in toto mundo, detruſi ſunt in orcum. - Quamvis in eo triumpho tanta multitudo hominum acclamaverit tanquam regi, nullus tamen erat, qui eum vellet excipere domo.

1125. B. Virgo in viſione vidit totum hunc Triumphum contra dœmones; & quomodo tunc impletum fuerit; quod *inimici ſub pedibus ejus.*

1128. Lucifer in orco convocat propterea novum Concilium; & conſcenſo alto loco dœmones ſic alloquitur. -

1131. Dœmones, cum jam magis ac magis in ipſis creſceret ſuſpicio, Chriſtum eſſe Meſſiam, ſtatuunt, ut impediatur mors Chriſti. 1132. Igitur cum tota ſua cohorte Lucifer redit ex orco in terram, & corporaliter apparens offert Judæ multam pecuniam, ſi non traderet Chriſtum. Uxorem quoque Pilati inſtigavit, ut impediat ejus mortem.

1133.

1133. Verum omnes adhortationes & media ad bonum fruſtranea ſunt ſine gratia; non potuit dœmon permovere Judam ad deſiſtendum à propoſito.

1134. Cum dœmones nihil proficerent in Juda, inſpirarunt Phariſæis, ac poſtea Pilato, ut deſinerent perſequi Chriſtum. Et cum nec in his obtinerent intentum, mutaverunt conſilium; nam videntes, ſe non poſſe impedire mortem Chriſti, converſi in rabiem decreverunt, ſaltem modo crudeliſſimo & ſubito hoc exequi.

1135. Die Mercurii poſt Dominicam Palmarum Phariſæi & Scribæ colligunt novum Concilium in Domo Caiphæ. Ibi Lucifer iis inſpirat, ut differant mortem Chriſti poſt Paſcha, ne tumultus fieret in populo. Cogitabat enim, mortem Chriſti forte omnino impediri poſſe, ſi differretur ultra Paſcha.

1137. B. V. ad me dixit: Lucifer in varia ibat conſilia, donec agnovit, quod anima diviniſata mei filii jam ab initio fuerit glorioſa. Sic Deus multa ſolet in bonum animarum dœmoni celare ad obtinendum ſuum intentum; quo obtento ea dæmon agnoſcit in majorem ſui confuſionem.

1142. B. Virgo illis ultimis diebus multa tractavit myſteria cum filio. De iis, quæ mihi revelata fuerunt, poſſum pauca adducere.

1143. Die Jovis Chriſtus matrem ſic alloquitur: Venit hora pro redemptione generis humani - da mihi licentiam patiendi -

1145. B. Virgo ſic illi reſpondit: - O vos cœli & elementa, & omnes creaturæ, quæ in vobis continentur, angeli, Sancti Patriarchæ & Prophetæ, juvate me deflere mortem mei Dilecti, qui vobis omnibus dedit vitam - - - lachrimamini mecum ſuper genus humanum; - O felices prædeſtinati! O infelices reprobi! - Tu verò, o fili -

1149.

Digitized by Google

1149. Tunc Chriſtus paulo ante meridiem cum diſcipulis ex Bethania it Jeroſolimam, ultimam ibi cœnam ſumpturus.

1151. Comitabantur B. Virginem angeli in viſibili ſpecie, & cum ea colloquebantur de myſterio magno filii.

1157. Illa ipſa nocte ultimæ cœnæ Judæi celebrabant ſuum Paſcha comedendo Agnum Paſchalem. Igitur duo diſcipuli rogant Dominum domûs, ut eam concedat Magiſtro ad celebrandum feſtum panum Azymorum, prout vocabatur illud Paſcha Judæorum.

1158. Poſt Chriſtum venit in eam domum etiam B. Virgo cum ſuis mulieribus; Chriſtus verò jubet eam ſecedere in aliquod ſeparatum cubiculum, & ex eo in ſpiritu omnia intueri, quæ eventura erant.

1159. Chriſtus dein fecit ultimam cœnam cum diſcipulis, obſervando omnes cœremonias Legis, quas & illis explicavit, interpretando quid ſignificarent.

1161. Ea occaſione Chriſtus Canticum myſterioſum cecinit, & ſic precatus eſt Patrem: - vixi triginta tribus annis - tempus eſt, ut aperiatur liber ſignatus ſeptem ſigillis - 1162.

1163. Cœleſtis Pater ſtatim miſit innumerabiles Choros angelorum ad Chriſtum, ut in Cœnaculo intereſſent myſteriis. B. Virgo è ſuo cubiculo in ſpiritu omnia vidit, quæ ibi agebantur. Cooperabatur etiam filio in omnibus exercitiis, tanquam coadjutrix. Fecit etiam de his myſteriis nova Cantica.

1165. B. Virgo plus paſſa eſt, quàm omnes homines ſimul ſumpti. Noſtri dolores comparati ad dolores illius ſunt tantùm mera umbra.

1168. Tunc Chriſtus ſuos diſcipulos juſſit ſedere, & exuit exteriorem togam. Tunc etiam uſus eſt ſandaliis, quæ ſolebat deponere tempore prædicationis. Ea erant confecta à B. Virgine in Ægypto; & creſcebant cum illo.

1173.

Digitized by Google

1173. Chriſtus habebat capillos coloris medii inter caſtaneum & aureum. Oculi erant griſei. Forma corporis perfectisſima. Lucifer tunc ſedebat in medio cordis Judæ; & quia non poterat perferre humilitatem Chriſti, volebat exinde & ex cœnaculo fugere. Sed Chriſtus eum impedivit.

1177. Chriſtus nulli exhibuit beneficium corporale ſine admixtione alicujus beneficii ſpiritualis.

1179. B. V. ad me dixit: Sit tibi hæc inconcuſſa regula: Quando tui Confeſſarii & Superiores approbant gratias & beneficia tibi à Deo indulta, debes illis credere, ea beneficia admittere, & æſtimare absque ulla dubietate, vel titubatione.

1181. Ultimam cœnam Chriſtus cum diſcipulis ſumpſit in terra recumbens ſupra menſam, quæ non multò altior terrâ erat, quam ſex aut ſeptem pollices more Judaico. Poſt lotionem pedum autem Juſſit Chriſtus parari altiorem menſam eo modo, quo nunc apud nos conſueta eſt. Exinde duxit initium mos celebrandi Miſſam in altiori menſa, ut nunc in Eccleſia Catholica fieri ſolet. Menſam ſtraverunt linteo, & impoſuerunt patinam cum calice, qui habebat formam calicis in Miſſa uſitati. Calix & patina erant ex lapide ſimili Smaragdo; eaque vaſa Dominus Domus Chriſto obtulit; unde factum, quod apoſtoli dein iis uſi fuerint ad conſecrationem. In patinam Chriſtus poſuit panem azymum, & in calicem vinum purum.

1182. Dein Chriſtus habuit ſermonem ad diſcipulos, in quo ipſis commendabat amorem & pacem inter ſe; dicebat, quod amore fraterno diligere ſe invicem debeant, ſicut Pater cœleſtis eos diligit - . Tandem per angelos apportati ſunt in cœnaculum etiam Enoch & Elias, quia Chriſtus hos duos Patres Legis naturalis & Scriptæ voluit intereſſe fundationi Legis gratiæ.

1183. Poſtquam omnes convenerant, tunc etiam apparuit Perſona Patris, & Perſona Spiritûs Sancti, ut contigit in Jordane, & monte Thabor. Sed viſi fuerunt tantùm ab aliquibus, præſertim à Joanne, quamvis omnes reliqui ſenſerint aliquam operationem.

1184. Tunc Chriſtus habuit hunc ſermonem ad Patrem: Laudo te in eſſentia tuæ deitatis, in qua tecum & cum Spiritu Sancto idem ſum per tuum intellectum, ut figura tuæ eſſentiæ, & imago tuæ indiviſæ naturæ. - 1187. Igitur ordino, ut omnes homines regenerentur in tuam amicitiam per baptiſmum - 1188. ordino etiam Sacramentum matrimonii -

1189. Hunc ſermonem Chriſtus ad Patrem habuit ſine ſigno externo. Eandem Chriſti orationem etiam Patri B. Virgo obtulit. Nam quamvis perfectioni operum filii non potuerit addere aliquid meriti, ſic tamen oratio filii ſemper pertinuit ad coadjutricem, ad B. Virginem, ut miſericordia divina etiam ex ipſius parte fuerit mota, & Pater æternus non reſpexerit ad Unigenitum, niſi ut aſſociatum cum Matre. Reſpexit ergo Pater æternus ſimul ad ambos, & certo quodam modo acceptavit utriusque preces, filii & matris pro ſalute hominum. Aliud quoque tunc operata eſt B. Virgo. Nam cum videret Luciferum in apoſtolos machinari grave malum, authoritate regia illi præcepit, ut cum tota ſua cohorte fugeret è Cœnaculo, & in infernum ſe præcipitaret. 1190. Itaque omnes ſe præcipitarunt in infernum, donec ipſis denuo permiſſum eſt, redire ex orco ad paſſionem Chriſti, ut melius confunderentur. Angeli autem tunc B. Virgini cecinerunt Canticum Triumphale. Ex his autem apparet, quod Lucifer & ejus ſocii fuerint quidem præſentes lotioni pedum, & paſſioni Chriſti, non autem inſtitutioni Euchariſtiæ, & ejus ſumptioni.

1191.

1191. Quando Chriſtus pronuntiavit verba Conſecrationis, reſpondebat æternus Pater: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui, & complacebo usque ad finem mundi. - Idem confirmabat Perſona Spiritus Sancti. Dein Humanitas Chriſti in perſona Verbi exhibebat reverentiam divinitati in Sacramento ſuæ carnis & ſanguinis. Statim etiam B. Virgo adoravit è ſuo cubiculo Chriſtum in SS. Sacramento. Dein angeli, etiam in cœlo. Denique etiam comparuerunt ad adorandum etiam Elias & Enoch.

1192. Similiter adorarunt etiam Apoſtoli. Dein elevavit Chriſtus in altum conſecratam carnem, & ſanguinem, ut ab omnibus, qui illi primæ Miſſæ intererant, poſſet de novo adorari. Quod & factum eſt. In iſta elevatione præcipuè illuminati fuerunt circa myſteria Euchariſtica B. Virgo, S. Joannes, Enoch, & Elias - quomodo videlicet ſubſtantia panis per Sacerdotem transſubſtantietur in ſubſtantiam Corporis & Sanguinis Chriſti, remanentibus accidentibus ſine ſubjecto.

1194. Intellexit etiam B. Virgo, quomodo accidentibus corruptis creetur nova materia, & ſic fiat nutritio.

1195. Multa de his veritatibus comprehendit etiam S. Joannes cum antiquis Patribus ibi præſentibus.

1196. Poſtquam Chriſtus SS. Sacramentum elevavit in altum, illud fregit, & primus ſumpſit. Cumque agnoſceret, quanto inferior eſſet ſua humanitas divinitate, ſenſit in parte ſenſitiva quaſi tremorem & horrorem. Poſtquam autem Chriſtus ſe communicavit, vidit B. Virgo in ſpiritu, quomodo ipſe in ſuo proprio corde reſideat.

1197. Dein fregit Chriſtus aliam particulam, eamque tradidit Gabrieli Archangelo deportandam B. Virgini. Ea recepit ab Angelo SS. Sacramentum, quod in ejus corde ex eo momento manſit incorruptum, tanquam in Tabernaculo, usque dum de

novo poſtea conſecravit S. Petrus. Ipſa autem gratias agebat novis Canticis.

1198. Tunc ex mandato Chriſti S. Petrus ſumpſit alias particulas, quibus communicavit duos antiquos Patres, Enoch, & Eliam. Hi autem ſic refecti ab angelis reportati ſunt in locum, in quo viſio intuitiva Dei ipſis differtur usque ad finem mundi.

1199. Judas ſecum ſtatuit, Hoſtiam non deglutire, ſed illam reſervare, & tradere Phariſæis ac Principibus Sacerdotum, quò haberet occaſionem accuſandi Magiſtrum, quod aſſerat hunc panem eſſe ſuum corpus. B. Virgo, quæ vidit omnium Apoſtolorum internam diſpoſitionem, vidit etiam hoc impium Judæ propoſitum. Itaque authoritate regia præcepit angelis, ut extraherent ex ore Judæ conſecratum panem & vinum, & ad alias partes conſecratas reponerent. Quod & angeli ſtatim executi ſunt.

1200. B. V. ad me dixit: Lucifer cum ſua cohorte valde horret Euchariſtiam; ejus enim vicinia majorem ipſi dolorem ac pœnam cauſat, quàm ipſe infernus. Quando in Eccleſia in præſentia Euchariſtiæ tentant homines, ſemetipſos ad hoc cogunt non obſtante illa pœna. Quia ex odio Dei malunt perferre eos dolores, quàm non tentare.

1201. Eadem ad me dixit: Quia ex obedientia quotidie communicas, te præpara ab una ad alteram.

1202. Eadem ad me dixit: In eos, qui devotè communicant, aliquid transfunditur de gloria humanitatis mei filii. Item corda eorum, qui devotè communicant, habebunt aliquem glorioſum Characterem publicum in teſtimonium, quod fuerint digna tabernacula mei filii: & hoc erit magnum gaudium accidentale in cœlo. Gloria autem eſſentialis dignè communicantium erit non ſolùm æqualis, ſed etiam major gloria quorundam Martyrum, qui nunquam ſumpſerunt S. Communionem.

1203.

1203. Eadem ad me dixit: Minima virtus, quam exercui, major fuit ſuprema virtute omnium Sanctorum.

1204. Die Jovis, poſtquam jam nox ingruerat, ſurgit Chriſtus è Cœnaculo, & valedicit Matri. Ea revertitur iterum ad ſuum cubiculum, è quo omnia vidit quæ Chriſtus egit; quibus omnibus etiam ipſa cooperabatur modo conveniente.

1205. Chriſtus exiit è Cœnaculo cum omnibus Diſcipulis; ſed in plateis multi diſperſi ſunt ad ſua negotia; ſoli duodecim Apoſtoli eum comitabantur in montem Oliveti, qui ſitus erat verſus Orientem. Judas autem permiſit Chriſtum & alios Apoſtolos præcedere, donec tandem eos ex oculis amiſerit. Tunc concito curſu properat ad Sacerdotes. In via illi occurrit Lucifer in ſpecie humana hominis alicujus Judæ notiſſimi, cum quo etiam conſilium ſuum de prodendo Magiſtro communicaverat. In hac forma Judam alloquens ait: ſibi quidem ab initio placuiſſe hoc conſilium; nunc autem ſe illud improbare -

1213. Calix, quem Chriſtus bibere noluit, erat afflictio illa, quam ſentiebat ex eo, quod ſua paſſio non ſolùm ſit futura infructuoſa pro damnandis, ſed etiam illis futura in majorem damnationem.

1214. Itaque oratio illa Chriſti ad Patrem habebat hunc ſenſum; ut Pater aut omnino à ſe tolleret hunc calicem, id eſt, dolorem moriendi pro damnandis; aut, ſi mors inevitabilis, ut omnes ſalvarentur. - Sed Divinitas repoſuit, jam eſſe conſtitutum determinatum numerum prædeſtinatorum.

1216. Pater miſit filio Archangelum Michaelem, ut eum conſolaretur, ac ea illius ſenſibus internis proponeret, quæ animæ Chriſti jam prius erant nota; illa notitia, quam ab angelo accepit, erat experimentalis; ea autem, quam prius habuit, erat alterius generis. Enumerabat S. Michael Chriſto bona, quæ ſecutura erant ex paſſione Dominica. Addebat etiam alia myſteria, quæ

non neceſſe eſt revelare; maximè cum ad ea revelanda nullum habeam mandatum.

1217. Poſtquam Lucifer obtinuit licentiam de novo ex orco redeundi in terram, ſtatim turma dœmonum properavit ad Judam, ut impediret illum à proditione Magiſtri.

1219. Quando Chriſtus in Oliveto ſe ſeparavit ab aliis Apoſtolis, tantummodo ſecum ſumptis Petro, Joanne, & Jacobo; etiam B. V. ſe ſeparavit ab aliis mulieribus, ſeceſſitque in ſeparatum cubiculum cum tribus Mariis. Ibi rogavit Deum, ut in ſenſitiva parte privaretur omni ſolatio, & ut in corpore ſentiat omnes dolores vulnerum & pœnarum, quos paſſurus eſt filius; quod ipſi etiam conceſſum eſt. Et quamvis hi dolores tanti fuerint, ut naturaliter debuiſſet mori, fuit tamen ſupernaturaliter conſervata à Deo.

1220. Tres Mariæ à B. Virgine electæ fuerunt, ut ipſi aſſiſterent in ſua paſſione. Quando ergo cum his tribus mulieribus fuit ſeparato in cubiculo, dixit ad illas: *Triſtis eſt anima mea - orate, ne intretis in tentationem.* Tunc avulſa eſt ab illis paululum, & oravit; ac ter ad mulieres reverſa denuo ad orationem, ut Chriſtus, rediit. Ut verò in omnibus imitaretur ſuum filium, etiam ſudavit ſudorem ſanguineum. Ipſi verò miſſus eſt Archangelus Gabriel, ut eam conſolaretur. Mihi fuit revelatum, quod B. Virgo in hunc finem jam fuerit proviſa aliquot linteolis. Et hinc, quando agnovit ſuum filium ſudare ſudorem ſanguineum, ſtatim illi per angelos miſit linteolum ad detergendum ſudorem; quod & angeli ſtatim executi ſunt.

1221. B. V. ad me dixit: Vide, quanti momenti ſit Prædeſtinatio, vel reprobatio. Impoſſibilitas, ut omnes ſalvarentur, reddidit ejus paſſionem tam doloroſam; & ob hoc ſudavit ſudorem ſanguineum.

1224.

Digitized by Google

1224. Sacerdotes & Scribæ collegerunt multum populum, quem cum militibus gentilibus & Capitaneo eduxit Judas.

1225. Chriſtus obviam ivit turbis, & dixit in corde ſuo: *Optatiſſima paſſio animæ meæ, dolores, tormenta, injuriæ, afflictiones, pœnæ, mors, huc venite, venite, ab venite ſine mora. Integrum incendium amoris, quem pro ſalute hominum gero, vos exſpectat ardenter. Venite ad innocentiſſimum omnium creaturarum, qui agnoſcit veſtrum pretium* -

1227. Ob interceſſionem B. Virginis Chriſtus immiſit in cor Judæ poſt oſculum ſequentes bonas inſpirationes - Verùm nil profecerunt.

1228. Chriſto aſſiſtebant innumerabiles exercitus angelorum. Cum Juda venerant milites Judaici, & gentiles. Inter eos erat etiam Lucifer cum magna cohorte dœmonum.

1229. Quando Chriſtus dixit: *Ego ſum*, ſenſus erat; *Ego ſum, qui ſum.* Et hunc ſenſum intellexerunt angeli, & B. Virgo, & multi ex Apoſtolis. Quando autem Chriſtus hoc dixit, hoſtes ejus ceciderunt in terram cum canibus & equis, quos ſecum ſumpſerunt. Jacuerunt inſtar lapidis per ſemiquadrantem ſine ullo ſigno vitæ ſimiles mortuis. Tunc & Lucifer cum ſuis præcipitatus fuit, & nova pœna affectus.

1230. Ob interceſſionem B. Virginis, quæ oravit, ut poſſent reſurgere, oravit etiam Chriſtus ad Patrem, ut liceret illis ſurgere.

1231. Primus in Chriſtum immiſit manum famulus ſummi Sacerdotis, Malchus. - Ictus inflictus à Petro intuliſſet majus vulnus, ſi non fuiſſet impeditus à Deo.

1236. Quando B. V. vidit, turmam cadere in terram, cum angelis cecinit iterum myſterioſum Canticum. Quando Chriſtus fuit ligatus, ipſa in ſuis manibus ſenſit omnes dolores funium & catenarum, ac ſi ipſamet fuiſſet ligata. Idem ipſi contigit, dum Chri-

Chriſtus fuit percuſſus, aut protruſus. Nam ipſi collata erat hæc gratia ſenſationis, ut dictum eſt, & ulterius dicetur.

1240. Capto Chriſto Apoſtoli cœperunt hæſitare in fide, & quilibet circumſpiciebat pro ſua ſecuritate. 1241.

1243. Petrus & Joannes fortius reſtiterunt dœmoni, quàm cæteri apoſtoli. Statuunt ſequi Magiſtrum à longe. Ad hoc juvabat eos, quod Joannes fuerit notus Annæ Summo Pontifici, qui annuis vicibus cum Caypha adminiſtrabat Pontificatum. Familiaritas autem Joannis cum Anna Pontifice ex hoc provenit, quia habebatur pro viro eximio, & erat nobilis, & affabilis.

1244. B. V. vidit omnes cogitationes apoſtolorum, eorumque ſtatum internum. Tunc ſecum hoc modo locuta eſt: O ſimplices oviculæ, quare deſeruiſtis veſtrum Paſtorem? - Quomodo poteſtis oblivisci ejus doctrinæ? - O dulciſſime amor! -

1245. B. Virgo, ſicut ſenſit alios dolores Chriſti, ita etiam ſenſit ejus dolorem ob lapſum apoſtolorum. - Itaque auxit ſuam interceſſionem pro apoſtolis, donec ipſis promeruerit conveniens auxilium, & filium permoverit ad indulgendum & accelerandum auxilium, ut ad fidem & amicitiam ejus reverterentur; ad quod Maria fuit efficax & potens inſtrumentum. Interea ipſa in ſuo corde collegit totam fidem, ſanctitatem, religionem, & pietatem totius Eccleſiæ, quæ in ipſa conſervata eſt, tanquam in Arca continente Legem gratiæ, Sacrificium, Templum, & Sanctuarium. Ipſa ſola credebat, amabat, ſperabat, & adorabat objectum fidei pro ſe, pro apoſtolis, & pro toto humano genere, ſic ut in eo gradu, in quo puræ creaturæ poſſibile eſt, ſuppleverit defectum omnium.

1247. Judas poſt proditionem volebat ſe præcipitare, ſed non potuit. 1248. Tunc Lucifer ipſi ſuaſit, ut iret ad ſummum Sacerdotem, & retractaret ſuum peccatum. Sperabat enim Lucifer, hoc modo poſſe impediri mortem Chriſti. In quem finem etiam uſus

Digitized by Google

uſus eſt Pilato tanquam inſtrumento ad liberandum Chriſtum à morte. Judas autem, cum videret ſe nil efficere, ſe ſuſpendit extra urbem in arbore; & hæc ejus mors contigit ipſo die Paraſceves hora meridiana, nempe duodecimâ.

1249. Corpus Judæ manſit in arbore tribus diebus. Nam quamvis Judæi conati fuerint illud ab arbore deponere, non potuerunt tamen id efficere. Poſt tres dies dœmones illud ad animam deduxerunt in infernum. Fuit autem detruſum in aliquam ſpecum, in quam dœmones hucusque ab initio mundi nullam animam potuerunt detrudere; licet id ſæpius tentaverint: erat enim præparata pro Juda, & pro illis Chriſtianis, qui propterea damnantur, quod Sacramenta, doctrinam, & paſſionem Chriſti, & interceſſionem B. Virginis nolint convertere in ſuam utilitatem.

1251. Lucifer, quando erat in Oliveto, ad ſuos dixit: Sine dubio hic homo eſt ſimul Deus. Si morietur, procurabit redemptionem humani generis. Malè egimus procurando ei mortem. Igitur ſaltem exquiſitis tormentis tentemus ejus patientiam.

1253. B. V. ad me dixit: Unus apoſtolorum cecidit; reliqui in fide fluctuarunt.

1255. Eadem ad me dixit: Cum ſenſibilia tantopere noceant vitæ ſpirituali, requiro à te, ut ex animæ tuæ potentiis deleas omnes imagines & ſpecies creaturarum, ut ſis capax meæ imitationis & inſtructionis.

1257. Chriſtus ex Oliveto ducebatur ad Annam Summum Sacerdotem. Lucifer inſtigabat turmam militum & carnificum ut arctè ligarent captivum, quem habebant pro mago. Itaque collo, & corpori circumdederunt craſſam catenam ferream, cujus extremitatibus inſeruerunt Chriſti manus; ipſam verò catenam retorſerunt in tergum. Eam acceperant ex domo Annæ Summi Sacerdotis, ubi ſervierat ad attollendam januam cujusdam carceris.

Catena erat etiam proviſa clauſuris, & clavibus. Inſuper adhibebant duos craſſos funes. Uno circumdabant arctè collum & pectus, & ligamenta firmabant ſtrictis nodis. Extremitates ſinebant propendere, ut poſſet iisdem trahi. Altero fune ligabant brachia, ac deín eum circumducebant medio corporis; extremitatibus autem propendentibus attrahebant captum.

1258. Una pars turmæ trahebat Chriſtum fune anteriore; altera poſteriore, & ſic trahebant ipſum modo in ſiniſtram, modo in dextram partem. Sæpe proſternebant eum in terram, quo factum, ut vulneraretur ejus facies, cum manus haberet ligatas in tergo.

1259. Semel Lucifer voluit carnificibus funes eripere è manibus eorum, ut poſſet ipſemet Chriſtum trahere; ſed Maria hoc è ſuo cubiculo videns authoritate regia ipſi præcepit, ut deſiſteret; & ſtatim fractæ ſunt vires illius. Itaque animat alios dœmones contra Chriſtum, dicens: Qualis eſt hic homo? - venite, perſequamur ipſum ſaltem per noſtros vaſallos -

1260. More judaico aliàs tantùm rei mortis ſic ligati ſiſtebantur judici.

1263. Interea ad domum Annæ pervenerunt etiam Petrus & Joannes. Hic verò, cum notus eſſet Pontifici, facile fuit intromiſſus; Petrus verò remanſit foris, donec & ipſe ad interceſſionem Joannis fuit intromiſſus à Janitoribus. Ambo ſe contulerunt in curritorium, quod erat ante Aulam Pontificis. Ibi accedebat ad ignem, quem milites ad arcendum frigus accenderant. Accedente autem oſtiariâ ancilla, ac interrogante - negavit ſe eſſe diſcipulum Chriſti. Dein receſſit ex domo Annæ; ſed in domo Caiphæ negavit ſuum magiſtrum iterum duabus aliis vicibus.

1264. Quamprimum B. Virgo è ſuo cubiculo vidit negationem Petri, non deſtitit lachrimari & rogare Chriſtum in ſuo corde aſſervatum ſub ſpeciebus Euchariſticis pro illo, ut obtineret veniam

veniam. Igitur Chriſtus ſtatim poſt primam negationem rogavit Patrem, ut ob interceſſionem B. Virginis Petro præpararetur gratia & venia. B. Virgo ſenſit quoque omnes dolores, vulnera, & pœnas ſui filii: Quando Chriſtus fuit ligatus funibus & catenis, ipſa in ſuis manibus & brachiis ſenſit tantos dolores, ut ſanguis proruperit ex unguibus. Cumque ſimul acceſſerint anguſtiæ cordis, incepit lachrimari lachrimas ſanguineas. Alapam quoque ſuo filio inflictam ſic ſenſit, ac ſi ipſimet fuiſſet inflicta.

1265. B. V. ad me dixit: Certam te reddo, & dico tibi pro veritate indubitata, quod ſolùm mea interceſſio, & merita, quæ æterno Patri repræſento, impediant pœnam, & placare poſſint ejus juſtam iram, ne mundum deleat.

1269. Chriſtus, quando ducebatur ab Anna ad Caipham, oravit pro ſuis perſecutoribus. Idem fecit & B. Virgo eodem tempore; quia erat mira inter filium & matrem conſenſio.

1270. Lucifer cum ſua cohorte ſtabat à latere Cayphæ, ut prius ſtetit à latere Annæ.

1271. Lucifer intendebat fatigare patientiam Chriſti, ut exprimeret aliquod verbum, ex quo intelligeret, an eſſet verus Deus.

1273. Aliqui tunc in domo Cayphæ Chriſtum percutiebant pedibus; alii trahebant capillis; alii percutiebant in collo. A Concilio autem ut blaſphemus fuit condemnatus ut reus mortis.

1274. S. Marcus & Lucas narrant, quod Chriſtus pedibus fuerit impetitus. Tunc tantus ſplendor ex vultu Chriſti prodiit, ut omnes mirati ſint. Quia verò hoc tribuerunt magiæ, ſtatuerunt velare faciem ejus. - Omnes hos dolores ſenſit etiam B. Virgo, ut Chriſtus, hoc ſolo diſcrimine, quod illos in Chriſto cauſaverint percuſſiones, in B. Virgine verò manus Dei ex ejus conſenſu. Et quamvis naturaliter debuiſſet mori, fuit tamen ſupernaturaliter ſervata.

Digitized by Google

1275. Inter illas pœnas Chriſtus pro ſuis fidelibus renovavit Beatitudines promiſſas dicens: *Beati qui manſuetè patiuntur afflictiones, quia poſſidebunt terram humanæ voluntatis & cordis ſua amœna converſatione, & amœnitate virtutis.*

1278. In domo Cayphæ vidit Petrum alia oſtiaria, quæ acceſſit ad milites ſtantes ad ignem, dicens: - Poſtea Petrus exivit ex atrio, & circumivit circa domum fere per horam. Tunc acceſſit ad eum alius miniſter, cognatus Malchi, cui abſciderat auriculam dicens: *Tu es Galilæus* -

1279. Lucifer ab initio permovit duas oſtiarias, dein etiam milites, ut urgerent Petrum interrogationibus. - Quod divina miſericordia reſpexerit Petrum, hoc tribuendum B. Virgini, quæ, ut cognovit negationem Petri, ſtatim in ſuo cubiculo oravit - Petrus autem dolens exivit è domo Cayphæ, ſeque contulit in ſpecum, quæ nunc vocatur *Canta Galli*, poſt tres horas obtinuit iterum gratiam & veniam. B. Virgo miſit in ſpecum angelum, qui eum conſolaretur. Angelus eò ſe contulit clam, ita ut non fuerit viſus à Petro; ejus ergo inſpirationibus Petrus confortatus receptus fuit in gratiam ob interceſſionem Matris omnium gratiarum.

1283. Mihi eatenus circa ea, quæ Chriſtus paſſus eſt poſt negationem Petri usque mane, revelata aliqua fuerunt, quæ non convenit manifeſtari omnibus.

1284. Cum ſic jam tranſierit medium noctis, ſtatuunt congregati ſe dare quieti. Interea autem jubent Chriſtum detrudi in ergaſtulum profundum ſub terra. Ille carcer erat deſtinatus pro peſſimis; vix habebat parum luminis, & erat fœtidiſſimus, quia à multis annis non erat purgatus.. Suo fœtore potuiſſet inficere totam domum, niſi fuiſſet tam profundus.

1285. In hac crypta ſubterranea fuit Chriſtus alligatus in aliquo angulo ad fruſtum rupis, ſic tamen ut nec ſedere, nec ſe erigere potuerit. Hoc modo funibus arctiſſimè conſtrictus relictus fuit

Digitized by Google

fuit à miniſtris; & clauſo carcere clavis fuit tradita uni ex miniſtris.

1286. Tunc Lucifer induit perſonam Præfecti carceris, & animat eum, cui clavis commiſſa erat, ut deſcendat in carcerem, & illudat vincto. Sic etiam animat turmam. Angeli autem deſcendunt ad Chriſtum in carcerem, & canunt illi Canticum à B. Virgine compoſitum.

1287. Chriſtus verò ad angelos dixit: - dicite meæ matri, ut jam ſociam agat in paſſione - . Angeli omnia nuntiârunt B. Virgini, quamvis ipſa ea omnia jam ſciverit per aliam ſcientiam. Ut verò vidit filium in his pœnis, ſenſit omnes ejus dolores, hoc ſolo diſcrimine, quod Chriſtus paſſus ſit, ut Deus ſimul ac homo, & ut Redemptor; B. Virgo autem ut pura creatura & ut coadjutrix filii.

1290. In illo carcere denudare Chriſtum veſtibus, & ea peragere volebant, quæ horrenda. B. Virgo authoritate regia avertebat has injurias. Deum Patrem rogabat, ut non præberet concurſum. Miniſtris autem præcipiebat, ut continerent vires ſuas. Sic ergo factum, ut aliqui ex miniſtris oblivïſcerentur ſui conſilii; aliis autem obriguerunt brachia, donec deſtiterunt à propoſito.

1291. B. V. præcepit etiam dœmonibus, ut obmuteſcerent, nec talia amplius miniſtris ſuggerent. Interim miniſtri perrexerunt aliis modis illudere Chriſto. Ut verò adverterunt, jam tranſiiſſe magnam partem noctis, alligarunt Chriſtum iterum rupi; & ſimul cum dœmonibus exierunt ex carcere.

1293. Tunc B. Virgo hanc fecit Lamentationem: O amor - quomodo hæc pateris - Vos angeli - compenſate injurias - invitate cœlum, planetas, ſtellas, elementa, ut eum agnoſcant & confiteantur, & videte, ſi eſt dolor ſicut dolor meus.

 1297.

Digitized by Google

1297. In die Paraſceves mane Principes Summorum Sacerdotum, & Scribæ collegerunt de novo Concilium, in quo Chriſtum de novo interrogant, an ipſe ſit Chriſtus? 1298.

1300. Chriſtus deducebatur ad Pilatum. 1301. Interea ortus fuerat ſol. Joannes omnia hucusque acta nuntiat B. Virgini. Itaque cum mulieribus ſe proripit ad ſpectanda omnia. 1302. In plateis præcipit angelis, ut ſibi per multitudinem parent viam.

1304. Tunc eam portant angeli ad quendam locum, ubi Chriſtus erat tranſiturus. Ibi ſe proſternit in terram, & adorat filium.

1306. In domo Pilati ſic collocatur ab angelis, ut potuerit omnia videre & audire. Erat obtecta ſuo pallio, & lachrimabatur ſanguinem præ dolore. Rogat Deum, ut filium ſuum nunquam ex oculis amitteret usque ad mortem. Orabat quoque, ut Pilatus non deciperetur per falſas accuſationes, ſed ut verè illuminaretur, & ut agnoſceret, Chriſtum tantùm fuiſſe traditum ex invidia. Ob has preces B. Virginis Pilatus obtinuit omnimodam agnitionem veritatis, ſic ut intellexerit, Chriſtum eſſe innocentem, & ex invidia fuiſſe traditum.

1307. Judæi accuſabant JESUM apud Pilatum, quod ſeipſum nominet Chriſtum.

1308. Pilatus proceſſit magis ex inſpiratione dæmonis, quàm ex agnitione veritatis, quam claram habuit.

1315. Quando Chriſtus ductus eſt ad Herodem, B. Virgo ope angelorum ſemper conſtituta fuit vicina Chriſto.

1319. Coram ipſo Herode B. Virgo non fuit corporaliter præſens, omnia tamen vidit in ſpiritu. In reditu ab Herode ad Pilatum aliquoties Chriſtus ob violentas tractiones fuit proſtratus in terram, & violenter iterum funibus erectus, ſic ut ex ejus venis proruperit ſanguis. Et quia irruebat concurrens multitudo, cecidit

dit comprimens turba ſuper eum, & conculcavit eum pedibus, & vulneravit eum percuſſionibus.

1320. Tunc B. Virgo præcepit angelis, ut colligerent ſanguinem à Chriſto hinc inde ſparſum in plateis, ne conculcetur pedibus. Præcepit illis etiam, ut ſi denuo caderet in terram ſuus filius, impediant, ne conculcetur pedibus. Rogavit tamen filium per angelos, ut in hoc ſervitium conſentiat, & actum humiliationis, quem ea ſui proculcatione exerceret, cummutet in actum obedientiæ erga matrem.

1321. In quod etiam conſenſit.

1322. Productio Chriſti & Barrabæ non tantùm una vice à Pilato facta eſt, ſed bis, immo ter. Primò videlicet, antequam Chriſtus fuit abductus ad Herodem; ſecundò poſt ejus reditum.

1323. Solebat autem à Judæis dimitti malefactor maximus. Egerunt contra morem, petendô Barrabam, quem tamen non judicabant maximum.

1324. Procula, uxor Pilati, ex inſtinctu Luciferi laboravit pro liberatione Chriſti. Lucifer enim in ſomno ipſi propoſuit, Chriſtum eſſe innocentem; qui ſi condemnaretur, ejus maritum ab Officio deponendum, ipſam verò in graviſſimas calamitates conjiciendam fore.

1325. Lucifer ſimilem timorem ſuggeſſit Pilato; verùm Judæis poſtulantibus Chriſtum crucifigi, lavit manus.

1330. B. Virgo intererat ope angelorum omnibus, quæ agebantur in domo Pilati, ſic ut omnia audierit.

1334. B. V. ad me dixit: Deus non te certam reddidit, quod non poſſis cadere. Serpens antiquus magis vigilat contra te, quàm contra alias animas; agnovit enim, quod Deus multis generationibus non oſtenderit tantum amorem, quàm erga te.

1336.

1336. Lucifer ut vidit, ſe non poſſe impedire mortem Chriſti, laboravit, ut perficeretur modo crudeliſſimo. Ad flagellationem fuerunt delecti ſex carnifices omnium robuſtiſſimi. Flagellatio facta eſt in atrio, ſeu in deambulatorio domûs, ubi malefactores ſolebant torqueri equuleo. Atrium erat circumdatum columnis; quarum uni alligatus fuit Chriſtus.

1337. Primò exuitur veſte alba, qua fuit indutus ab Herode. Dein reſolvuntur vincula, quibus ligatus fuit in Oliveto; & eorum reſolutione fuerunt renovata vulnera. Poſtmodum fuit juſſus exuere ſuam tunicam inconſutilem; nam pallio jam fuerat ſpoliatus in Oliveto. Paruit Chriſtus, ac cœpit ſe exuere; ſed cum carnifices crederent trahi moram, ipſimet violenter detraxerunt veſtem. Stetit itaque totus nudus, niſi quod fuerit cinctus ſemicinctio, quo illum mater induerat in Ægypto, quodque cum ipſo, uti & ipſa toga cum calceis, creverat.

1338. Audio, quod aliqui Doctores ſcripſerint, Chriſtum in crucifixione & flagellatione fuiſſe totaliter nudum. Sed cum ex obedientia de hac re interrogarem, intellexi, Chriſtum omnia in ſe permiſiſſe, quæ non fuerant contra honeſtatem. Revelatum etiam mihi eſt, quod carnifices omnes, unus poſt alterum tentaverint, ipſi tollere ſemicinctium, ſed eorum manus ac brachia obriguerunt, ut contigit in carcere in domo Cayphæ.

1339. Succeſſerunt in flagellatione ſemper duo carnifices, qui per vices tanta crudelitate flagellarunt, ut id fuiſſet impoſſibile, niſi Lucifer ſediſſet in eorum cordibus. Primi duo carnifices ſuum munus executi ſunt craſſis ac nodoſis funibus, ex quibus orti magni tumores. Hîs defatigatîs ſucceſſerunt alii duo, qui ſævierunt loris, ſeu flagellis ex corio, ex quibus tumores rupti fuerunt, ut copioſus effluxerit ſanguis. Poſt hos acceſſerunt duo alii, qui percuſſerunt Chriſtum crudeliter bubulis.

1340.

Digitized by Google

1340. Cum autem jam per duorum priorum ſævitiem totum corpus fuerit unum continuum vulnus, & venæ jam fuerint apertæ, tertii hi tortores non invenerunt amplius in corpore Chriſti locum, qui de novo potuerit aperiri. Cum tamen nihilominus percutiendô inſtiterint, ita dilacerarunt carnem virgineam, ut multa carnis fruſta ceciderint in terram, & in multis locis apparuerint nuda oſſa, idque in variis locis ad latitudinem unius manûs. Nec pepercerunt vultui & pedibus. Sanguis, qui defluxit in terram, in multis locis accrevit in colliculos. Vultus totus intumuit, & erat perfuſus ſanguine. Etiam oculi erant obducti tumore. Numerus verus omnium percuſſionum ex flagellis à pedibus usque ad verticem erat quinquies mille, centum, & quindecim. 1343.

1341. B. Virgo conſtituta in aliquo angulo atrii hæc omnia vidit in ſpiritu; & ipſa omnes ictus in ſuo corpore ſenſit, ut ipſe Chriſtus. Et quamvis non fuderit alium ſanguinem, niſi lachrimas ſanguineas, nec apparuerint in ejus corpore vulnera, ita tamen eſt præ dolore deformata, ut à Joanne, & à tribus Mariis, quæ ſimul aderant, non fuerit agnita.

1342. Unus miniſtrorum ex inſtinctu diaboli occultaverat Chriſto veſtem, ut diutius pateret illuſioni. Hoc B. Virgo advertens authoritate regia præcepit Lucifero, ut cum ſua cohorte ex illo loco diſcederet. Dein præcepit angelis, ut protrahant veſtem. Itaque Chriſtus iterum intuit veſtem, poſtquam in ſua ſatis longa denudatione etiam multa paſſus fuerat à frigore, quod tunc teſte Evangeliſta erat. Tunc ſola B. Virgo condolebat Chriſto loco totius generis humani.

1344. Judæi non contenti 5115 flagellorum ictibus Chriſtum denuo exuant, & obſoletâ purpura induunt. Capiti imponunt coronam ex ſpinis densè contextam. Aculei ſpinarum erant tam longi, ut aliqui penetraverint per cranium, alii usque ad aures, alii usque ad oculos. Purpura humeris injecta habebat fere

formam Pluvialis, uſitati ab Eccleſia. Color purpuræ erat ſubobſcurus.

1347. Quando Pilatus dicebat: *Ecce homo*, B. Virgo, Joannes, & tres Mariæ flexis genibus eum adorabant. B. Virgo renovabat quoque ſuas preces ad Deum pro Pilato, ut confiteretur conſtanter Chriſtum innocentem.

1348. Operatum eſt in Pilato illud lumen, quod ob interceſſionem B. Virginis accepit, hinc tot formavit interrogationes pro liberatione Chriſti.

1351. B. V. ad me dixit: Prius perirent cœlum & terra, quàm fruſtretur, quod in mente Dei ſtatutum eſt. Itaque neceſſe erat, ut invenirentur perſecutores ad executionem mortis, quæ de meo filio prædicta erat.

1354. Chriſtus exuitur iterum purpura, & induitur toga ſua, quæ per angelos juſſu B. Virginis protrahebatur ex aliquo angulo, in quem conjecta erat.

1355. Educitur Chriſtus ex urbe in die Paraſceves; facies erat ſputis, vulneribus, & ſanguine defœdata. Concretus ſanguis & tumores erant unum continuum vulnus. Detergebantur quidem aliquoties ſputa ab angelis juſſu B. Virginis, ſed carnifices de novo conſpuebant ejus faciem.

1356. Aderant ſpectaculo præſentes ex Apoſtolis ſolus Joannes, tres Mariæ, & B. Virgo. Joannes totus expalleſcens cœpit amittere pulſum in venis, & prolabi. Tres Mariæ paſſæ ſunt deliquium. Sed B. Virgo nunquam paſſa eſt deliquium.

1357. 1358. Lecta eſt coram populo ſententia mortis contra JESUM. Eadem repetita fuit in plateis, & ſub Cruce. Hæc ſententia circumfertur impreſſa, & prout mihi revelatum fuit, ea eſt vera, exceptis aliquot verbis, quæ appono. Verba ergo Sententiæ, prout mihi dictata fuerunt, ſunt hæc.

Ego

Ego Pontius Pilatus Præfectus inferioris Galilææ, hìc Jeroſolimis à Romano Imperio conſtitutus Gubernator in palatio Domus gubernii judico - - - . Præcipio primario Centurioni, Quinto Cornelio, ut eum deducat in Calvarium - - - Hæc ſententia a me lata eſt juxta Leges Romanas & Hebræas anno ab Orbe condito quinquies milleſimo, ducenteſimo, trigeſimo tertio, Die vigeſimo quinto menſis Martii.

Pontius Pilatus Judex & Gubernator inferioris Galilææ nomine Romani Imperii.

1359. Juxta hunc computum mundus fuit creatus menſe Martio, & ab Orbe condito usque ad Incarnationem erant 5199. anni, quibus ſi addantur 9 menſes usque ad Nativitatem, & 33. anni vitæ, fiunt 5233 anni, tres menſes; qui juxta computationem annorum romanam usque ad vigeſimum quintum Martii ſuperſunt. Nam juxta computationem Eccleſiæ Romanæ primo anno mundi tantùm conveniunt novem menſes, & ſeptem dies, quibus finitis ſubſequens annus inchoatur à primo Januarii. Mihi fuit revelatum, quod inter opiniones Doctorum vera ſit opinio Sanctæ Eccleſiæ in Romano Martirologio, ut jam dixi L. 1. P. 2. C. 11.

1360. Carnifices impoſuerunt humeris Chriſti Crucem, quindecim pedes longam, & confectam ex ligno craſſo, ac ponderoſo. Manus ejus reliquerunt liberas ad portandam crucem, ſed corpori & collo circumdederunt funes.

1361. Chriſtus recipiendo crucem his verbis eam allocutus eſt. *O deſideratiſſima Crux - veni - Deſcendi de cœlo - In te volo honorabiles reddere contemptus - Pater æterne -*

1362. Similia verba locuta eſt ad crucem B. Virgo tanquam coadjutrix Redemptoris. Quando audivit Præconem, in

 plateis

plateis proclamantem ſententiam ipſa fecit nova Cantica in laudem filii.

1363. Tota fides, ſcientia, & amor creaturarum tunc contracta fuit in corde B. Virginis. Ipſa in ſemet experta eſt omnes pœnas, quas perpeſſus eſt filius; omnesque ejus dolores ſenſit in anima & corpore. Aliquoties ſenſit eos dolores, priusquam ſciverat, filium talia pati; & tunc ex ſuis doloribus agnovit, nunc eum iisdem cruciari.

1364. In momento, quo Chriſtus ſuſcepit Crucem in humeros, Lucifer & dœmones ſenſerunt tantam debilitationem virium, ut noluerint exſpectare mortem Chriſti, ſed ſtatim ſe voluerint præcipitare in infernum. Sed B. Virgo hoc cognoſcens Majeſtate regia Lucifero & ejus cohorti præcepit, ut exſpectarent finem.

1367. Quando Chriſtus fuit eductus, aliqui carnifices funibus trahebant antrorſum, alii retrorſum. Sæpe in terram cecidit. Jaciebantur quoque in eum lapides, qui ipſi inflixerunt nova vulnera, præſertim in utroque genu. Hæc autem vulnera in genu renovabantur iteratis prolapſibus in terram. Pondus crucis aliud vulnus aperuit in humero, cui incumbebat. Frequenti appulſu crucis in caput, aut capitis in crucem corona ſpinea ſemper profundius infigebatur. Jaciebantur in eum quoque ſputa, & pulvis, ut oculi redditi fuerint inhabiles ad videndum. Ducebatur quoque feſtinè.

1368. Cum B. Virgo præ multitudine non poſſet accedere ad Filium, præcepit angelis, ut ſe juvarent; hi eam ſtatim per anfractus duxerunt in locum, ubi occurreret filius. Tunc non loquebantur vocaliter ad invicem; mentaliter tamen eum rogabat, ut inſpiraret carnificibus cogitationem de aſſumendo aliquo homine, qui juvaret portare crucem.

1369.

Digitized by Google

1369. Inter has afflictiones non potuiſſet naturaliter vivere, niſi fuiſſet ſupernaturaliter conſervata.

1370. Chriſtus dixit: Venient dies, in quibus dicent; beatæ ſteriles, quæ non genuerunt. Hæc verba tunc non intelligebantur à mulieribus; ſenſus autem erat hic; venient dies, id eſt, dies extremi judicii -

1371. Tunc Summi Sacerdotes, Phariſæi, eorumque adjutores ſtatuerunt adducere hominem, qui juvaret JESUM portare crucem.

1372. B. V. ad me dixit: Omnes meæ tibi traditæ doctrinæ eò tendunt, ut in te extinguatur omnis affectus ac propenſio ad ullam creaturam. 1374. Sit tibi univerſalis regula, quod omne humanum ſolatium ſit imperfectio; & quod ſolum illud ſolatium admittere debeas, quod tibi immittitur à Deo, vel ab angelo.

1375. Mons Calvarius erat locus fœtidus, & ſordidus, fœtens ob multitudinem cadaverum.

1377. B. Virgo videns, quod carnifices vellent Chriſto præbere vinum myrrhatum, felle mixtum ad augendos ejus dolores, rogavit filium, ut non biberet; quod & factum.

1378. Erat jam ſexta hora, quæ coincidit cum meridie. Tunc exuerunt eum toga inconſutuli ſupra caput; & cum toga ſimul avulſerunt à capite coronam ſpineam, quo renovata ſunt vulnera capitis, & in aliquibus eorum ſpinæ præ duritie fractæ & abruptæ ſunt. Quando carnifices viderunt avulſam à capite coronam ſpineam, eam de novo appreſſerunt capiti. Per exutionem togæ renovata fuerunt vulnera corporis, quia erat agglutinata. Quater autem Chriſtus in paſſione fuit exutus & indutus. Primò in flagellatione. Secundò in coronatione, ubi circumdatus purpurâ. Tertiò in exutione illius purpuræ. Quartò in crucifixione. Ultima autem exutio erat doloroſiſſima, quia in Calvario monte tunc ſpirabat ventus frigidus.

1379. Non potuit à Chriſto tolli Semicinctium, id non permiſit ob preces B. Virginis, quæ ſic eum rogabat, ne id in ſe permitteret. Crux jacebat in terra, & cruces latronum.

1380. Dum à Carnificibus omnia pararentur ad crucifixionum, Chriſtus ſic precabatur ad Patrem: Offero tibi mea opera - offero tibi etiam opera & dolores meæ matris. - Offero tibi etiam ſanctam Eccleſiam, collectionem fidelium, quæ nunc eſt, & erit. -

1381. B. Virgo in ſuo corpore ſenſit dolores, quos Chriſtus pertulit intus in animo, & extra in corpore, & ſic poſſumus dicere, quod & ipſa fuerit flagellata, & ſpinis coronata, & illuſa, & percuſſa, & crucis onere gravata, & crucifixa. Nam omnia hæc & alia tormenta ſenſit, diverſo quidem modo, ſimilitudine tamen ſumma, ut in omnibus eſſet perfectiſſimum Ectypon ſui filii. Iſtud ſic fieri debuit etiam ex hac ratione, quia pertinet ad dignitatem Paſſionis Dominicæ, ut exprimeretur in aliqua pura creatura, inquantum illa paſſio erat ſatisfactoria. Nulla autem alia creatura ad hoc tantum juris habuit, ut B. Virgo.

1383. Poſtquam in Cruce erant excavata tria foramina, juſſerunt Carnifices bis Chriſto, ut procumberet in crucem, & ſe pro crucifixione extenderet.

1384. Tunc arripuerunt carnifices unam manum, eamque perforarunt craſſo & obtuſo clavo, ex quo venæ cum nervis diſruptæ, oſſa autem à ſuo ordine emotæ ſunt. Pro altera manu foramen erat nimis remotum; itaque carnifices ſumpſerunt eandem catenam ferream, qua Chriſtus hucusque ex Oliveto erat ligatus, eâque violenter manum usque ad alteram manum pertrahunt. Dein imponunt unum pedem alteri, ac utrumque eadem catenâ usque ad foramen pertrahunt, ubi adhuc craſſiori clavo affiguntur. Ob violentam eam extenſionem omnia oſſa ex ſuo naturali loco emota ſunt, ſic ut potuerint numerari. Os pectorale, & Scapulæ ex ſuis quoque juncturis emotæ ſunt.

1386.

Digitized by Google

1386. Ut clavi poſſent incurvari, carnifices inverterunt crucem, ſic ut corpus Chriſti jacuerit ſub cruce in terra. Ob hanc crudelitatem exortus clamor in populo. B. Virgo oravit Patrem cœleſtem, ut per angelos hoc impediret, qui ſtatim juſſit angelis, ut ſupponant ſuas manus, ne facies Chriſti læderetur à ſaxis & ſordibus ibi jacentibus. Carnifices & Judæi non agnoverunt hoc miraculum, ſed crediderunt, Chriſtum jacuiſſe in terra.

1387. Revelatum mihi quoque eſt, quod carnifices ſuſtulerint in altum crucem lanceis & haſtis. Hæc arma ſuppoſuerunt brachiis Chriſti, ut ſic elevaretur crux; quo factum, ut ea arma penetraverint in carnem Chriſti. Ex conſolidatione crucis in fovea nova cauſabantur vulnera.

1388. Summi Sacerdotes & Phariſæi jaciebant lapides & lutum contra Chriſtum. Ab initio etiam illi illuſerunt ambo latrones.

1389. Cum B. Virgo cerneret ſic illudi Chriſtum, provoluta eſt coram crucifixo in genua, & pro Zelo rogavit cœleſtem Patrem, ut perfidia Judæorum confunderetur. Dein ſe convertit ad irrationales creaturas, ac dixit: *O vos inſenſibiles creaturæ monſtrate aliquem ſenſum doloris, quem de morte veſtri creatoris recuſant rationales homines. Vos cœli, ſol, luna, ſtellæ, planetæ retinete veſtrum curſum, & denegate hominibus veſtrum influxum. Vos elementa mutate veſtras qualitates, & ipſa terra ſeponat quietem; diſſiliant rupes. Vos ſepulchra & ſarculi aperite veſtros ſinus ad confundendos viventes. Tu o velum Templi ſcindere in duas partes, & tua ſciſſione nuntia punitionem incredulis; teſtifica de veritate quam ipſi de gloria creatoris ac redemptoris ſui conantur obſcurare.*

1390. Ob has preces & mandatum B. Virginis Deus ea fecit, quæ ſequuntur. Propterea enim multi converſi ſunt. Ob has preces B. V. inſpiratum fuit Pilato, ut non mutaret titulum. Omnes inſenſibiles creaturæ paruerunt mandato B. Virginis. Ab hora

ra

ra ſexta usque ad nonam id eſt, à meridie usque ad Horam Tertiam pomeridianam, ſecuta ſunt ea, quæ narrantur ab Evangeliſtis. Sol occultavit ſuam lucem. Planetæ mutarunt ſuum influxum; Luna & ſtellæ mutarunt ſuum curſum. Elementa confundebantur. Terra tremuit. Multi montes ſciſſi ſunt. Multa ſepulchra aperta ſunt, ut aliqui mortui ex iis poſſent aſcendere. Hanc perturbationem omnium ſenſibilium ac elementarium ſenſit totus mundus.

1391. Milites ſortiebantur de veſtimentis JESU. Pallium, ſeu exterior toga, quod Chriſtus ad lotionem pedum in Cœna depoſuit, divina permiſſione in montem Calvarium adductum eſt. Hoc milites diviſerunt in quatuor partes.

1392. Unus latronum duorum, nomine Diſmas, quia ſimul operabatur interceſſio B. Virginis converſus eſt. Primum Verbum Chriſti in Cruce erat; *Pater, ignoſce illis.* Secundum. *Hodie mecum eris.* &c. Tertium. *Mulier, Ecce filius tuus.* &c. Quartum. *Deus, Deus meus.* &c. Quintum. *Sitio.* Sextum. *Conſummatum eſt.* Septimum. *In manus tuas* &c.

1396. Quando Chriſtus clamavit, *ſitio*, Judæi obtulerunt in haſta ſpongiam intinctam in fele & aceto. Chriſtus parum guſtavit. Dein verò ſpongiam dimiſit ita petente B. Virgine; quia ipſa erat futura mediatrix & porta pro illis, quibus profutura erat paſſio Chriſti.

1397. Quando Chriſtus pronuntiavit ultima verba; *In manus tuas commendo ſpiritum meum*, cum ultima litterula emiſit ſpiritum. Tunc Lucifer cum tota ſua cohorte in infernum præcipitatus & ibi ligatus eſt. B. Virgo, tanquam coadjutrix paſſionis, ſenſit omnes dolores, quos Chriſtus in momento ſuæ mortis pasſus eſt. Quod autem tunc non mortua fuerit, id contigit propterea, quia in inſtanti, quo mors ſequi debuerat, miraculosè ſervata eſt. Et hoc miraculum majus fuit, quam priora miracula,

—, quibus durante paſſione conſervata fuit. Omnia autem, quæ paſſi ſunt ſancti Martyres, & alii extremo ſupplicio affecti ab initio mundi, non æquant ea, quæ B. Virgo paſſa eſt in paſſione Domini.

1400. Sola Maria intellexit teſtamentum Chriſti in Cruce, quia erat Hæres ex aſſe, & Domina omnium creatorum. Et ſicut fuit coadjutrix redemptionis, ita etiam fuit executrix teſtamenti; in illius manus omnia repoſuit filius, ſicut Pater omnia dedit in manus filii. Per illius ergo manus debuit executioni mandari ultima voluntas Chriſti, & ab ea diſpenſari debuerunt omnes theſauri filio debiti. Hoc ita mihi fuit revelatum tanquam pars hujus Hiſtoriæ, ut peccatores ad eam confugiant, tanquam ad gazophylacium, in quo omnes theſauri repoſiti ſunt; quia omnia noſtra auxilia à Maria debent ponderari, & per ejus manes liberales ac maternas diſtribui.

1401. Antequam Chriſtus in Cruce pronuntiavit ſeptem Verba, locutus eſt ad Patrem, & condidit Hoc Teſtamentum: - Cùm jam à primo momento meæ Conceptionis mihi contuleris commune dominium in omnes creaturas tam in ordine gratiæ, quàm naturæ - & quia me feciſti regem cœli, elementorum, ſolis, lunæ, & ſtellarum, & ignis, & aëris, terræ, aquarum & fluctuum - Primò volo, ut mea mater ſit mea unica & generalis hæres omnium meorum bonorum naturæ, gratiæ, & gloriæ, ut ea illimitato dominio poſſideat, ut Domina. Ipſi transſcribo omnia, quæ ut pura creatura de bonis gratiæ recipere poteſt. Volo, ut omnes angeli & homines jure proprietatis ad eam pertineant, ſic ut de iis tanquam actualis Domina diſponere poſſit, & illi omnes ipſi ſint obedientes ac ſubditi. Similem obedientiam ipſi exhibeant omnes irrationales creaturæ, cœli, planetæ, & elementa cum omnibus volucribus, piſcibus - pariter volo, ut ipſa ſit gubernatrix & diſpenſatrix omnium bonorum, quæ continentur in cœlo & in terra. Quidquid ipſa in Eccleſia circa homines ordinaverit, confirmabitur

tur in cœlo à divina Trinitate, & quidquid nunc aut in futurum pro hominibus petierit, juxta ejus voluntatem & ordinationem concedetur. - Angelis ſit ſupremum cœlum pro habitatione; econtra exigo, ut meam matrem pro ſua Regina agnoſcant. - Pro dœmonibus aſſigno locum à noſtro throno remotiſſimum. - Ex hominibus aliquos eligo juſtos; hos poſt meam matrem nomino in hæredes omnium mearum promiſſionum, myſteriorum, benedictionum, theſaurorum Sacramentorum, virtutum, crucis - hæc ſit eorum pars & hæreditas in hac vita. - Volo etiam ut hos electos conſervent cœli, planetæ, & ſtellæ ſuis influxibus; & ut eos nutriant terra, elementa, & irrationalia animalia, & ut ipſorum benedictio ſit in rore cœli, & in pinguedine terræ. - Impios condemno ad æternum carcerem & ignem infernalem - Hoc eſt meum judicium, Chariſſime Pater, quod fero tanquam judex & caput angelorum & hominum, & hoc eſt meum Teſtamentum, & ultima voluntas. - Hucusque locutus eſt Chriſtus in cruce cum Patre; & hoc myſterium tanquam clauſum Teſtamentum fuit repoſitum in corde B. Virginis, ut ſuo tempore per ejus interceſſionem daretur executioni in Eccleſia. 1404. 1405. 1406. 1407. 1408.

1414. Quando Chriſtus in humeros accepit crucem, ſentiebant dœmones contra ſe aliquam majorem vim. Ideo nolebant amplius Judæis & carnificibus conferre auxilium, ſed volebant fugere. Sed ex mandato B. Virginis debuerunt Chriſtum ſequi usque in montem Calvarium. Extremum catenæ, qua eos Deus alligaverat, erat in manibus B. Virginis. Tentabant quidem ſæpius fugam, ſed B. Virgo eos ſemper retinuit, eosque coegit, ut circa crucem jacerent immobiles usque ad exitum - ibi volutabantur ſupra ſe invicem, ut formicæ in acervo, aut ſicut viperæ.

1416. Quando Chriſtus pronuntiavit hæc verba: *Pater, ignoſce illis*, agnoſcebant ex his verbis, eum eſſe filium naturalem Dei. Tunc Lucifer voluit ſe præcipitare in infernum totis viribus, ſed

ſed fuit impeditus à B. Virgine. - Eodem modo contigit circa ſecundum Chriſti Verbum. - 1421. Completo ultimo Verbo B. Virgo ſimul accedente voluntate Filii præcepit Lucifero & ejus cohorti, ut ſe præcipitarent in inferno, quod executi ſtatim inſtar fulminis.

1422. Chriſtus deviĉto Diabolo dedit poteſtatem Morti, ut poſſet propius accedere; inclinavit proin caput, & per hunc conſenſum vicit ipſam Mortem, quæ, ſicut Diabolus, vidit ſe deceptam.

1423. Caput Luciferi fuit conquaſſatum à pedibus Chriſti & B. Virginis, qui illud in monte Calvario ſua paſſione & poteſtate conquaſſarunt; Et quia cecidit usque ad centrum terræ, nempe ad intimum locum inferni, dicitur in Scriptura; *Menſus eſt terram.* Reliqua omnia quæ continentur in Cantico Habacuc, pertinent ad Triumphum Chriſti, & progreſſum Eccleſiæ. Omnes homines ſciant, Luciferum morte Chriſti fuiſſe ligatum, & conquaſſatum, ac infirmatum ad tentandos homines, niſi ipſimet ſuo peccato, & propria voluntate eum ſolvant.

1425. Quamprimum Lucifer obtinuit iterum licentiam, emergendi ex inferno, ac ſe erigendi, ſtatim convocavit dœmones omnes, eosque ſic allocutus eſt: Vobis omnibus, qui juſtam meam cauſam agnoſcitis, notum eſt, qualia mihi iſte homo & Deus nova intulerit gravamina ſua morte. - Semper me Deus cruciavit per hanc fœminam (B. V.); ab ea hora, qua illam vidimus in Signo, dum eramus in cœlo - Eja, Eja, mei dœmones, nunc eſt tempus -

1429. Faĉta deliberatione diſtributa ſunt dœmonibus ſua officia ad conſervandam idololatriam & diſſeminandas hæreſes. Tunc à dœmonibus fabricatæ fuerunt ſeĉtæ Machometis, Arrii, Pelagii, Neſtorii -

Digitized by Google

1431. Lucifer dœmonibus varia proponentibus conſilia reſpondit: Veſtris conſiliis, quæ omnia recipio, valde me obligatum profiteor. -

1432. Hoc Concilium dœmonum duravit ferme per integrum annum poſt mortem Chriſti. - Rogo eos, qui hoc lecturi ſunt, ne obliviſcantur hujus periculi ex machinationibus dœmonum.

1433. B. V. ad me dixit: Scias, Luciferum contra te machinari gravia mala, eò quod detexeris ejus conſilia.

1434. Primi Chriſtiani erant ferventiores, quia erant paſſioni Chriſti viciniores, & quia vivacius obverſabatur memoriæ ejus exemplum; & quia dœmones erant debiliores, eò quod tunc vires recenter fractas nondum recollegerint.

1436. B. Virgo etiam poſt mortem Chriſti ſtetit acclinata cruci. Ibi alloquebatur angelos dicens: Scitis, quod non ſit dolor, ſicut dolor meus. Dicite, ubi & quomodo ſepeliemus corpus dilecti? -

1437. Angeli reſponderunt: Fundendum adhuc eſt illud parum ſanguinis, quod in eo eſt - B. Virgo timebat proin; quia nondum ſciebat, aperiendum eſſe ejus latus.

1438. Longinus aperuit latus. 1439. Et hoc vulnus B. Virgo ſenſit, ac ſi per ejus cor lancea transacta fuiſſet. Tunc dixit ad Longinum: *Deus te reſpiciat ſua miſericordiâ, ob pœnam, quam animæ meæ intuliſti.* Ob has preces ſuæ matris Chriſtus ordinavit, ut aliquot guttæ è ſuo latere delaberentur in faciem Longini, per quod ſtatim obtinuit clarum viſum, qui prius erat valde debilis.

1440. B. Virgo meditabatur quinque fontium ex vulneribus Chriſti analogiam cum fontibus Paradiſi, qui ſe diffundebant in omnes quatuor partes terræ.

1442.

Digitized by Google

1442. Poſt hanc orationem B. Virginis, qua petiit à Deo gratiam ſepeliendi filium, venit turma cum ſcalis; hujus autem cum ipſa neſciret intentionem, turbata eſt. - Reſpondit Joannes. Sunt Joſeph, & Nicodemus, amici tui Filii.

1444. Joſeph & Nicodemus coram B. V. aliquamdiu non poterant loqui præ dolore, ſed clamabant & lamentabantur. Tunc B. Virgo eos erexit à terra, & illis promiſit compenſationem ſervitii nomine Dei. Illi dein applicuerunt ſcalam.

1445. Deponentes Chriſtum ab ejus capite avellunt coronam ſpineam; eamque conſignant B. Virgini in manus. Ipſa verò eam recipit flexis genibus, eam adorat, apprimit facici, & accipit ab ea aliquot vulnera. Rogavit tunc Deum Patrem, ut illa corona à fidelibus in debita veneratione haberetur.

1446. Idem obſervatum circa clavos, quos cum circumſtantibus adoravit. Ut reciperet corpus filii, provoluta eſt in genua, & expandit in brachia linteamina eò deſtinata. Poſuerunt ergo corpus in brachia matris; id ipſa adorat, & fundit ſimul ſanguineas lachrimas.

1447. Dum corpus Chriſti à circumſtantibus adoratur in ejus brachiis, ipſa interea loquitur cum Deo, cum filio, cum angelis, cum toto genere humano. Non me detinebo in recenſendis his ejus ſermonibus.

1448. Cum autem jam ſera Veſpera proceſſiſſet, inunctum eſt corpus Chriſti illis pretioſis unguentis, quæ attulerat Nicodemus, & omnes centum libræ ad hoc inſumptæ ſunt. Sic inunctum corpus fuit depoſitum in feretrum, ut poſſit portari ad Sepulchrum. Tunc B. Virgo è cœlo ad Sepulturam convocat multos choros angelorum, qui ſtatim comparent. Dein inſtituitur Proceſſio angelorum, & hominum. Corpus portatur à S. Joanne, Joſepho, Nicodemo, & Longino. Venerunt etiam multi fideles ad ſepulturam, qui omnes adorarunt Corpus.

Digitized by Google

1449. Clauſo ſepulchro Domini ſimul eodem tempore clauſa fuerunt alia ſepulchra, quæ aperta fuerant in Chriſti morte. Nam quaſi exſpectabant ſortem, ut ipſis obtingeret receptio corporis Chriſti. Multi angeli cuſtodierunt Sepulchrum, prout eis præceperat eorum regina; Hæc dein adoravit cum præſentibus Crucem, & quia jam ſol occiderat, in Cœnaculum cum Mariis, & aliis quibusdam mulieribus rediit.

1450. Judæi ſequenti Sabbato primo mane accedunt ad Pilatum, & petunt, cuſtodiri ſepulchrum. Pilatus ſtatim conceſſit cuſtodiam militum. Per hoc ſummi Sacerdotes tantum quærebant rem turbare, ut dein patuit per corruptionem militum.

1453. B. V. ad me dixit: Multi compuncti ſunt ad pœnitentiam; & quamvis hæc omnia effectus fuerint mortis mei filii; ipſa tamen ad hæc juvi meis precibus.

1457. Sabbato mane hora quarta B. Virgo præcepit Joanni, ut in civitate inquireret Petrum, & alios apoſtolos, ipſisque offerret ſpem veniæ, & ſuæ amicitiæ. - Petrus dein coram B. Virgine provolutus in terram dixit: *Peccavi* - . 1458. B. Virgo autem coram ipſo tanquam Vicario Chriſti pariter provoluta dixit; *precemur filium.* -

1459. Dicam nunc, quæ mihi fuerunt revelata de limbo Patrum. Dico proin, quod Globus terræ in Diametro numeret 2502. milliaria; conſequenter à ſuperficie usque ad centrum terræ ſunt 1251. milliaria. In medio terræ eſt infernus. Eſt autem infernus obſcura crypta, diviſa in plures alias cryptas. Inter has eſt una in forma hydriæ, in qua concluſi ſunt dœmones.

1460. Ex uno latere inferni eſt purgatorium, multo anguſtius inferno. Animæ purgatorii non participant de pœnis inferni. Ex altero latere inferni datur Limbus, in duas partes diviſus. Una pars continet Infantes non baptizatos. Altera animas juſtorum V. T. Poſt extremum judicium Infantes non baptizati transferentur in alium locum.

1461.

Digitized by Google

1461. In Limbum Chriſtus deſcendit comitantibus angelis. Hi præceperunt portis, ut ſe aperirent, quia intraturus eſſet Rex gloriæ, & Dominus virtutum, potens. Vi hujus præcepti diſruptæ ſunt ab invicem aliquot fruſta Limbi, quamvis id non fuiſſet neceſſarium pro tranſitu animæ Chriſti. Limbus tunc mutabatur in cœlum, ita ut animæ habuerint tunc viſionem claram intuitivam Dei. Omnes dicebant: *Dignus eſt Agnus accipere divinitatem, & virtutem - .* Tunc Chriſtus angelis præcepit, ut ad ſe adducerent etiam animas purgatorii; & ſtatim fuit evacuatum purgatorium.

1462. Quando dœmones in inferno audierunt vocem angelorum deducentium Chriſtum in limbum, occultarunt ſe in abditiſſimas cryptas. Tunc concluſerunt etiam, quod vellent acrius cruciare credentes in Chriſtum, ſi aliquando damnarentur.

1463. B. Virgo hæc omnia cognoſcens fecit Cantica de Triumpho Chriſti.

1466. Anima Chriſti manſit in Limbo à media quarta Paraſceves usque ad horam tertiam Dominicæ matutinam, qua ſurrexit. Tunc reverſa eſt ad corpus, ubi erant etiam illi angeli, qui ex mandato B. Virginis collegerant guttas ſanguinis, fruſtula carnis, & capillos Chriſti. Patribus Limbi, inter quos etiam Adam & Eva, fuit oſtenſum dilaniatum Corpus Chriſti.

1467. Dein in eorum conſpectu ab angelis Corpori reſtituuntur avulſæ partes.

1468. Inter eo tempore reſuſcitatos erant etiam S. Anna, S. Joſeph, S. Joachim.

1471. Quando Chriſtus primò apparuit B. Virgini, habuit claram viſionem Dei per aliquot horas. Ad finem verò hujus elevationis reclinabat in brachio ſiniſtro humanitatis Chriſti. Ut enim erat ſocia paſſionum Chriſti, ita erat & gloriæ.
1472.

1473.

1473. Tunc B. Virgo locuta fuit cum Joachim, Anna, Baptiſta, Adamo & Eva. &c. qui omnes eam agnoverunt ut coadjutricem redemptionis. Tunc juſſit angelis, ut Victori canerent nova cantica.

1474. B. Virgo ad me dixit: Dona animæ beatæ ſunt viſio, poſſeſſio, & fruitio. 1475. Ad omnia hæc dona per quodlibet opus meritorium accreſcit augmentum. Quolibet opere meritorio meretur homo majorem claritatem, quàm multi ſoles dare poſſunt. Quoad viſionem obtinetur major agnitio Dei; quoad poſſeſſionem major ſecuritas, quoad fruitionem major amor.

1477. B. Virgo poſt Reſurrectionem per 40. dies non exivit è Cœnaculo; & Chriſtus toto eo tempore, quando non apparuit aliis, ibi cum ipſa manſit.

1478. Die Sabbati ad Veſperam Maria Magdalena & Maria Jacobi, & aliæ mulieres exierunt è Cœnaculo in civitatem, & ibi emerunt aromata de novo, ut altero die mane poſſent corpus Chriſti adorare & ungere. Die Dominico mane ante ortum auroræ exeunt, & in via tantùm ſollicitæ erant de revolvendo lapide, quia ignorabant, conſtitutam fuiſſe à Pilato cuſtodiam. Quando exierunt domo, erat adhuc nox, & quando venerunt ad Sepulchrum, jam ortus fuerat ſol, quia hoc die ſol tribus horis maturius ortus eſt, ut compenſaret obſcurationem trihorariam factam in morte Chriſti.

1479. Cum mulieres deliberarent de revolvendo lapide quadro ab oſtio cryptæ, factus eſt terræ motus; & angelus revolvit lapidem, quamvis tunc corpus Domini non fuerit amplius præſens.

1480. Mulieres ſic admonitæ ab angelis duobus ſedentibus ad monumentum, ſtatim reverſæ ſunt ex Sepulchro, quo intraverant, & nuntiaverunt reſurrectionem undecim diſcipulis. Interea, dum mulieres hoc nuntiant apoſtolis, milites iterum recuperato animo luſtrant Sepulchrum, & non reperto corpore omnia nuntiant ſummis Sacerdotibus.

1481.

Digitized by Google

1481. Mulieres denuo cum Petro & Joanne redeunt ad monumentum. Sola Magdalena iterum intrat; & angelus illi dicit: Mulier quid ploras? Dein exiit è Sepulchro, & Chriſtus illi apparuit in ſpecie hortulani.

1483. Emaus diſtabat Jeroſolyma quatuor milliaribus Palæſtinis, id eſt, ferme duobus Hiſpanicis. Unus diſcipulorum euntium in Emaus erat S. Lucas.

1488. S. Thomas apoſtolus octo diebus permanſit in incredulitate. 1489. Converſionem ſuam debet B. Virgini, quæ ſua interceſſione obtinuit, ut ei conferretur velox auxilium.

1492. Poſt apparitionem Chriſti ad mare Tiberiadis diſcipuli, præſertim S. Joannes, retulerunt B. Virgini omnia, quæ contigerant. Tunc angeli cecinerunt cantica, quæ ipſa compoſuerat.

1493. B. V. ad me dixit: Nunc reſpondebo tibi ad tuam petitionem, qua deſideras ſcire, cur meus filius apparuerit in ſpecie peregrini & hortulani?

1496. Chriſtus per illos quadraginta dies ſemper manſit in domo Cœnaculi cum B. Virgine, excepto eo tempore, quo apparuit aliis. Hi duo Domini mundi, Chriſtus & Maria, tempus illud impendebant in ſpiritualibus colloquiis. Quæ mihi eatenus manifeſtata fuerunt, explicari non poſſunt.

1497. Sancti, qui ex Limbo redempti fuerunt, cecinerunt cum B. Virgine laudem Dei; idque per modum Chori. Nam ſinguli verſus pronuntiabantur ab uno tantùm, reſpondente per alium verſum altero. Ipſa ordinavit, ut ab eo tempore in Eccleſia perpetuo caneretur laus Dei.

1498. Per eos quadraginta dies plura Cantica cantata fuerunt, quàm omnes Sancti & Prophetæ nobis reliquerunt. Qui intra eos quadraginta dies venerunt in Purgatorium, non ſenſerunt pœnam ſenſûs, & ob interceſſionem B. Virginis intra tres, quatuor, aut quinque dies à Purgatorio liberati fuerunt. Nam ipſa ſuo

amore & precibus pro illis ſatisfecit, & illis merita ſui filii pro earum ſatisfactione applicavit. Ob hoc fecit nova Cantica.

1499. Oravit etiam, ut promulgaretur Lex nova gratiæ in toto mundo, & ut paſſionis fructus omnibus applicaretur.

1500. Paucis diebus ante Aſcenſionem Domini apparuit illi Pater, & Spiritus Sanctus in aliquo glorioſo throno; Chriſtus ſtatim ſedit in eodem Throno. Dein tres Perſonæ juſſerunt, ut etiam B. Virgo in eo ſuo throno collocaretur. Sic ergo cum tribus Perſonis in eodem throno collocata eſt.

1501. Ibi Pater ad eam dixit: Tibi confido, trado, ac commendo Eccleſiam, quam filius meus fundavit, novam Legem gratiæ, quam docuit, & populum, quem redemit. Dein Spiritus Sanctus ad eam dixit: Communico tibi meam Sapientiam & gratiam, per quam in corde tuo repoſita manebunt myſteria, doctrina, opera, & omnes operationes factæ à Verbo. Filius denique dixit: Vado ad Patrem; loco mei te relinquo; & impono tibi curam meæ Eccleſiæ, cujus filios tanquam meos fratres tibi commendo eodem modo, ſicut eos mihi commiſit Pater. Dein Tres Perſonæ dixerunt ad angelos: Hæc eſt veſtra regina - quicunque illam ex corde invocaverit, non peribit; & quicunque ejus interceſſionem conſecutus fuerit, obtinebit vitam æternam. Omnia, quæ à nobis petierit, concedentur; & exaudiendo ejus preces ſemper exequemur ejus voluntatem. - Ex ea hora B. Virgo in ſe ſuſcepit curam Eccleſiæ. - Per hanc & alias gratias obtinuit tantam participationem de eſſentia ſui filii, ut id ſufficienter explicare non poſſim. Data enim illi eſt participatio proprietatum & perfectionum filii conveniens officio matris & magiſtræ Eccleſiæ. Elevata eſt ad novum eſſe poteſtatis & ſcientiæ, vi cujus illi nihil remanſit occultum nec de myſteriis divinis, nec de cogitationibus hominum. Scivit & agnovit, quando & quomodo uti debeat divina omnipotentia, cujus erat particeps, erga homines, dæmones,

nes, & alias creaturas. Ut verbô dicam: Maria omnia accepit in tota plenitudine, quorum pura creatura eſt particeps.

1502. Poſt illam apparitionem, quam S. Marcus refert, eodem die, nempe in die Aſcenſionis, apparuit in Cœnaculo centum viginti perſonis, ut S. Lucas narrat; & ut erant ipſi ad menſam, ſic & ipſe comedit cum ipſis.

1505. Ibi in Cœnaculo ſic eos allocutus eſt: Vado ad Patrem; relinquo autem vobis in auxilium, & advocatam meam matrem; cui in omnibus obediatis, & attendatis. Sicut dixi vobis: Qui videt me, videt & Patrem meum; & qui cognoſcit me, cognoſcit & Patrem meum; ita nunc dico vobis, qui novit Matrem, novit & me; qui illam audit, me audit; qui illi obedit, mihi obedit; qui illam offendit, me offendit; qui illam honorat, me honorat. Vos omnes, & qui credituri ſunt in poſterum, illam habeatis pro veſtra matre, pro veſtro capite, & Superioriſſa. Ipſa reſpondebit ad veſtra dubia; ipſa ſolvet veſtras difficultates; & in ipſa me reperietis, quoties me quæretis. Nam apud ipſam manebo usque ad finem mundi. - Petrum autem habebitis pro ſupremo capite meæ Eccleſiæ.

1508. B. V. ad me dixit: Scias, & hoc omnes homines memoriæ imprimant. Ego ipſa Evangeliſtis præcepi, ne alia de me ſcriberent, niſi neceſſaria ad fundandam Eccleſiam. - Tibi verò datum eſt hoc lumen propter miſerabilem ſtatum mundi præſentem, ut hoc mediô omnes per meam interceſſionem auxilium reperiant.

1510. Chriſtus cum 120 perſonis exiens in Olivetum à nullo alio hominum, niſi ab his, conſpectus eſt.

1511. In Oliveto omnes fideles interrogaverunt Chriſtum, an in tempore hoc reſtitueret regnum Iſrael?

1512. Quando Chriſtus aſcendit in cœlum, ſecum ſumpſit matrem, ut in cœlo caperet poſſeſſionem de loco ſuæ gloriæ. Ne tamen hoc adverteretur ab hominibus, remanſit ſimul in terra,

& rediit cum diſcipulis in Cœnaculum. Fuit ergo tunc ſimul in duobus locis, nempe in cœlo in throno ſui filii, & in Cœnaculo. Tribus diebus manſit in hoc ſtatu, & habuit etiam in terra perfectum uſum ſuarum virium, & ſenſuum.

1513. Omnes, qui hæc legerint, moneo, quod Deus me per multos annos inſtigaverit, & juſſerit, ut ſcriberem hanc hiſtoriam. Myſteria autem non ſimul ac ſemel cognovi, ſed ſucceſſivè, præſertim in feſtis Domini & B. Virginis. Hoc myſterium, quod ipſa cum filio ſimul aſcenderit in cœlum, & ſimul remanſerit in terra, aliquoties recurrente Feſto Aſcenſionis vidi.

1514. Quando prima vice hoc myſterium cognovi, magnum me moleſtabat dubium; nunc autem, dum hæc ſcribo, omne dubium evanuit, cum idem contigerit B. Virgini in infantia, & intra novem dies ante Incarnationem Verbi, ubi etiam fuit portata in cœlum.

1515. Univerſalis regula eſt, quod Deus B. Virgini nullam denegaverit gratiam pertinentem ad ejus gloriam & ſanctitatem, quam abſolutè potuit conferre infra gloriam & ſanctitatem humanitatis Chriſti.

1516. Quod autem Deus hæc mirabilia nunc in Eccleſia manifeſtet, ſunt variæ cauſæ; inter quas & hæc; quod Deus veritates ſoleat ſucceſſivè manifeſtare. Sic & angeli multas circumſtantias Incarnationis primùm cognoverunt poſt quinquies mille & ducentos annos. Hoc exemplo reſpondeo ad dubium, quod moveri poteſt circa deſcriptionem horum novorum myſteriorum.

1518. Aſcendente Chriſto cum ſua matre in cœlum Pater illis obviam deſcendit in nube, ad eos excipiendos.

1519. Angeli renovabant illa verba: Aperite portas Principes veſtras, & elevamini portæ æternales. &c.

1520. Pater in throno Deitatis ad ſuam dexteram collocavit Incarnatum Verbum.

1521.

1521. B. V. manſit quaſi in aditu throni. Sed venit vox Patris: Aſcende ſuperius. Tunc ſtatim omnibus ſanctis fuit publicatum Decretum SS. Trinitatis; quod ſedes B. Virginis in æternum debeat eſſe ad dexteram Filii.

1522. Vi hujus decreti B. Virgo collocata fuit in ipſo throno SS. Trinitatis ad dexteram Filii. Dein fuit ipſi data optio, an in hac ſede velit jam ſtabiliter ac æternum permanere; an verò velit redire in mundum. Sed ipſa voluit imitari filium, qui exinanitâ ſua gloria deſcendit in mundum; elegit proin redire in mundum pro bono fidelium, ac dixit: -

1523. Hæc oblatio ita placuit SS. Trinitati, ut ſtatim eam prœmiaverit viſione clara intuitiva Dei.

1524. Deus ipſi tunc confirmavit omnia dona decentia matrem & Magiſtram Eccleſiæ; eamque remiſit ſub titulo Dominæ omnium Creatorum, Advocatæ ac Dominatricis fidelium.

1525. Ipſa ergo fuit navis Inſtitoris, de cœlo portans panem Eccleſiæ. Quidquid poſt reditum egit, fuit beneficium pro Eccleſia. Filios infirmos primitivæ Eccleſiæ educavit, ac roboravit in viros perfectos, ut eſſent lapides angulares Eccleſiæ.

1526. Quando B. Virgo cum Chriſto aſcendit in cœlum, in nube precata eſt filium, ut conſoletur afflictos. Miſit proin duos angelos, qui dicerent: *Viri Galilæi.* -

1527. Erat imperfectio in apoſtolis, quod ſuſpexerint in cœlum, & voluerint Chriſtum videre oculis corporeis, quem poterant videre per fidem. Et ideo hæc eorum culpabilis imperfectio fuit per illa præfata verba tacitè reprehenſa.

PARS III.

1. B. Virgo non erat ſubjecta legi mortis, quia nunquam fuit infecta peccato originali.

 2. Si-

Digitized by Google

2. Sicut Pater miſit filium in mundum pro ejus redemptione; ita ſecunda vice tradidit Mariam, eamque miſit à throno gloriæ ſuæ ad plantandam Eccleſiam.

3. Poſtquam B. Virgo tribus integris diebus morata erat in cœlo, Deus ex omnibus Choris angelorum deſignavit angelos, inter quos multi ex Seraphinis propinquiſſimi Deitati, ut comitentur ſuam Reginam in terram. Tunc deducebatur à Seraphinis in nube, tanquam in curru. Splendor, quem ſecum è cœlo detulit, ſolùm viſus fuit à S. Joanne; aliis autem in Cœnaculo præſentibus fuit occultatus, donec radii ſenſim aliquatenus defecerant.

4. Quando venit in cœnaculum, ſtatim provoluta in genua obtulit Deo hanc liberam exſpoliationem ſuæ gloriæ dicens: - Pro filiis Eccleſiæ tuæ offero tibi hanc abdicationem tuæ gloriæ. Pro his offero hanc liberam electionem paſſionis, dum deſero tui fruitionem, & me privo viſione tui intuitiva -

6. Quamprimum S. Joannes B. Virginem in eo ſplendore vidit, ſtatim cecidit in terram retrorſum, prout ipſi contigit cum aliis duobus apoſtolis in monte Thabor. Reliqui autem apoſtoli ac fideles, qui aderant, atque pro more expanſis manibus orabant, hujus rei cauſam ignorabant.

10. S. Joannes Apoc. 21. deſcribit in ſenſu litterali deſcenſum ac reditum B. Virginis è cœlo. Ipſe fuit à Deo conſtitutus Secretarius myſteriorum B. Virginis; hinc etiam quaſi oculatus teſtis factus eſt ejus Aſcenſionis in cœlum, ac deſcenſionis.

11. B. Virgo retinuit S. Joannem, ne hoc myſterium ſuæ deſcenſionis è cœlo propalaret, quamdiu ipſa viveret.

12. Cur in primitiva Eccleſia Deus voluerit remanere occulta myſteria B. Virginis, ſervit, quod etiam voluerit Judæis occultum eſſe corpus & Sepulchrum Moyſis, prout multi Doctores & Sancti obſervant.

13. Gentiles habuiſſent tentationem, B. Virginem colendi pro Dea, ſi agnoviſſent ejus perfectiones. In probationem ſervit teſtimo-

[illegible] Dionyſii Areopagitæ, qui, licet fuerit philoſophus, adeoque naturam divinam bene cognoverit, teſtatus tamen eſt, ſe B. Virginem, ut primum illam vidit, habituram fuiſſe pro Dea, niſi fides eum aliud docuiſſet.

14. Quamvis hoc Caput vigeſimum primum Apocalipſis in prima Parte hujus Hiſtoriæ explicaverim de Immaculata Conceptione B. Virginis, prout tunc mihi fuerat revelatum; nunc tamen neceſſarium eſt, ut illud explicem de deſcenſu Mariæ è cœlo poſt Aſcenſionem Chriſti. Neque per hoc fit aliqua contradictio, quia ambo ſenſus ſunt Litterales. Non enim eſt dubium, Deum iiſdem verbis potuiſſe diverſa ſignificare, & nos ſub iiſdem verbis diverſa poſſe intelligere; ſicut David memorat (Pſ. 61. *Semel locutus eſt Deus, duo hæc audivi*) qui hæc verba ſine æquivocatione aut contradictione intellexit.

16. Ambo, Chriſtus & Maria, poteſtate regia ſumpſerunt poſſeſſionem cœli, ſui regni. Hoc regnum renovaverunt ſua præſentia, & novo gaudio, quod ejus antiquis poſſeſſoribus contulerunt, & filiis Adæ, quos eò deduxerunt. Quando Chriſtus & Maria in cœlum aſcenderunt, confregerunt ſerras, quibus cœlum per annos 5233 clauſum erat.

19. Chriſtus propter merita & interceſſionem B. Virginis poſt Aſcenſionem permanſit apud homines ſuâ gratia & ſuis beneficiis.

20. *Et mors ultra non erit, neque luctus.* Ipſa eſt, quæ luctum in gaudium, & mortem peccati in vitam convertit, dummodo hoc ab ipſa quæratur. Si peccatores citius confugiſſent ad hoc Sanctuarium, inveniſſent veniam, & miſericordiam.

21. *Et dixit, qui ſedebat in throno; Ecce nova facio omnia.* Poſtquam cœleſtis Pater tradidit hominibus filium, miſit illis etiam matrem, quæ excellenter renovavit omnia novis donis, & illa poteſtate diſtribuendi theſauros redemptionis, quos ejus filius cum ejus ſapientiſſimo conſenſu hominibus contulit. Propterea eam Eccleſiæ miſit de ſuo regio throno, renovatam imagine ſui Unigeniti,

obſi-

Digitized by Google

obſignatam proprietatibus divinitatis, & tanquam veram effigiem illius divini prototypi, quantum in pura creatura erat poſſibile, ut ex illa effigiaretur Sanctitas novæ Eccleſiæ.

22. *Et dixit mihi; factum eſt.* Quaſi diceret; Dedi filium, matrem totaliter ditavi pro ſolatio Eccleſiæ - omnia omnipotentiæ meæ poſſibilia, & bonitatem meam decentia jam executus ſum.

25. *Oſtendit mihi civitatem ſanctam Jeruſalem.* Vidi illam, quæ in ſe incluſit atque habitare fecit, quem non capit univerſum. In hac civitate ac templo poſuit Propitiatorium, in quo deſiderat quæri & obligari, ut ſe hominibus exhibere poſſit gratioſum ac liberalem.

27. *Habentem portas duodecim.* Quando è cœlo deſcendit, prædita fuit poteſtate, tutandi Eccleſiam cum Evangelio contra omnes viſibiles & inviſibiles hoſtes, ut ipſi libuerit. Quia ergo hæc civitas ſic fundata eſt, Deus per eam omnes homines, gentiles, Judæos, Barbaros ſine ulla exceptione ad ſui agnitionem ac beatitudinem vocavit, & ideo verſus omnes plagas tres in ea Portas aperuit.

28. *In ipſis fundamentis duodecim nomina.* Quando Maria ſedit in throno deitatis ad dexteram filii, Deus ipſi commendavit curam duodecim Apoſtolorum; quorum & nomina ejus cordi inſcripſit; poſſent iſta in ejus corde à nobis legi, ſi fieret nobis facultas hoc cor inſpiciendi. Et quamvis tunc ſolùm fuerint undecim Apoſtoli, jam tamen anticipatò inſcriptum fuit nomen Mathiæ loco Judæ. - Ipſa Apoſtolos docuit, & ſua divina potentia, cujus ipſa erat diſpenſatrix, ab omnibus periculis liberavit - nullius illorum obliviſcebatur, ſed habebat omnes ſibi ſemper præſentes - per illam obtinuerunt omnes gratias, à Deo illis communicatas.

29. Ipſa deſcendit de cœlo ad plantandam Eccleſiam.

31. Quia in hac civitate (Maria) Deus Sacramentaliter habitavit, ideo in ea non fuit aliud Templum, quàm Agnus.

33. Con-

Digitized by Google

33. Contra novum bellum Luciferi præparavit Deus vitam & interceſſionem B. Virginis, ut ſit aſylum peccatorum, & ut omnes per hanc rectam, ac ſecuram viam ambulare poſſint.

34. Si Reges ac Principes terræ ſuam potentiam impenderent pro exaltatione nominis JESU & Mariæ, certè ab hac ſtella polari feliciter dirigerentur in ſuo regimine; Ut verò hæc confidentia renovetur in Principibus Catholicis, ipſis manifeſto ac denuntio, quæ mihi per decurſum hujus Hiſtoriæ fuerunt revelata, nempe quod Deus Mariam in ſpecialem Patronam ac Tutricem horum Catholicorum regnorum conſtituerit, & in hoc beneficio collocaverit medium contra calamitates, quæ nunc premunt populum Chriſtianum.

35. Deus, qui non vult perire opus ſuum, nobis providit de interceſſione B. Virginis, ut haberet titulum nobis parcendi.

36. *Et portæ ejus non claudentur die; nec nocte.* Nulli, quantumvis maximo peccatori, Gentili, aut Infideli, qui ad illam confugerit, claudet portam ſuæ miſericordiæ. Sive veniat in nocte peccatorum, ſive in die gratiæ, quavis hora intromittetur, & auxilium inveniet - Non habemus excuſationem non confugiendi ad illam; nam quia eſt puriſſima, etiam nos puros efficiet. Ipſa habet claves ad Fontem Salvatoris, ex quo, juxta Iſaiam, haurimus aquas. Ipſius interceſſio impetrata noſtris precibus aperit ſuis clavibus, & mox proſiliunt aquæ, quibus lavamur, & in beatiſſimam Societatem Jeſu & Mariæ æternùm admittimur.

37. B. V. ad me dixit: Voluntas Dei eſt, ut nunc aperiatur mundo, quomodo ego è cœlo deſcenderim. S. Joannes in Capite vigeſimo primo Apocalipſis multa de me myſteria ſcripſit.

39. Maria fuit conſtituta in Magiſtram, Tutricem, & matrem Legis Evangelicæ, quæ ſub ejus protectione in mundum introducebatur. Cum ergo propterea Deus in illam impendiret totam poſſibilitatem ſuæ omnipotentiæ, nulla eſt ipſi deneganda gratia, quantumcunque magna, dummodo cum veritate Catholicæ Religionis conveniat.

Digitized by Google

40. Maria deſcendit è cœlo in Dominica poſt Aſcenſionem; perſeveravit tunc remiſſus ſplendor; ſed non fuit viſus niſi à Joanne, qui eo viſo retrò cecidit in terram. Triduo poſt deſcenſum habuit adhuc viſionem intuitivam Dei.

41. Dixi, Mariam triduo poſt Aſcenſionem fuiſſe corporaliter in cœlo. Hoc non contradicit Scripturæ, ubi dicitur: *Erant perſeverantes in oratione cum Maria matre JESU.* Act. 1. quia tunc B. Virgo fuit corporaliter in duobus locis, quamvis uſus virium & ſenſuum fuerit perfectior in cœlo. Revera fuit ab apoſtolis viſa, & ipſa perſeveravit cum illis in oratione; nam reſpiciebat ad eos è cœlo, & cum illis ſuam orationem conjungebat.

43. B. Virgo orabat, ut brevi inſtituerentur feſta de myſteriis; & ut mitterentur viri apoſtolici ad convertendum mundum. Tunc amor illius erat tam intenſus, ut ex eo naturaliter fuiſſet mortua. Sed Deus ipſi ſæpe miſit Seraphinum, qui ipſi panderet ordinem futurorum, ſicque eam conſolaretur.

45. Chriſtus eam inviſit in terra, & ſiniſtra ſuæ divinæ humanitatis cordi apprimit.

47. Tempore tridui, quo fuit in cœlo, miſit angelum è cœlo in cœnaculum ad Apoſtolos, ut eos conſolaretur, iiſque inſinuaret ſuam & ſui filii voluntatem.

48. Nolebat poſt reditum è cœlo loqui cum aliis Apoſtolis, niſi juſſu Petri & Joannis, tanquam Vicariorum Chriſti. - Explicabat proin Apoſtolis & fidelibus myſterium Trinitatis, & Unionis Hypoſtaticæ, & alia fidei dogmata.

50. Loquente B. Virgine ad Apoſtolos dicebant ad invicem: *Afficimur, ac incendimur ex ejus ſermonibus, ſicut dum Chriſtus loquebatur nobis.*

51. Chriſtus loquenti B. Virgini contulit vim ſuæ propriæ non abſimilem. Diverſitas erat, quod in Chriſto fuerit tanquam in fonte, in B. Virgine tanquam in canali, per quem beneficia Dei ad homines derivata fuerunt, & adhuc derivantur.

52. Om-

Digitized by Google

alium Apoſtolum deſignaret. Ipſi quidem notum erat, quis debeat ſuccedere, quia ejus nomen jam inſcriptum habebat in ſuo corde, voluit tamen hoc electionis munus relinquere Petro; ut inciperet agere perſonam Vicarii Chriſti.

54. Itaque ſcribuntur nomina Mathiæ, & Joſephi cognominati juſti, in duabus ſchedis, cum officio Apoſtolatus. Schedæ ponuntur in Vaſe; Schedam extrahit Petrus; & obtinet eam in qua ſcriptum: *Mathias Diſcipulus & Apoſtolus JESU CHRISTI.*

59. 60. Quando Chriſtus in cœlo à Patre petiit miſſionem Spiritus Sancti, idem petiit B. Virgo in terra.

62. Tunc viſione intuitiva immediata vidit Spiritum Sanctum, & Deitatem.

65. Fuerunt mirabiles effectus quos operatus eſt Spiritus Sanctus in ſui adventu Jeroſolimis. Nam, quando venit, omnes inimici Domini per fulgura & tonitrua terribilia vehementer conterriti ſunt, quilibet magis vel minus juxta proportionem ſuæ malitiæ. Præ cæteris pœnam ſenſibilius experti ſunt, qui fuerunt authores mortis Chriſti, & in ea majorem furorem commonſtrarunt; nam hi ceciderunt retrò in terram, & cervicem impegerunt, ſicque per tres circiter horas in terra jacuerunt. Illi, qui offenderunt Dominum, moriebantur repente, & in ſuo ſanguine ſuffocabantur, eò quod innocentiſſimum ſanguinem inaudita crudelitate fuderint. Ille, qui Domino inflixit alapam, cum anima & corpore in infernum abductus eſt. Reliqui Judæi, quamvis non ſtatim fuerint mortui, puniti tamen fuerunt acutiſſimis doloribus, & variis fœdis infirmitatibus, quæ eorum poſteritati in hunc usque diem inhærent. Hæc omnia erant notoria Jeroſolimis, quamvis Summi Sacerdotes & Scribæ conati fuerint, omnia tegere. Evangeliſtæ autem & Apoſtoli hæc omnia tanquam rem non adeo notabilem ſcribere neglexerunt; & perturbatio urbis, ac multitudo rerum ea omnia tandem oblivione ſepelivit.

 67. Si

67. Si Chriſtus è cœlo deſcendit propter ſponſam ſuam Eccleſiam, videbatur conſequens eſſe, ut etiam Spiritus Sanctus deſcenderet propter Mariam, quæ non minus erat ejus ſponſa, nec minus ab eo diligebatur, quàm à Chriſto Eccleſia.

70. 71. B. Virgo ad me dixit: Certa ſis, Deum tibi de novo offerre collationem donorum Spiritûs Sancti. Explicabo tibi illa. *Sapientia* dirigit cognitionem & guſtum rerum divinarum ad accendendum amorem. *Intellectus* profundius ingreditur in veritates aliunde cognitas &c.

73. Signis præfatis commota eſt univerſa civitas, & poſtquam rumor percrebuit de eo, quod ſupra domum apparuit Cœnaculi, ingens multitudo eò confluxit. Erat autem eo die unum ex feſtis Azymorum.

75. Apoſtoli loquebantur multitudini in lingua Syriaca, & tamen intelligebantur ab omnibus.

79. Aliqui, quamvis pauciſſimi, tunc converſi ſunt etiam ex iis, qui intererant paſſioni Chriſti.

80. B. Virgo è ſuo cubiculo in anteceſſum cognovit futurum eventum prædicationis. Cognovit cogitationes & corda auditorum. Oravit proſtrata in terram pro eorum converſione, & miſit tam apoſtolis, quàm eorum auditoribus, ut eos juvarent ſuis inſpirationibus.

81. S. Petrus duxit converſos ad B. Virginem dicens: Hæc eſt Mater Salvatoris ſine detrimento virginitatis; Eſt enim Virgo ante nativitatem, in nativitate, & poſt nativitatem.

83. Donum miraculorum collatum fuit etiam fœminis; nam & ipſæ tunc impoſitione manuum contulerunt ægris ſanitatem, cœcis viſum, mutis loquelam, claudis greſſum, mortuis vitam.

87. De miraculis, quæ B. Virgo operata eſt in primitiva Eccleſia, nec minima pars deſcribi poteſt. Nunquam ceſſavit operari in bonum Eccleſiæ, vel offerendo preces, quæ ſemper fuerunt exauditæ; vel effundendo gratias divinas, quarum ipſa fuit theſau-

Digitized by Google

theſauraria ac diſpenſatrix. Fuit mihi revelatum, quod illis annis, quibus ipſa vixit, pauci fuerint damnati; & quod plures tunc illis paucis annis fuerint ſalvati, quàm centum annis ſubſequentibus.

89. Omnes fideles diſtinctiſſimè in mente habuit, nec omiſit, pro unoquoque in particulari gratias agere, & orare.

91. Nullus fuit damnatus ex iis, quos ipſa inſtruxit, quamvis multi fuerint. Nam pro omnibus oravit, & omnes libro vitæ inſcripti fuerunt. Filium ſuum pro impetranda hac gratia hac oratione obſtrinxit: Deus meus, propter te in mundum redii. Cor meum non poteſt perferre, ut fructus tui ſanguinis in his pereat, qui meam interceſſionem implorant, aut ut infeliciter pereant. Fac, ut ſalvi fiant. Ad has preces ſtatim Dominus annuit. Credo, quod idem nunc iis obtingat, qui promerentur ejus interceſſionem. Si enim B. Virgo hujusmodi precibus accedit ad filium, quis credat, eum quidpiam poſſe denegare illi, à qua totam naturam accepit?

95. B. V. ad me dixit: Animæ filio meo conſtiterunt ſanguine; mihi verò multo labore.

98. Maria ſic precata eſt in illa viſione: Peto, ut Apoſtoli jam nunc incipiant conſecrare Carnem & Sanguinem mei filii.

99. Etiam hoc beneficium debet Eccleſia B. Virgini, quod ob ejus preces poſt Aſcenſionem conſecratum fuerit corpus Chriſti, & quod lecta fuerit prima Miſſa.

100. Petrus ordinavit, ut ii, qui in hebdomada Pentecoſtes fuerant converſi, die ſequenti, qui incidit in Dominicam Trinitatis, baptizentur. Ortum autem fuit dubium, an introducendus eſſet baptiſmus Joannis, an verò baptiſmus Chriſti? Aliqui ſtabant pro baptiſmo Joannis. Alii vero cenſebant, eſſe introducendum baptiſmum Chriſti. Hanc ſecundam opinionem tenuit etiam Joannes & Petrus, eaque fuit confirmata à B. Virgine. Hinc ſtatim concluſum fuit, ut introducatur baptiſmus Chriſti. 101.

103. 104. Petrus propoſuit etiam aliud dubium, quomodo adminiſtranda eſſent bona communia? 105. Diverſis diverſa opinantibus Maria dixit: Poſſunt quinque aut ſex probatæ virtutis ac ſanctitatis conſtitui, qui oblata recipiant -

108. Omnes receperunt hoc conſilium, bene agnoſcentes, eam eſſe magiſtram Eccleſiæ. Ipſa ſapienter nulli Apoſtolorum voluit confidere inſtructionem & fundationem perfectionis Evangelicæ, quia tam arduum opus requirebat inſtructionem Chriſti ipſius & ejus Matris. Hi ſunt authores & artifices paupertatis Evangelicæ; hos ambos Magiſtros Apoſtoli ſecuti ſunt. Hic modus paupertatis multis annis duravit; poſtmodum tantùm manſit in ſtatu Clericali; & dum etiam hìc difficilis, aut impoſſibilis facta eſt, renovata eſt ab Ordinibus Religioſis.

109. Itaque juxta conſilium B. Virginis ſex viri conſtituti ſunt pró adminiſtratione Eleemoſinæ.

110. Die octavo poſt Pentecoſten convenerunt omnes Fideles in Cœnaculo; ibi explicavit Petrus naturam baptiſmi, & quomodo imprimat characterem indelebilem; & explicavit etiam Euchariſtiam. 111. 112. Sic ergo baptizati ſunt omnes; & ſupra ſingulos deſcendit clarum aliquod ac viſibile lumen. Numerus eo die baptizatorum erat quinque millia.

112. Poſt baptiſmum Petrus celebrabat Miſſam: In momento, quo conſecrabat panem, totum Cœnaculum replebatur viſibili ſplendore cum innumerabili multitudine angelorum. Poſt conſecrationem vini elevabat calicem, ut ſacer Sanguis ab omnibus adoraretur. Dein communicabant omnes fideles.

113. B. Virgo poſt communionem rapta fuit in Ectaſin; ſed ab angelis ad ejus petitionem fuit aliquatenus obtecta, ne adverteretur, niſi in ordine ad aliquos effectus. Modus communicandi erat hic. Illæ centum viginti perſonæ, ſupra quos venerat Spiritus Sanctus, & B. Virgo, communicabant ſub utraque ſpecie; ſed reliqui fideles baptizati communicabant tantum ſub una ſpecie panis.

nis. Mihi revelatum fuit, quod illi, qui non conſecrabant, jam à tempore primitivæ Eccleſiæ cœperint communicare tantùm ſub una ſpecie panis; & quamvis aliqui adhuc aliquanto tempore continuaverint communicare ſub utraque ſpecie, licet non fuerint Sacerdotes; fuit tamen poſtea creſcente magis numero fidelium ac dilatata magis Eccleſia ordinatum, ut Laici communicent ſolùm ſub ſpecie panis.

115. B. V. ad me dixit: Deus mihi in cœlo contulit titulum Matris & Magiſtræ Eccleſiæ. Et ſicut beneficium in me operans fuit immenſum, ſæpius fuiſſem naturaliter mortua, niſi divina omnipotentia me miraculosè conſervaſſet. Plerumque deliquium paſſa ſum, quando oravi pro converſione peccatorum. Tunc graviores pœnas paſſa ſum, quàm Martyres in omnibus ſuis tormentis. Hæc omnia mihi debent homines, pro quibus toties meam vitam obtuli.

116. Eadem ad me dixit: Declarabo tibi aliquod myſterium. Quando prima vice ex manu Petri communicavi, cor meum reipſa ſe aperuit, ut in illud meus filius tanquam in ſuum thronum Sacramentaliter intrare poſſet.

117. Eadem dixit: In carne Chriſti continetur pars mei ſanguinis, & meæ ſubſtantiæ; perge proin in hac tua devotione, quâ veneraris eam partem carnis & ſanguinis in Hoſtia, quam filius meus ex me accepit.

118. B. Virgo è cœlo deſcendit ad regendam ſuam Eccleſiam.

119. 120. Dicam, quod mihi revelatum eſt; B. Virgo è cœlo deſcendit ad fundandam Eccleſiam.

121. Chriſtus ſemper manſit in corde Mariæ ab una communione ad alteram ſub Sacramentalibus ſpeciebus, quamdiu vixit ipſa in terris. Tunc litteraliter impletum eſt illud Canticorum: *Inveni quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam.*

122. Si Chriſtus non manſiſſet modo præfato conſtanter in corde Mariæ, non potuiſſet implere promiſſionem ſuam: *Ero vobiſcum usque ad conſummationem ſeculi.* Nam illis primis annis apoſto-

Digitized by Google

apoſtoli non habuerunt templum, aut locum, ubi Hoſtia potuiſſet conſtanter aſſervari. Tantùm Maria erat templum & tabernaculum, in quo per aliquot annos aſſervabatur SS. Sacramentum.

123. Mihi fuit revelatum, tantum fuiſſe amorem Chriſti ad B. Virginem, ut ſi non potuiſſet conſtanter habitare in ejus corde ſub ſpeciebus Euchariſticis, deſeruiſſet dexteram Patris, & habitasſet cum Matre in terris. Potius reliquiſſet ſocietatem cœleſtium civium cum cœlo, quàm ſocietatem matris.

124. Modus operandi hoc miraculum erat iſte: quando B. Virgo communicabat, Hoſtia in ſtomacho ſe non commiſcebat cum cibis, ſed retrograda ſeceſſit in cor.

125. Species Euchariſticæ in corde non alterabantur, ſed conſervabantur miraculosè.

127. 128. Poſtquam B. Virgo deſcendit de cœlo, ejus ſenſus erant alterati. Per odoratum ſenſit non odorem terreſtrem, ſed alium cœleſtem, qui ipſi ab angelis ingerebatur. Guſtus quoque ſubiit magnam mutationem. Potuiſſet enim vivere ſine cibo. Quando comedit, id tantum fecit ex obedientia, aut ne obſervaretur ſingularitas. Et tunc non percepit ſaporem communem, nec poterat cibos magis diſtinguere, quàm ſpiritus, aut corpus glorioſum, ſi comederet. Idem erat circa ſenſum tactus.

128. Hoc donum conſecuta eſt, ut poſſet virtutes perfectius operari. Itaque jam in ſtatu viæ habuit in ſuis ſenſibus participationem donorum convenientium corpori glorificato.

129. Nulla alia creatura potuiſſet ad eum gradum perfectionis ac ſanctitatis pervenire, in quo operata eſt B. Virgo. Angeli adoraverunt Chriſtum in ejus corde ſacramentaliter reſidentem.

130. Aliquoties vidit Chriſtum in ſuo corde ſecundum ejus humanitatem.

131. Chriſtus ſuæ matri nihil denegabit.

135. B. Virgo fuit in ſummo gradu gratiæ & ſanctitatis, qui puræ creaturæ eſt poſſibilis.

138.

138. B. Virgo vidit denuo ex orco aſcendere Luciferum cum ſua cohorte. Tunc gyravit per orbem ut omnia exploraret; dein ſe contulit Jeroſolymam, ut contra oves Chriſti ſæviret.

140. Tunc B. Virgo hæc videns ſe ad Luciferum convertit dicens: Ille, qui te in cruce vidit, te conterat & in orcum remittat; & ego ejus nomine hoc exequor. Dein oravit ad Deum, ut vim Luciferi cohiberet.

141. Virtute harum precum B. Virginis tanto timore corripiebatur, ut non fuerit auſus tentare ullum fidelium. Ideo acceſſit ad Scribas & Phariſæos ut eos incitaret contra Apoſtolos.

142. Petrus & Joannes venerunt à Concilio ad B. Virginem, cum qua ſe contulerunt ad orationem; & venit iteratò in eos Spiritus Sanctus inviſibili ſpecie.

143. Apoſtoli de novo à Judæis conjiciuntur in carcerem; ex quo tamen per B. Virginem liberati ſunt.

144. B. Virgo de novo ad Luciferum converſa ait: Præcipio tibi nomine & authoritate Dei, ut ſine mora te cum tua cohorte præcipites in infernum. 145. Paruit, & ſtatim cum ſua cohorte ſe præcipitavit in infernum.

146. Deus permiſit, ut Lucifer cum ſuis denuò rediret. Tunc tentavit Saphiram.

148. B. Virgo timens, ne plures ſeducerentur, de novo ſe convertit ad Luciferum, eumque præcipitavit iterum in infernum.

149. B. Virgo cognoſcens, Petrum eſſe in carcere, oravit ad Deum dicens - . Deus reſpondit: Fiat, quod petis; mitte tuos angelos, ut deleant opera Luciferi; apud te enim manet mea fortitudo. Tunc ſtatim miſit unum ex ſuis angelis ſupremæ Hierarchiæ ad Apoſtolos in carcerem, ut eos ſolvat à vinculis, & libertati reſtituat - Dein miſit B. Virgo alios angelos ad Judices, ac ſummos Sacerdotes, ut ab iis abigerent ſpiritum tentationis contra apoſtolos, ac potius inſpirarent ſalubres cogitationes, ne prohibe-

rent apoſtolos à prædicatione. Ex hoc ſecutum eſt, quod Gamaliel locutus fuerit in Concilio in favorem legis Chriſtianæ.

151. Hoc Gamalielis conſilium inſpiratum ipſi fuit per bonos angelos, & B. Virginem, & ob ejus interceſſionem ad Deum fuit etiam admiſſum à judicibus. B. Virgo convortabat apoſtolos dicens: Nunc eſtis veri diſcipuli veſtri Magiſtri, dum juvatis eum in ferenda cruce, & efficimini digni cooperatores, ut ſanguis ejus fructificet.

155. Creſcente Eccleſia crevit etiam cura ejus Magiſtræ. Non eſt poſſibile, ut in hac vita cognoſcamus omnia beneficia, quæ B. Virgo exhibuit toti corpori Eccleſiæ, & ſingulis ejus membris, præſertim apoſtolis, & diſcipulis. Nullus enim tranſiit dies, immo nulla hora, in qua non operata eſt circa illos unum aut plura miracula.

157. Dum apoſtoli ibant ad prædicandum, credidit Lucifer, ſe facilius illos poſſe adoriri, utpote ſeparatos à ſua Tutrice, & Magiſtra; quamvis enim ſanctitas apoſtolorum fuerit in eximio gradu, videbatur tamen Lucifero, eos inermes inveniendos ſine Maria. 158. Verùm ipſa providit etiam abſentibus; miſit enim illis ſuos angelos, ut eos conſolarentur, ac protegerent contra dœmones: aliquando hi angeli apparebant apoſtolis viſibiliter, iiſque nuntiabant, quæ B. Virgo illis commiſerat.

159. Omnium Fidelium in Palæſtina habuit curam, quorum omnium neceſſitates cognovit. Sanabat eorum morbos; ſi verò cognovit, ſanitatem iis non fore utilem, ſaltem eos conſolabatur. Abſentes juvabat per ſuos angelos; aut per preces.

160. Specialiter ſuccurrebat agonizantibus. Pro animabus Purgatorii perſolvebat ſuas preces, & alias ſatisfactiones. Illis animabus, pro quibus ejusmodi ſatisfactiones præſtitit, miſit ſuos angelos, ut eas liberarent. Non capio, quomodo eam gratiam denegare poſſit iis, qui in vita ſua ſe diſponunt ad promerendam B. Virginis præſentiam in hora mortis.

161.

161. Erat puella baptizata inter primos fideles, cui Lucifer apparuit in ſpecie alterius mulieris, dicens, ſe curaturum illius morbum, quo laborabat, dummodo negaret Chriſtum, & alienaret animum ab ejus matre. Verùm non recuperata ſanitate inviſitur ab uno ex Diſcipulis, cui tamen occludit aures. Eodem modo reſtitit etiam S. Joanni, qui circa puellam vidit turmam dœmonum. Hæc audiens B. Virgo provolvitur in terram, & orat pro ſalute illius puellæ. Verum Dominus non reſpondit ad has ejus preces. Igitur mittit ad obſtinatam unum ex ſuis angelis, ut ægram defenderet à dœmonibus. Verum angelus re infecta redux nuntiat, ſe nihil proficere. Igitur denuo proſtrata in terram orat pro ſalute puellæ. Verùm Dominus ne nunc quidem reſpondit ad has preces. Statuit proin, perſonaliter inviſere ægram. Verùm dum aliquot paſſus poſuit extra cubiculum, retinetur ab angelis. Cauſam petens obtinet ab angelis reſponſum; non decere, ut ipſa incederet pedibus per urbem; ſed Reginam ſuam à ſe portandam eſſe. Statim ergo collocant B. Virginem in nube ſplendida, eamque portant in cubiculum infirmæ. Eo momento inſtar fulguris diffugiunt dœmones. B. Virgo iis præcepit, ut ſe præcipitent in infernum, nec amplius redeant ſine licentia. Dein convertit puellam, atque effecit, ut iret ſine Purgatorio ad cœlum. Abeunti in cœlum dedit comites duodecim ex illis ſuis angelis, qui ad pectus geſtabant Symbolum Redemptionis, & in manibus Palmas & Cruces. Dein reportata fuit ab angelis in nube in ſuum Oratorium. Hoc miraculum Deus ordinavit, ut apoſtoli, & diſcipuli, & angeli, & dœmones agnoſcerent, B. Virgini nihil denegari eorum, quæ pro ſuis ſervis ac amatoribus petit; quia & iſta puella ob amorem, quem in corde erga B. V. fovit, non fuit excluſa ab auxilio. 168.

169. Poſt hoc miraculum fuit Lucifero licentia conceſſa iterum redeundi in mundum. 170. Pertrahit duos è fidelibus ad apoſtaſiam. 171. B. Virgo provoluta in terram pro iis orat, & pro iis fundit ſanguineas lachrimas.

Digitized by Google

172. Dominus illi reſpondit: Volo, ut in his duabus animabus, pro quibus oras, & in pluribus aliis, quæ Eccleſiæ meæ aggregabuntur, agnoſcas juſtiſſima judicia mea. Hæ duæ animæ poſſent plus damni inferre, quàm utilitatis, ſi inter fideles perſeverarent; hinc mea ſcientia agnoſcit eos eſſe reprobos. -

173. B. Virgo agnovit æquitatem hujus reſponſionis.

175. Tunc S. Joannes eam interrogavit, cur ſit tam triſtis, & cur habeat oculos ſanguine perfuſos - 176. Reſpondit; merito lugeo - O filii Adæ, quid cogitatis? -

179. Ad officium matris & magiſtræ Eccleſiæ neceſſarium erat, ut donaretur extraordinaria ſcientia; agnovit proin omnes fideles totius Eccleſiæ, eorum naturales propenſiones, virtutes, & merita; & res omnes totius Eccleſiæ.

187. B. Virgo ſæpe eripuit S. Stephanum à periculis. Ter ipſi miſit ſuum angelum; qui eum eripuit ex Judæis, & portavit in Cœnaculum ad B. Virginem.

188. Tanta erat ſanctitas S. Stephani, ut dœmones in notabili diſtantia non potuerint ad eam accedere.

189. Conſtituebantur ſex Diaconi, quorum erat adminiſtrare ac diſtribuere bona communitatis. Cum verò creſceret multitudo fidelium, neceſſarium erat, ut etiam conſtituerentur Diaconiſſæ, nempe profectæ ætatis viduæ, quæ curam gererent mulierum & ægrotorum. Quia autem ad hoc aſſumebantur tantum mulieres Hebrææ, murmurabant Græcæ.

190. Pro componenda hac controverſia Apoſtolicum Collegium convocavit fideles, ad eosque dixit: Non decet nos derelinquere verbum Dei - eligite vobis ſeptem viros, ad quos deferatis veſtra dubia, & controverſias. - Eligebantur ergo viri ſeptem, inter quos etiam erat S. Stephanus. His ſeptem viris ſubjecti erant ſex priores Diaconi, & viduæ Diaconiſſæ, & in harum numerum admittebantur etiam viduæ græcæ.

192.

Digitized by Google

192. Quamprimum B. Virgo cognovit captivitatem S. Stephani, ſtatim illi miſit ſuum angelum, ut eum animaret. Per eundem angelum illi reſpondit S. Stephanus.

193. B. Virgo genuflexa propoſuit Deo ſuum deſiderium asſiſtendi S. Stephano in extrema hora. Tunc Deus miſit e cœlo angelos, qui in nube ſplendida ſtatim portaverunt B. Virginem in Concilium, ubi S. Stephanus ſtabat coram ſuis judicibus. Quamvis autem à judicibus non fuerit viſa B. Virgo, ſed à ſolo S. Stephano; viſus tamen ab iis eſt ſplendor, qui ex B. Virgine reflectebatur in vultum S. Stephani.

195. Quando S. Stephanus cœpit educi ad locum, in quo eſſet lapidandus, B. Virgo data materna benedictione ei valedixit; angelis autem ſuis omnibus præcepit, ut S. Stephanum comitarentur ad Martyrium. Cum ipſa tunc manſit unicus angelus, qui eam cum angelis è cœlo ſubmiſſis reportavit in Cœnaculum.

197. Anima S. Stephani manibus angelorum portata eſt in locum gloriæ vicinum humanitati Chriſti. Ea B. Virgo vidit in ſpiritu; & propterea cantavit cum angelis Cantica.

198. S. Stephanus lapidatus fuit 26. Decembris, anno ætatis ſuæ 34. & anno 34 poſt Nativitatem Chriſti; natus fuit uno die poſt eandem Nativitatem. Preces B. Virginis & S. Stephani obtinuerunt etiam converſionem Sauli.

203. 204. Lucifer videns, quod B. Virgo adſtiterit S. Stephano, convocat dœmones, eosque ſic alloquitur: Totus ſum perturbatus - Ad arma, ad arma, o Socii, excitemus Judæos -

205. Tempore hujus perſecutionis 72 Diſcipuli fugerunt; apoſtoli tamen permanſerunt Jeroſolimis cum B. Virgine, quamvis occultè.

206. Lapidato S. Stephano B. Virgo juſſit eum ſepeliri, & ſibi apportari ejus crucem, quam more omnium fidelium ſecum habuerat. Nominavit eum etiam Sanctum, & juſſit exactè colligi ejus ſanguinem.

Digitized by Google

207. B. Virgini concredita fuerunt omnia opera divinæ omnipotentiæ ad extra. Superavit omnem vim ac potentiam creaturarum, reddita æqualis potentiæ ipſius Dei, cujus erat Ectypon. Nullum opus aut cogitatio hominum erat ipſi occultum; & cognoſcebat omnia conſilia dœmonum. Nihil eorum, quæ decebant fieri in Eccleſia, erat ipſi incognitum.

208. Tunc juſſit, ut Lucifer cum ſua cohorte ſe præcipitaret in orcum. Quod & factum. Exinde octo diebus manſerunt ligati in orco, usque dum obtinuerunt licentiam redeundi in mundum. Abſentibus Diſcipulis miſit ſuos angelos, ut per eos animarentur, & juvarentur; prout & contigit Philippo in itinere eunti Gazam. Juvit quoque per angelos animas in Purgatorium deſcendentes, & moribundos.

209. Ordinavit etiam Conventus ac Colloquia, in quibus deliberabatur de diſponendis negotiis. Dein ex ejus ordinatione apoſtoli egreſſi ſunt ad miſſiones, in ſpecie S. Petrus & S. Joannes Samariam.

210. Tunc B. Virgo innovavit in ſe participationem eſſentiæ Dei, ejusque perfectionum, quibus opus habuit ad perficienda opera divina, a ſe patrata in regimine Eccleſiæ.

211. 212. B. Virgo agnoſcens, neceſſarium eſſe Symbolum fidei pro conſervanda unitate doctrinæ, ad perficiendum hoc negotium jejunavit quadraginta diebus. Sicut enim Moyſes, mediator inter Deum & populum, & Chriſtus mediator inter Patrem & homines jejunârunt 40 diebus ante ſuſceptionem aut promulgationem Legis, ita decuit fieri in Maria mediatrice inter homines & ſuum filium.

213. Chriſtus è cœlo deſcendens B. Virgini dixit: - Tuis precibus nil denegabo.

215. Apoſtoli cum B. Virgine deliberant de condendo Symbolo, ſtatuerunt jejunare decem diebus & perſeverare in oratione.

217.

Digitized by Google

217. Poſtquam S. Petrus in omnium conceſſu fecerat propoſitionem, celebrat Miſſam, & cum Maria communicat apoſtolos. Dein perſeverabant omnes cum Maria proſtrati in terram in oratione. Et Ecce! ſubito auditur tonitru ac fragor, ut factum in die Pentecoſtes deſcendente Spiritu Sancto. Eo momento totum Cœnaculum impletum eſt ſplendore, & omnes repleti ſunt Spiritu Sancto. B. Virgo dein rogavit apoſtolos, ut quilibet condat unum articulum Symboli. Petrus incepit: *Credo in Deum Patrem* - .

218. Tunc audita eſt in cœnaculo vox Spiritus Sancti dicentis: *Bene concluſiſtis.* B. Virgo autem ſtatim ac primò loco omnium fidelium depoſuit coram Petro hanc profeſſionem fidei.

219. B. Virgo ad me dixit: Sæpius per diem genibus flexis conſuevi repetere Symbolum Apoſtolicum.

220. Quandoque etiam mei angeli cantabant hoc Symbolum; aut cantabant *Ave Maria* usque ad illa verba: *Benedictus fructus ventris tui.*

222. B. Virgo pro ſua familia, ſancta videlicet Eccleſia, regenda, vigilabat, ut mater. Quamprimum ab apoſtolis conditum fuit Symbolum, plurimas confecit ejus copias tam propriis manibus, quàm operâ ſuorum angelorum, quibus tanquam amanuenſibus uſa eſt. Has Copias direxit ad Diſcipulos hinc inde in Palæſtina prædicantes. Cuilibet eorum miſit plures Copias, ut diſtribuerentur fidelibus. In ſeparata autem Epiſtola illis monſtravit, quo modo fuerit conditum, ut id promulgarent fidelibus.

223. Diſcipulis magis remotis miſit eas Copias cum ſua Epiſtola per ſuos angelos. Hi nonnullis Diſcipulorum apparuerunt & collocuti ſunt; aliis autem tantùm inviſibiliter conſignarunt Copias cum Epiſtola B. Virginis.

224. Multi, qui hoc ſcriptum Symbolum receperunt cum ſingulari humilitate, receperunt ſimul Spiritum Sanctum viſibiliter. Quando imponebatur ægris, mortuis, ac obſeſſis, reſtituebatur ægris ſanitas, mortuis vita, & ab obſeſſis dœmones fugiebant. Contigit,

Digitized by Google

tigit, quod quidam Judæus, dum audiret Symbolum ab aliquo prælegi, voluerit illi ex manibus eripere Scriptum; ſed mortuus ad ejus pedes concidit.

226. Initio naſcentis Eccleſiæ merita paſſionis Dominicæ, & Interceſſiones B. Virginis, ut erant recentia, ſic operabantur efficacius in acceptione æterni patris, quia nondum obſtabant tam grandia peccata.

227. Jam annus poſt paſſionem Chriſti tranſierat, dum Apoſtoli ex inſpiratione divina tractant inter ſe de promulgatione Evangelii per mundum; ut verò agnoſcant voluntatem divinam, quam quisque adeat provinciam aut regnum, conſtituunt per decem dies jejunare.

229. Poſt preces omnes circumfulſit mirabile lumen; & audiebatur hæc Vox: *Petre, cuivis deſigna ſuam provinciam.* - Tunc incepit cuivis deſignare ſuam Provinciam dicens: Ego prædicabo in Ponto, Galatia, Bythinia, & Cappadocia, provinciis Aſiæ. Primam Sedem ponam Antiochiæ; dein conſtituam Sedem Romæ -

230. Andreas prædicabit in Scythia Europæa; ab Epiro, & Thracia, & urbe Patras in Achaia illam regionem pro ſua parte habebit. Jacobus major prædicabit in Judæa, Samaria, Hiſpania, & exinde revertetur ad prædicandum Jeroſolimam. Joannes curam geret Matris Chriſti; in noſtra abſentia curam geret fidelium Jeroſolimis; poſt mortem virgineæ matris reget Eccleſiam in Aſia Minore usque in Pathmos. Thomas prædicabit in India, Perſia, apud Parthos, Medos, Hircanos, Brachmannos, & Bactrianos; baptizabit tres Reges, & illis narrabit omnia. Philippus prædicabit in Phrygia, & Scythia Aſiatica, & in Heliopoli Phrygiæ. Bartholomæus in Licaonia Cappadociæ; & in Aſia, & citeriore India, & Armenia. Mathæus in Ægypto & Æthiopia. Simon in Babylonia, Perſia, & Ægypto. Judas Thaddæus in Meſopotamia, dein cum Simone in Babylonia, & Perſia. Mathias in Æthiopia, Arabia, & Palæſtina -

Digitized by Google

231. Poſt hæc verba auditum eſt tonitru magnum. Cœnaculum replebatur ſplendore, ut in Pentecoſte. Dein audiebatur hæc vox: *Quilibet recipiat ſortem, quæ illum contingit.* Tunc accipiebant de novo Spiritum Sanctum, & cum eo perfectam cognitionem earum provinciarum, ad quas mittebantur; cognoſcebant in his Provinciis earum proprietates etiam naturales.

232. B. Virgo ſciebat omnia, quæ omnipotentia Dei operabatur in apoſtolis, & in ſe.

233. Ejus ſcientia commenſurata erat officio ſupremæ Magiſtræ, matris, Rectricis, ac Dominæ Eccleſiæ, quam Deus in ejus manus poſuit. Ipſa debebat curam gerere omnium fidelium à ſummo usque ad infimum; & cum nullus acceperit gratiam aut beneficium ex manu filii, niſi tranſierat per manum matris, neceſſarium erat, ut fideliſſima diſpenſatrix gratiæ cognoſceret ſuos ſubditos, quorum gerebat curam.

236. Paucis diebus poſt præfatam deſignationem Provinciarum quilibet apoſtolorum profectus eſt ad ſuam miſſionem.

237. B. Virgo cuivis eorum ante ſuum abitum donavit textam togam coloris medii inter caſtaneum & cinereum, ſimilem togæ filii. In confectione harum togarum uſa eſt miniſterio angelorum. Donavit quoque cuivis crucem ejus longitudinis, cujus erat cujuslibet ſtatura. Hæ cruces ex junco.

238. Item donavit cuivis eorum ciſtulam metallinam, in qua ponebantur tres Spinæ de Corona, & partes linteaminum, quibus involvebat JESUM in Nativitate & Circumciſione.

239. Apoſtoli non ſolùm prædicaverunt in Provinciis deſignatis, ſed etiam in earum finitimis, aliisque remotis. Sæpe ab angelis portabantur ex una Provincia in aliam non ſolùm prædicationis cauſa; ſed etiam ut poſſent invicem colloqui, præſertim cum Petro, & cum B. Virgine.

251. Cum Lucifer agnoſceret diſpoſitionem animi in Saulo,

convocavit concilium dœmonum. Omnes judicabant, expedire, ut ipſe Lucifer rediret in terram.

252. Itaque inſtigat Saulum, ut occidat apoſtolos, & B. Virginem. Sed Saulus horrebat occidere talem matronam, quam æſtimabat; & hæc compaſſio multum contribuebat ad ejus converſionem.

253. Erant Saulo aliqui dœmones à Lucifero ſpecialiter deputati ad conſervandam ejus ſanitatem, & ad dirigendam ejus phantaſiam, ut abſtineret ab omnibus noxiis ſuæ ſanitati.

254. Quando Saulus tendebat Damaſcum ad perſequendam Eccleſiam, multæ Legiones dœmonum eum comitabantur.

255. B. Virgo hæc omnia agnoſcens ſic orat filium: - Vide, quomodo Lucifer circumagat eum, quem tamen in tuum Apoſtolum elegiſti. Tempus jam eſt, operandi -

257. Ipſa quoque ſe obtulit ad moriendum pro converſione Sauli. Itaque Chriſtus deſcendit è cœlo in Cœnaculum ad B. Virginem. 258. ac dixit: Quomodo miſericordiam exhibeam Saulo tam impio. Reſpondit B. Virgo: Ejus impietas non obſtitit, quin fuerit prædeſtinatus in vas electionis -

259. In his precibus B. Virgo erat tam inflammata, ut ſine dubio obiiſſet, niſi ſupernaturaliter fuiſſet conſervata.

260. Qui comitabantur Saulum, audiebant interrogationes & reſponſa, Chriſtum tamen non viderunt, ſed tantum ſplendorem, quo Saulus erat circumdatus.

263. Paulus ſemper agnovit B. Virginem pro cauſa ſuæ converſionis, & pro reparatrice ſuæ ſalutis. Ideo ſemper ſe illi reverentem ac gratum exhibuit.

266. Judæi Damaſci habebant multas Synagogas.

267. Converſio S. Pauli contigit die 25. Januarii, currente anno trigeſimo ſexto poſt Nativitatem Chriſti; & tunc S. Jacobus ivit ad prædicandum.

268 B. Virgo vidit omnia, quæ agebantur in ejus converſione; vidit etiam ejus raptum in ſupremum cœlum, ubi habuit viſio-

viſionem Dei intuitivam. Propterea anniverſariâ memoriâ cum angelis celebravit hòc feſtum canendo in modum Chori.

270. Miſit etiam unum ex ſuis angelis ad Paulum, qui ei ſuo nomine præberet fiduciam. Angelus apparuit Paulo in humana ſpecie.

271. Paulus ei reſpondit: -

278. Speciale mihi lumen collatum eſt ad retegendas perpetuas inſidias dœmonum, quas hominibus ſtruunt. Hanc veritatem mihi Dominus adhuc magis declaravit occaſione converſionis S. Pauli.

279. Judas Thaddæus in ſua Epiſtola Canonica dicit: quod S. Michael propterea contenderit cum diabolo, quia diabolus volebat manifeſtari corpus Moyſis, quod S. Michael juſſu Dei in aliquo loco occultaverat.

283. In primo jam momento, quo homo concipitur in utero materno, oritur contentio dœmonum cum angelis bonis. Dœmones contendunt ſibi deberi hanc creaturam - angeli boni contrarium defendunt - quia peccatum originale non eſt ex electione propria.

294. Sæpe, quando Deus vult operari aliquam converſionem, B. Virgo præcipit dœmonibus, ut ab ea anima recedant, & ſe præcipitent in orcum.

296. Quando tale aliquid contingit, fit magnus ejulatus dœmonum in inferno, & eorum regnum multis diebus debilitatur, donec iterum obtineant licentiam redeundi in mundum.

297. B. Virgo effecit, quod Saulus fuerit erutus ex unguibus Luciferi, & hic cum tota ſua cohorte in orcum detruſus, cum iis videlicet omnibus dœmonibus, qui Saulum concitarunt contra Chriſtum.

298. Tunc dœmones in ſe ſenſerunt flagella divinæ omnipotentiæ, & manſerunt quaſi conquaſſati aliquot diebus in inferno. Quamprimùm verò Deus ab eis abſtulit ſpecies terrificas, per quas conturbabantur, Lucifer quaſi reſpiraturus convocat Concilium dœmonum, in quo ſic ait: -

301. B. V. ad me dixit: Si homines me invocarent in com-

petente tempore, & ſincerè, nullus periret. Ferme innumerabiles ſunt, quos à Lucifero liberavi, eo quod ad me devotionem habuerint, quamvis ea tantùm conſtiterit in recitatione unius *Ave Maria.*

302. Eadem ad me dixit: Homines non cogitant de propinqua ſibi damnatione æterna, & negligunt confugere ad Deum, ad me, & ad Sanctos, niſi eo tempore, quo non poſſunt amplius impetrare, quod petunt, quia petunt ſine requiſitis circumſtantiis & conditionibus. Et quamvis interdum aliquibus obtineam ſalutem in ultimo vitæ articulo; ea tamen gratia non poteſt ſervire pro regula univerſali.

303. Eadem ad me dixit: Quando dœmon aliquis hominem quempiam pertraxit ad peccatum, tunc ſtatim de hac ſeductione præbet notitiam aliis dœmonibus, ut congaudeant, & ut ſeductum in ſuum Regiſtrum inſcribant - ordinavit tamen Deus, ut viciſſim converſio peccatorum cauſet dœmonibus peculiarem pœnam. -

304. Hinc ſæpe contingit, quod dœmones poſt converſionem peccatoris non audeant coram eo comparere, immo multis horis ne quidem audent eum intueri.

306. B. Virgo ad me dixit: Quando dœmones volunt decipere homines, proponunt ipſis aliquas veritates pro eorum captu, quæ negari non poſſunt; Dein illis veritatibus immiſcent errores & hæreſes.

308. Maria pro nobis paſſa eſt, & per hoc magnas nobis gratias promerita eſt.

311. Iterum ab angelis portata eſt corporaliter in ſupremum cœlum, & ibi collocata ante thronum SS. Trinitatis.

313. Mirati ſunt angeli, quod fœmina corporaliter elevetur & aſſumatur ad thronum Conſilii SS. Trinitatis, ut illi communicentur Secreta pro regimine Eccleſiæ, nulli alteri cognita.

314. Mirum eſſet, ſi fœmina aſſumeretur in conſilium ultimum regiminis, cum Salomon Eccleſ. 7. dicat: ſe ex mille mulieribus nec reperiſſe unicam; - Sed B. Virgo digna fuit recipi in Conſilium SS. Trinitatis.

315.

Digitized by Google

315. Ibi B. Virgo à SS. Trinitate de novo fuit interrogata, quid peteret, ut fieret magis idonea ad nova myſteria divinæ Sapientiæ, & Prædeſtinationis. Ad hoc declarandum dicam, quod mihi eatenus fuit revelatum. Cùm voluntas B. Virginis fuerit rectiſſima, videtur, quod Deus non potuerit ullam rem velle contra ejus voluntatem. - Et cum tres SS. Perſonæ ei Eccleſiam commiſerint, ac cor ſuum confiderint, noluerunt ullam rem in executionem deducere ſine conſilio & quaſi beneplacito Reginæ omnium creatorum.

316. Ut verò voluntas Dei, & voluntas B. Virginis in Decretis condendis concordarent, neceſſarium fuit, ut daretur ipſi nova participatio ſcientiæ divinæ ac providentiæ.

317. Obtenta demum benedictione à SS. Trinitate ab angelis fuit reportata in terram in ſuum Oratorium.

318. Dein miſit ad apoſtolos angelos, qui eis nuntiarent converſionem S. Pauli. Ad ipſum verò S. Paulum miſit alium angelum, qui ei nuntiaret inſidias diaboli. Omnes reſponderunt B. Virgini per eosdem angelos; præſertim S. Paulus, qui eam conſideravit ut ſuam mediatricem.

319. Jacobus Major primus diſceſſit Jeroſolimâ ad prædicandum. Poſtquam aliquot diebus prædicaverat in Judæa, abiit in Hiſpaniam. Conſcendit navem in Portu Jopha, qui nunc vocatur Japha anno Domini 35. uno anno & quinque menſibus poſt paſſionem Chriſti, octo menſibus poſt Martyrium S. Stephani; quinque menſibus ante converſionem S. Pauli. Ex Japha profectus eſt in Sardiniam, exinde Cartagenam, ubi, poſtquam paucis diebus prædicaverat, tranſiit Granadam, edoctus à Spiritu Sancto, ſegetem fore uberiorem.

320. S. Jacobus ſpecialiter erat dilectus B. Virgini. Multas perſecutiones paſſus eſt in Hiſpania à Judæis; nec minores paſſus eſt in Italia, & Aſia, per quas regiones rediit Jeroſolimam. Sæpe fuit liberatus à periculis per angelos à B. Virgine ipſi ſubmiſſos;

 per

Digitized by Google

per quos & B. Virgo ipſi communicavit varias notitias. Sæpe Chriſtus quoque ipſi è cœlo ſubmiſit angelos, ut eum tuerentur, & transportarent ab uno loco in alium, & eſſent viæ Duces 321.

322. Durante prædicatione in Hiſpania duas ſingulares gratias accepit à B. Virgine, quæ perſonaliter ipſum inviſit. Una talis apparitio ac transportatio B. Virginis contigit Cæſaraugustæ; quæ habet pro ſe teſtimonium 1600 annorum, nec negari poteſt. Altera contigit Granadæ, ubi Judæi unum diſcipulum Jacobi occiderunt, reliquos autem cum apoſtolo ligatos eduxerunt extra urbem, ut ibi trucidarentur. S. Jacobus autem invocabat Deum & B. Virginem dicens: Maria adjuva - . B. Virgo hæc cognoſcens deſiderabat juvare apoſtolum, ſed non petiit transportari in Hiſpaniam. Deus autem exaudiens ejus deſiderium præcepit mille angelis ejus cuſtodibus, ut exequerentur deſiderium Dominæ ſuæ. Itaque eam ſtatim in ſplendidiſſimo throno transportant in Hiſpaniam in campum, ubi jam ſtricti erant gladii, quibus necarentur. Solus Jacobus vidit B. Virginem. Tunc ſoluta ſunt vincula apoſtolo & ejus Diſcipulis; Judæi verò retrò ceciderunt in terram; & jacuerunt aliquot horis ſine ſenſu. B. Virgo dedit apoſtolo centum angelos, ut eum deducerent ab uno loco in alium. Reliqui reportarunt B. Virginem iterum Jeroſolimam.

326. Dein venit apoſtolus in Andaluſiam, Toledum, Luſitaniam, Gallæciam, Aſturiam, ac tandem in viciniam Cæſaraugustanam. In hoc itinere conſtituit aliquot Epiſcopos, & plantavit fidem. Fructus ex ejus prædicatione erat immenſus. Errant, qui arbitrantur, apoſtolum tantùm convertiſſe paucos.

327. Agnovi varias eſſe opiniones Scriptorum circa res hactenus à me deſcriptas v. g. de egreſſu apoſtolorum ad Miſſiones, de Symbolo, & itinere S. Jacobi. Scriptores intellexi non convenire de annis & temporibus. Non accepi à Domino mandatum diſſolvendi hæc dubia. Immo accepi à Domino mandatum, ſcribendi hanc hiſtoriam non adducendo diverſas opiniones. Et

ſi

ſi hanc hiſtoriam ſic deſcripſero, ut detur connexio, & non contradicatur Scripturæ, & omnia conveniant cum dignitate objecti, nil aliud à me pietas Chriſtiana requiret.

329. B. V. ad me dixit: Non una tantùm vice, ſed ſæpe poſt adventum Spiritûs Sancti aſcendi ad thronum SS. Trinitatis. Aliquoties tunc æternus Pater ad me dixit: Aſcende ad noſtrum thronum, ut in iſtra Triàde quartum locum poſſideas, quantum puræ creaturæ eſt poſſibile. Accipe poſſeſſionem noſtræ gloriæ, cujus theſauros in tuas manus reponimus. Tùum eſt cœlum, & omnes abyſſi. Fruere adhuc in vita mortali privilegio beatæ ſuper omnes ſanctos. Omnes populi tibi ſerviant; omnes virtutes cœlorum tibi obediant; & omnia noſtra bonà ſint tibi communia. Intelligas magnum conſilium noſtræ ſapientiæ, & habe partem in noſtris concluſionibus. Una ſit voluntas, tua & noſtra. 330. Ex hoc Deus ſic rexit meam voluntatem, ut nihil in Eccleſia contigerit independenter à mea ordinatione. - Deſiderium meum ſic fuit prœmiatum atque acceptum, ac ipſum opus fuiſſet. Magnos dolores perpeſſa ſum patiendi pro omnibus - non agnoſcitur à fidelibus, quantum mihi debeant. 331. Eram creatura humanitati Chriſti, ut ita dicam, æqualis, & poſt illam Deitati proxima ac immediata. - Omnes Beati agnoverunt hanc meam æqualitatem cum filio. 333. Præ amore fuiſſem mortua, niſi per miraculum fuiſſem conſervata. Hic amor mihi contulit locum in Concilio SS. Trinitatis.

335. Poſt converſionem S. Pauli Eccleſia multis menſibus pacem habuit. De hac pace Eccleſiæ S. Lucas loquitur Capite nono. Nam quamvis jam prius locutus fuerat de adventu S. Pauli Jeroſolimæ, qui contigit poſt ejus converſionem anno quinto, nihilominus illa Eccleſiæ tranquillitas dudum præceſſit.

336. Illud concilium ac deliberatio dœmonum, de quibus ſupra dictum eſt poſt converſionem S. Pauli, diu duravit. Itaque, cum finirentur dies illius tranquillitatis, Lucifer ſecum ſumpſit plures, quàm duas tertias partes dœmonum. Tertiam autem partem

partem reliquit in inferno, quia hunc nunquam vacuum relinquit tortoribus.

338. Tunc Lucifer præcepit dœmonibus, ut explorarent terras, in quibus verſabantur apoſtoli & diſcipuli; ipſe verò ſedem habuit Jeroſolimæ in loco à myſteriis Chriſti remotiſſimo. Nam quo propius dœmones accedebant ad ea loca myſteriorum Chriſti, eo magis infirmabantur ad ſingulos paſſus.

341. S. Joannes, cum videret, B. Virginem valde afflictam, ter acceſſit ad januam ejus cubiculi, quæſiturus cauſam mœroris; ter præ reverentia veritus eſt ingredi. B. Virgo agnoſcens hoc S. Joannis deſiderium, ſurrexit ab oratione, & ad eum acceſſit, quærens, quid peteret.

342. Tunc B. Virgo petiit à Deo licentiam, communicandi S. Joanni Secretum, dicens: Mi Deus - Obtentâ licentiâ dixit ad Joannem; - Vidi innumerabiles turmas dœmonum -

344. Tunc S. Joannes illi ſuaſit, ut ſecederet Jeroſolimâ Epheſum. 345. Sed B. Virgo conſuluit Dominum dicens: - Deus illi reſpondit, dicens -

347. Quarto die, antequam proficiſceretur Epheſum, deſcendit in ejus oratorium è cœlo Chriſtus, dicens: - Volo, ut Cæſarauguſtæ inviſas Jacobum, utque illum redire Jeroſolimam jubeas; antequam verò diſcedit, ædificet Eccleſiam ſub titulo tui Nominis -

348. B. Virgo reſpondit: - Permitte, ut in Eccleſia, quam à Jacobo ædificari præcipis, poſſim promittere ſpecialem tuam protectionem, & ut ille ſacer locus ſit pars meæ hæreditatis pro omnibus, qui te ac me ibi devotè invocaverint.

349. Chriſtus reſpondit: Promitto, quod ſpeciali clementia eos ſim reſpecturus, qui me in hoc templo humiliter & devotè mediante tua interceſſione invocaverint. In tuis manibus repoſui omnes meos theſauros; & ut poteſtatem habens potes ditare hunc locum, & in eo omnes gratias promittere; omnia enim exequar, quæ tuæ voluntati placuerint. Tunc B. Virgo in nube ſplendida ab angelis portata eſt Cæſarauguſtam. 350.

Digitized by Google

350. In via aliqui angeli canebant *Ave Maria*; alii *Salve ſancta parens*; alii *Salve Regina*; & alii *Regina cœli Letare*. In decantandis verſibus alternabant Choros. Tandem media nocte perveniunt Cæſarauguſtam.

351. Muſica angelorum B. Virginem portantium jam à longinquo excitabat S. Jacobum & ejus diſcipulos à ſomno. Angeli depoſuerunt B. Virginem ante S. Jacobum; unus angelorum portabat parvam columnam ex marmore vel Jaſpide; & alii habebant imaginem B. Virginis ex alia materia formatam, ac magnam, quam ſuis manibus portabant.

352. B. Virgo ad S. Jacobum dixit: In nomine Omnipotentis promitto omnibus hunc locum devotè viſitantibus magnas gratias & benedictiones plenas dulcedinis. - Ædifices hìc ſub titulo mei nominis Eccleſiam, in qua hæc mea columna & ſtatua cum vera Religione permanebunt usque ad finem mundi.

353. Angeli ſtatim erexerunt columnam & impoſuerunt imaginem B. Virginis in loco, in quo adhuc nunc perſeverat, & cum S. Jacobo celebrarunt primam Dedicationem, quæ ab origine mundi ſub titulo B. Virginis inſtituta eſt.

354. Tunc S. Jacobus petiit à B. Virgine ſpecialem protectionem Hiſpaniæ Regni, ac præſertim hujus loci. B. Virgo omnia conceſſit; dein reportata eſt Jeroſolimam. Deus autem ad interceſſionem B. Virginis pro loci cuſtodia ordinavit aliquem angelum, qui etiamnum ibi vigilat, & vigilabit usque ad finem mundi.

355. Revelatum tamen mihi eſt, præfatas promiſſiones Chriſti & B. Virginis eſſe conditionatas; ſi nempe noſtris demeritis non cogimus Deum, nos privandi illis gratiis.

356. Hinc Lucifer conatur Cæſarauguſtæ invehere vitia, præſertim luxuriæ, ut eam urbem privet protectione promiſſa B. Virginis. Æſtimo me beatam, quod Monaſterium meum tantùm diſtet itinere duorum dierum Cæſarauguſtâ.

357. S. Jacobus proin in eo loco ædificavit exiguam Capel-

 lam,

Digitized by Google

lam, quam & complevit ante ſuum diſceſſum. - B. Virgo non manifeſtavit S. Joanni hæc acta, quia non pertinent ad communem fidem fidelium. S. Jacobus autem redux Jeroſolimam Epheſi omnia S. Joanni retulit; & exinde B. Virgo ab apoſtolo, aliiſque fidelibus paſſim in neceſſitatibus fuit invocata.

358. Hæc apparitio B. Virginis Cæſarauguſtæ contigit ineunte anno quadrageſimo poſt Nativitatem Chriſti ſecundo Januarii. Ab eo die, quo S. Jacobus Jeroſolimis ad Miſſiones diſceſſerat, jam effluxerant quatuor anni, quatuor menſes, & decem dies. Diſceſſit enim Jeroſolimis anno trigeſimo quinto, menſe Auguſto. Poſt apparitionem in conſtructione Eccleſiæ, & reditu, & prædicatione adhuc inſumpſit unum annum, duos menſes, & viginti duos dies; & obiit vigeſimo quinto Martii anno poſt Nativitatem Chriſti quadrageſimo primo. B. Virgo tunc quando apparuit habebat annos ætatis 54, menſes tres, dies 24. Quamprimum rediit Jeroſolimam, ſtatim profecta eſt Epheſum. Itaque inter hanc apparitionem & obitum B. Virginis interceſſerunt multi anni, intra quos B. Virgini in Hiſpania erigebantur etiam in aliis locis Eccleſiæ & altaria, & ipſi deferebatur cultus publicus.

366. Quarto die poſt reditum B. Virginis S. Joannes monuit, proficiſcendum jam eſſe Epheſum, quia parata eſſet navis ad abeundum.

367. Prius tamen cum S. Joanne viſitabat loca Sacra, ubi angelis eorum Locorum cuſtodibus de novo præcepit, ut ea diligenter cuſtodirent ab irreverentia.

369. In navi cantabat & converſabatur cum angelis, interdum etiam cum S. Joanne colloquebatur.

371. Precata eſt Deum, ut omnes, qui in periculo maris eam devotè invocaverint, defendat; quod & conceſſit. Hinc, quando Catholici in ſuis navigationibus pereunt, cauſa eſt, quia gratias B. Virginis vel ignorant, vel quia ob peccata ſua non merentur, ut earum in fluctibus recordentur, eamque vera fide & devotione invocent.

372.

Digitized by Google

372. Quando B. Virgo vidit mare cum piſcibus & aliis ejus creaturis, juſſit, ut ſuo modo laudarent Deum; ſtatim omnia genera piſcium maris convenerunt ad navem, & erectis capitibus, ac variis motionibus monſtrarunt ſuam obedientiam. Hæc nova res omnes navigantes traxit in magnam admirationem, quamvis ejus cauſam ignoraverint; cumque multitudo piſcium impediverit curſum navis, eo major erat attentio navigantium. Intra paucos dies navis appulit Epheſi.

373. Epheſi B. Virgo toto reliquo vitæ tempore morabatur apud quaſdam viduas, ubi ipſa habuit ſolitarium cubiculum, & aliud S. Joannes.

375. B. Virgo miſit apoſtolis & S. Paulo angelos pro eorum tuitione. Quando in Scriptura S. Paulus dicit ad Gal. 1. *Poſt tres annos veni Jeroſolimam*, hi tres anni non ſunt computandi à converſione illius, ſed ex eo tempore, quo ex Arabia rediit Damaſcum.

376. S. Paulus venit Jeroſolimam anno quadrageſimo, completis annis quatuor poſt ſuam converſionem, & poſt menſem à diſceſſu B. Virginis.

377. S. Paulus poſt converſionem ſuam unum annum aut maximam ejus partem tranſegit in Arabia; tribus ſubſequentibus annis commoratus eſt Damaſci.

379. Quando S. Paulus ingreſſus eſt Jeroſolimam, dœmones ſenſerunt ſe ab eo torqueri, & opprimi. Itaque Lucifer congregavit aliquot Legiones dœmonum contra Paulum, ut eum exterminarent.

380. B. V. hæc cognoſcens oravit pro Paulo, ut protegatur. Deus Paulo in Ectaſi præcipit, ut Jeroſolimis diſcedat.

381. Hac vice Paulus non manſit pluribus diebus Jeroſolimæ, quàm quindecim, ut ipſemet ſcribit. C. 1. ad Gal. dein poſt aliquot annos, poſtquam ex Inſula Malta, & Epheſo reverſus eſt Jeroſolimam, ubi eum conjecerunt in vincula, narrat de præfata ſua Ectaſi in templo, & de præcepto Domini diſcedendi Jeroſolima, ut habetur in Actis Apoſt. C. 22.

382. S. Jacobus aliquot menſibus poſt apparitionem B. Virginis abiit ex Catalonia in Italiam, & exinde in Aſiam, ut videret B. Virginem.

384. S. Jacobus Epheſi rogat B. Virginem, ut, ſi eſſet pro gloria Dei, & conforme divinæ voluntati, viſibiliter ſibi appareat in extrema hora ſui martyrii.

385. B. V. reſpondit : Do tibi benedictionem Patris & Filii & Spiritus Sancti. Ego tibi præſens ero in tuo Martyrio.

392. Judæi contra Jacobum utebantur operâ Hermogenis & Fileti, qui erant Magi. Primò convertit Filetum, eique tradidit linteum, quod à B. V. acceperat, ut eo ſe defenderet contra Magias Hermogenis. Dein convertit Hermogenem, & tradidit ei baculum, ut eo abigeret dœmones. 393. 394.

396. Judæi hac converſione irritati corruperunt duos Romanos Centuriones Democritum & Liſiam, ut caperent S. Jacobum. Executio hujus committebatur Summo Sacerdoti Abiathar, & ejus Miniſtro Joſiæ. Ita factum; & S. Jacobus ab Herode filio Archelai juſſus eſt decapitari.

398. Tunc deſcenderunt multi angeli ex omnibus Hierarchiis è cœlo, & aliqui eorum circumdederunt S. Jacobum in loco Martyrii; alii autem portaverunt B. Virginem in ſplendido throno Epheſo Jeroſolimam in locum Martyrii. S. Jacobus, ut eam vidit, volebat eam proclamare, Matrem Dei; ſed angelus eum impedivit dicens: - Itaque in Secreto cordis ſic eam allocutus eſt -.

400. B. Virgo animam S. Jacobi decapitati ſumpſit in ſuum thronum; ſicque eam portavit in cœlum, ac ſtitit coram filio. Dein reportata eſt ab angelis Epheſum in ſuum cubiculum, ubi interea angelus aliquis induerat ac repræſentaverat ejus perſonam.

401. Diſcipuli S. Jacobi ejus corpus detulerunt in Joppe, & exinde navigio in Galœciam. B. Virgo pro ductore navigii ipſis miſit angelum, quamvis hunc non viderint, nec agnoverint. Obiit S. Jacobus anno quadrageſimo primo, 25 Martii, comple-

tis

tis annis quinque & ſeptem menſibus poſt ſuum diſceſſum Jeroſolimis.

402. Luna decimaquarta tunc juxta inſtitutum à nobis calculum incidit in ultimos dies menſis Martii, ſic ut Martyrium S. Jacobi contigerit 25 Martii, & ſtatim ſubſecuta ſit incarceratio Petri, & Paſcha Judæorum.

404. B. V. cognoſcens incarcerationem Petri lachrimis ſanguineis flens oravit pro Petri liberatione. Tunc Chriſtus è cœlo in ejus cubiculum deſcendens ad eam dixit - 406. Volo, ut facias authoritativè pro tuo beneplacito - B. Virgo reſpondit : -. Ad hanc vocem B. Virginis ſtatim omnes dœmones, qui erant Jeroſolimis, præcipitati fuerunt in infernum.

407. Poſt hunc triumphum B. Virgo dixit ad Chriſtum; Si tibi placet, eat aliquis angelus ad liberandum Petrum.

408. Angelus Petro dixit, eum per interceſſionem B. Virginis liberatum fuiſſe.

409. Petrus liberatus ivit ad Domum Mariæ matris Joannis, qui & nominabatur Marcus. Hæc domus erat ipſa domus Cœnaculi.

410. B. Virgo mihi dixit: Quando animam S. Jacobi attuli in cœlum, æternus Pater audientibus omnibus Sanctis mihi dixit: Promitto tibi, quod, ſi homines te in hora ſuæ mortis ſincero corde invocaverint, ſim abacturus ab iis dœmones, & quod ipſis ſim miſſurus magna auxilia per te, ut poſſint reſiſtere tentationibus, & reſtituere ſe in meam gratiam, ſi quantum eſt ex parte ſua velint cooperari. Tu mihi præſentabis eorum animas -. Quamvis ergo privilegium ſiſtendi animas ante judicem competat angelis, illud tamen longè excellentius mihi convenit. Quia tamen ſcire deſideras, quomodo hanc gratiam obtinere poſſis, reſpondeo, te hanc gratiam primariò obtinere poſſe intemerata puritate.

414. Amor B. Virginis major fuit, quàm amor angelorum & hominum ſimul ſumptorum . - In ejus corde non fuit alius motus, immo nec alia libertas, niſi amandi ſummum bonum.

Digitized by Google

416. B. Virgine orante, ne Herodes exequeretur ſua conſilia, miſſus eſt è cœlo ad eam angelus dicens: Dominus dicit, quod ſis Rectrix ac gubernatrix Eccleſiæ, & quod fungaris ejus vice tanquam Vicaria Dei, quamdiu peregrinaris in terra. Vult, ut tanquam Regina cœli & terræ feras ſententiam contra Herodem.

417. B. Virgo reſpondit: Quomodo feram ſententiam contra creaturam & imaginem Dei? - revertere ad Dominum & dic, quod mea poteſtas ab illo dependeat, & quod illo inconſulto non poſſim quempiam damnare. - Cum hoc reſponſo angelus reverſus eſt in cœlum. Sed à Deo denuo remiſſus eſt ad B. Virginem, ut ei diceret: Herodes eſt in numero reproborum -

418. Tunc B. Virgo angelum tertia vice remiſit in cœlum cum hoc reſponſo: Si decretum eſt, Herodem mori, moriatur, quin à me condemnetur, quia meus thronus eſt ſedes miſericordiæ -

419. Cum hoc reſponſo angelus rediit ad Deum; ſed remiſſus eſt cum hoc reſponſo: Miſericordia tua illis deſtinatur, qui illa digni ſunt - . Tunc B. Virgo reſpondit: - Itaque contemno Herodem ad mortem. -

420. Hoc factum eſt, ut appareat, quod B. Virgo conſtituta fuerit Domina creaturarum cum ſumma poteſtate, & ſimilis reddita filio. Licet enim ſit mater miſericordiæ pro invocantibus ſe, vult tamen Deus, ut agnoſcamus, eodem proportionaliter modo competere poteſtatem judicandi, ut competit filio; & quod habeat abſolutam poteſtatem omnes judicandi; & quod ſuæ matri dederit æqualem poteſtatem, quam ipſe habet.

421. Ea ergo poteſtate B. Virgo præcepit angelo, ut ſe conferat Cæſaream, & occidat Herodem.

423. S. Joannes omnes Catechumenos miſit ad B. Virginem, quos proin ipſa inſtruxit, quia agnovit omnium internas affectiones. Tot convertit, & tot patravit miracula, ut multis libris non poſſent comprehendi.

424.

424. Permiſſum etiam Lucifero, ut cum ſua cohorte denuo redeat in terram ex orco, in quem à B. Virgine detruſus fuerat.

425. Tunc Lucifer coram Domino conqueſtus eſt contra B. Virginem, ſicut conqueſtus eſt contra Job -

426. Deus permiſit Lucifero pugnare contra B. V. ſed conditiones, quas expetebat, non permiſit.

431. B. Virgo perſolvit ſpeciales preces pro Epheſiis, ut converterentur.

432. Deus reſpondit, quod poſſit tanquam Domina Eccleſiæ & totius mundi operari poteſtate abſoluta, quæcunque voluerit. Cum hac reſponſione B. Virgo ſimul agnovit, quod juſtitia divina velit totaliter delere Epheſios, & quod ab ea exſpectet aſſenſum.

434. B. Virgo agnovit, quod Lucifer multis ſæculis ante Incarnationem in Concilio aliquo dœmonum ſtatuerit multas Legiones dœmonum mittere in mundum ad expugnandam caſtitatem, paupertatem, & obedientiam. In illo Concilio ſtatuerunt etiam, introducere aliquod genus hypocriticarum virginum, qui ſe devoverent ſervitio dœmonum. Decreverunt has virgines cumulare bonis externis, & omnibus commoditatibus, ut, dum publicè profitentur caſtitatem, in ſecreto vivant luxuriosè. 436. Aliqui dœmones cenſebant, hoc genus vitæ plantandum eſſe inter ſexum virilem; alii autem judicabant, eligendas eſſe mulieres.

438. Itaque elegerunt Amazones. Amazones hæ venerunt ex Scythia in Aſia, ubi ſe detinebant. Erant bellicoſæ, & ſuis armis ſubegerunt multas regiones. Sedem regiam poſuerunt Epheſi.

439. Brevi numerus harum virginum notabiliter auctus eſt. Inter illas excellebat aliqua, nomine Diana. Dœmon, ut iſta Virgo adoraretur pro Dea, eam, dum adhuc erat in vivis, ſæpe circumdedit ſplendore, revelavit ipſi abſcondita, ut prophetaret, & docuit illam varias cæremonias Eccleſiaſticas. Multis poſtea Sæculis fuit illi Epheſi ædificatum templum.

440. Poſtquam autem Amazones à finitimis populis victæ ſunt, tem-

templum quidem permanſit, ſed eo incenſo, ac treecentis circiter annis ante Incarnationem reædificato illud ſecundum templum cum habitaculis Virginum tempore B. Virginis perſtitit.

441. B. Virgo hæc agnoſcens oravit Deum pro remedio harum abominationum. 443. Deus reſpondit: Fac poteſtate abſoluta, quod vis. Tunc imperavit dœmonibus, qui erant in templo, ut diſcederent in orcum; & ſtatim ad primum labiorum ejus motum non exſpectata integra juſſione multæ Legiones dœmonum deſerto templo ſe præcipitarunt in infernum.

444. Tunc præcepit uni ſuorum angelorum, ut evertat templum, non relinquendo lapidem ſupra lapidem. Tantum novem virgines ſervet à ruinâ, reliquas autem ſinat opprimi ruina, quia ſunt reprobæ.

445. Angelus ergo ſtatim deſtruxit templum, multis ſæculis ædificatum. Cives Epheſini obſtupuerunt, dum viderunt ſuum templum ſolo æquatum. Magiſtratus autem fecit ſeveram inquiſitionem in authorem hujus devaſtationis, ſed non potuit eum reperire.

446. Non obſtat huic hiſtoriæ, quod legitur in Actis Apoſtolorum C. 19. quod nempe D. Paulus, qui poſt multos exhinc annos prædicavit Epheſi, adhuc ibi repererit Templum Dianæ. Nam templum hoc erat novum, poſt præfatam devaſtationem ab Epheſiis de novo conſtructum, poſtquam B. Virgo relictis Epheſiis iterum rediit Jeroſolimam. Quando S. Paulus venit Epheſum, hoc novum Templum jam erat perfectum.

447. Deſtructo Templo B. Virgo ab angelis in ſplendido throno portata eſt in cœlum in præſentiam SS. Trinitatis, ubi habuit viſionem immediatè intuitivam Dei.

448. Tunc Pater æternus dixit: Omnibus Cœlicolis notum ſit, quod Mariam denominem in Duciſſam omnium meorum exercituum, & in Domitricem omnium hoſtium. Dein Deus præcepit octodecim Seraphinis, ut B. Virginem induant armaturâ. Statim ſex

ſex Seraphini eam induerunt luce loco thoracis, ut modo quodam ineffabili aſſimilaretur ipſi fortitudini Dei.

450. Angeli reportarunt B. Virginem in ſuum cubiculum, & cecinerunt: Specie tua & pulchritudine tua intende proſpere, procede & regna -

451. Tunc B. Virgo vidit, ex orco contra ſe aſcendere Draconem habentem ſeptem capita -

452. Draco ſe transfigurans in angelum lucis tentavit ab initio B, Virginem per ſuperbiam, dicens: O Maria, totus orbis colit te -

457. Reddita pace Eccleſiæ S. Petrus rediit ex Aſia minore Jeroſolimam; prius ad B. Virginem miſit Epheſum hanc Epiſtolam: Mariæ Virgini & Matri Dei. Petrus apoſtolus Jeſu Chriſti, veſter Servus, & omnium ſervorum Dei. Exorta ſunt aliqua dubia - ob hoc proficiſcar Jeroſolimam - ut veſtrâ aſſiſtentiâ conſtituantur ſana -

459. Hæc fuit communis formula Epiſtolarum, quas ſcripſerunt apoſtoli. Ut autem B. Virgo vocaretur mater Dei, decretum fuit unanimiter ab apoſtolis, quando condiderunt Symbolum Apoſtolicum. Ab aliis fidelibus vocabatur communiter *Maria à JESU*, vel *Maria à JESU Nazareno*, vel *Maria filia Joachimi & Annæ.*

461. B. Virgo proficiſcens Epheſo Jeroſolimam valedicit ſexaginta tribus fœminis, quas inſtruxerat, & cum quibus Epheſi in communitate vixerat; inter has erant multæ virgines, præſertim illæ novem, quæ in deſtructione Templi Dianæ fuerant conſervatæ. Hæ autem diſcipulæ ignorabant, per B. Virginem Templum fuiſſe deſtructum. Deus ſic ordinavit, ut illa deſtructio habita fuerit pro re caſuali; ob quod & in oblivionem abiit, nec ab Hiſtoricis, uti prima deſtructio per incendium, annotata eſt.

462. B. Virgo reliquit præfatis fœminis hanc Scripturam. - In hac domo conſervetis inviolabilem ſolitudinem; nec permittatis ulli viro ingreſſum; ſi verò neceſſarium fuerit cum viris colloqui, id fiat ad Portam in trium præſentia; perſeverate in oratione, & recitate vel cantate, quod vobis deſignavi ſervate ſilentium -

463. B. Virgo vocabatur *Maria ſenior*, quia multis mulieribus in Baptiſmo ſuum nomen contulit. Præterea ſuæ communitati Symbolum, Pater noſter, Decem præcepta, & plures alias preces ſcripto tradidit. In hunc finem ipſis etiam reliquit magnam Crucem, manibus angelicis confectam.

464. Rogavit etiam Filium, ut pro tuenda illa communitate deputaret ſpecialem angelum, quod & conceſſit.

465. Poſtquam ergo B. Virgo duobus annis cum dimidio morata fuerat Epheſi, deſcendit ad Portum. Tunc manifeſtarunt ſe illi mille ejus angeli viſibiliter; ex oppoſito vidit multitudinem infernalium Legionum contra ſe paratam.

466. Hæ Legiones concitarunt in mari terribilem tempeſtatem, ita ut neceſſarium fuerit, navem aliquoties ab angelis ſuſtolli in aerem, donec tranſierint fluctus, alioquin. B. Virginem cum navi ſubmerſuros.

467. Dœmones aſſumebant quoque perſonam aliorum navigantium, quaſi in aliis navibus acclamantium, ut in ſuas naves confugerent, qui in navi B. Virginis vehebantur. Cogitabant enim, B. Virginem deſerendam & ſic perituram.

469. Tempeſtas duravit quatuordecim diebus; & navigatio quindecim, cum alioquin intra ſex dies confici poſſit.

471. Poſt quatuordecim dies Chriſtus apparuit B. Virgini, & dixit: Præcipe ut Domina quibusvis creaturis & obedient. Tunc B. Virgo præcepit Lucifero & ejus cohorti, ut diſcedant à mari; & ſtatim receſſerunt in Palæſtinam; quia non ſunt juſſi ire in orcum. Statim etiam rediit tranquillitas in mari; obſtupeſcentibus omnibus in navi tam celerem mutationem, quamvis ignoraverint cauſam.

479. B. Virgo ad me dixit: Elegiſtis me in veſtro Monaſterio in Sſperioriſſam. Accepto hoc officium; ſed ea conditione, ut ſequantur meam doctrinam, quam in hac Hiſtoria tibi tradidi.

481. Ut venit Jeroſolimam, egreſſa eſt è cœnaculo ad viſitanda loca ſancta. Comitabantur angeli; & Lucifer ſequebatur eam è veſtigio cum ſua cohorte. 482.

Digitized by Google

482. Sed devotione B. Virginis territi dœmones cum clamore, audito à ſola B. Virgine, fugiunt, clamantes -

483. In Oliveto ipſi apparuit Chriſtus.

484. B. Virgine reverſa in Cœnaculum iterum lamentabantur dœmones, clamantes -

485. Tunc B. Virgo rogavit Filium, ut novam legem Evangelii liberet à cæremoniis & oneribus Veteris Teſtamenti.

486. Fructus hujus orationis fuit, quod ſtatim dein in Concilio Jeroſolimitano fuerit abolita Circumciſio. Interea Jeroſolimam venerunt Paulus & Barnabas ad Concilium.

488. S. Paulus tunc B. Virgini gratias egit ob ſuam converſionem, & liberationem à variis periculis. Idem fecit S. Barnabas.

489. S. Petrus, ut Caput Eccleſiæ, celebravit Concilium in præſentia B. Virginis; & dixit: Incipiamus oratione, & in hoc exercitio decem diebus perſiſtamus. Primo autem & ultimo die offeramus Sacrificium Miſſæ pro obtinenda illuſtratione.

490. B. Virgo decem illis diebus permanſit ſine cibo & potu. In prima Miſſa accepta Euchariſtia fuit corporaliter deportata in cœlum; angelus interea aſſumpſit ejus perſonam in terra. Poſtquam fuit elevata in ſublimia aeris, Deus præcepit adeſſe Luciferum & ejus cohortem, ut videant B. Virginem in gloria, & Chriſtum in ejus corde, quo agnoſcerent, in ea divinitatem eſſe quaſi incluſam, ut participatione divinarum proprietatum orcum humiliet. Non poſſum omnia referre mihi eatenus revelata.

491. Tunc audierunt dœmones vocem exeuntem à Deo: Hæc mulier conteret caput Serpentis. 492. Dein in momento cum ejulatu ſe præcipitarunt in orcum. B. Virgo autem proſequebatur ſuum iter in cœlum, ubi manſit viginti quatuor horis coram throno Dei.

494. Apparuit in cœlo templum quaſi cryſtallinum. Hoc templum Chriſtus ſecum univit; dein illud tradidit in manus ſuæ

matris. B. Virgo accepto Templo repleta eſt novo ſplendore, & habuit viſionem Dei intuitivam.

495. In hac viſione de novo in B. Virgine fuit ordinata Charitas, ut eam diffunderet in Eccleſiam, quæ ipſi ſub illo Symbolo Templi fuit tradita. Tunc fuit reportata in Cœnaculum ab angelis, retinentibus conſtanter in manu illud Templum ipſi traditum. Reliquis novem diebus permanſit in oratione. Inter alia B. Virgo diviſit filiis Eccleſiæ theſauros Redemptionis; incepit in diviſione ab apoſtolis, ac progreſſa eſt in futura tempora ad juſtos ac Sanctos varios juxta myſterium prædeſtinationis. Quia ergo executio Decretorum prædeſtinationis à Chriſto relicta eſt ſuæ matri, tradidit ipſi etiam gubernationem totius Eccleſiæ, & diſtributionem gratiarum, quas quilibet ex meritis Redemptionis eſt conſecuturus.

497. B. Virgo poſt Concilium donavit Paulo & Barnabæ Reliquias de faſciis & paſſione Domini. Durante Concilio Lucifer cum cohorte non eſt auſus appropinquare Cœnaculo ob metum à B. Virgine incuſſum, quamvis à longe circumiverint.

503. B. Virgo ad me dixit: Deus valde humiliavit dœmonem per aliquam devotam animam, ut multis diebus non fuerit auſus ad eam accedere. Lucifer peſſima machinatus eſt contra Hiſpaniam, & niſi Deus ob præfatam devotam perſonam impediviſſet, Hiſpaniæ regnum periviſſet.

505. Pugna B. Virginis cum Dracone, quam S. Joannes deſcribit Apoc. C. 12, ideo juſſu B. Virginis tam obſcurè deſcripta fuit, ut tantùm poſſet explicari à Deo ſuo congruo tempore. Hæc pugna renovata fuit tempore Incarnationis. Prior enim pugna erat tantum in figura. Nunc autem in re.

507. Dœmones conati ſunt eam privare gratiâ, quæ eſt Mediatrix gratiæ pro filiis Adæ.

508. Dona B. Virgini collata non poſſunt comprehendi intellectu etiam angelico. Ipſa attigit omnia, quæ non ſunt Deus. Hoc includit immenſam amplitudinem.

Digitized by Google

510. Dœmones, quamvis ſenſerint maxima tormenta accedendo ad B. Virginem, ex ira tamen & invidia coegerunt ſe ad patienda hæc tormenta; & acceſſerunt quaſi per ignes & gladios ad ſumendam vindictam.

513. Ea occaſione B. Virgo precata eſt pro omnibus tentatis à dœmone. Deus illi promiſit, omnes ipſam in tentatione invocantes fore defendendos.

514. Deus ligavit dœmonem; & extremum catenæ poſuit in manu B. Virginis.

515. Dein B. Virgo à ſex Seraphinis fuit elevata à terra, & collocata in throno Filii ad ejus latus in ſplendida nube. Tunc circumdata fuit ſplendore quaſi ſole. Sub pedibus ejus apparuit luna. In capite ponebatur corona duodecim ſtellarum in Symbolum divinarum perfectionum, quæ ipſi communicabantur in gradu ſummo, quantum eſt puræ creaturæ poſſibilis. Videbatur etiam prægnans ob ea, quæ à divina natura participabat, & ob amorem divino conſimilem.

516. Septem Draconis capita ſignificant, quod ſit author ſeptem vitiorum capitalium; & decem cornua, quod velit fruſtrare decem Præcepta Decalogi.

517. Filius, quem illa mulier peperit, eſt ſpiritus Eccleſiæ, quæ poteſtate à Chriſto accepta regit omnes gentes.

518. Totus partus illius mulieris includit etiam ſpeciales animas ſanctas, quas adhuc parit. Solitudo, & 1260 dies de quibus ibi ſermo, ſignificant ſtatum animi, in quo B. Virgo ex hoc tempore usque ad mortem fuit, & reſiduos vitæ dies.

519. Lucifer tandem deſperat, ſe poſſe vincere hanc mulierem, prout hactenus per 5000 annos ſperaverat.

521. Deus finita illa pugna dixit ad B. Virginem. - Tu es auxilium meæ Eccleſiæ, & gubernatrix. Habeas à me omnem poteſtatem; eam in tua repoſui voluntate; impera Lucifero, ut quamdiu in terra vixeris, non diſſeminet hæreſes. 522. B. Virgo

Digitized by Google

ſic imperavit; & ideo factum, ut dœmones toto reſiduo tempore, quo B. Virgo in terris vixit, non fuerint auſi ullum hominem ſeducere doctrinis hæreticis.

523. Tunc Satanas ex præſentia B. Virginis fugiens cecidit in terram, ubi relaxata aliquantum catena manſit. Niſi B. Virgo viciſſet Draconem, haud dubie is impediviſſet fructum Redemptionis.

525. Per alas mulieri datas ſignificatur poteſtas B. Virgini collata, aſcendendi ad Deum, & exinde gratias in Eccleſiam diſtribuendi.

526. Per *tempus*, & *tempora*, & *dimidium temporis* ſignificantur tres anni cum dimidio, nempe 2260 dies, quibus adhuc vixit.

528. Tunc B. Virgo dimiſit è manu catenam, qua tenebat dœmonem vinctum, & juſſit, ut omnes dœmones ſtatim præcipitarentur in infernum; quod & ſine mora factum eſt. In inferno dein aliquamdiu jacuerunt cum horribili clamore. Angeli autem canebant Victrici nova Cantica. Adam & Eva gratias agebant Chriſto, quod ex ſuis poſteris unam elegerit in matrem & in reparatricem damni.

531. B. V. ad me dixit: Quamvis Chriſtus in vita & morte dœmones vicerit, ego tamen illos poſt Chriſtum in ejus nomine penitus debellavi, & per has victorias plantata eſt Eccleſia cum tanta perfectione & ſanctitate.

534. B. Virgo æmulabatur ſtatum Beatorum in cœlis, maximè verò ſtatum, quem habuit Chriſtus in terra quoad unionem cum Deo, excepta ſola viſione intuitiva; & quamvis hoc fuerit impoſſibile, videtur tamen, altitudinem ejus ſanctitatis omnia potuiſſe, quæ minora erant illo ſtatu Beatorum.

535. Deus ad B. Virginem dixit: - Habebis adhuc in ſtatu viæ toto tempore tuæ peregrinationis perpetuam viſionem mei abſtractivam; quin te ab iſta poſſint unquam perturbare creaturæ. - Sic onuſta meis theſauris divides pro tuo arbitrio fidelibus gratias, ut per te inveniant auxilium.

536.

Digitized by Google

536. Illud ſolum denegandum eſt B. Virgini, quod involvit manifeſtam contradictionem.

538. B. Virgo in viſione illa Dei abſtractiva non habuit determinatos limites, ſed quotidie crevit in cognitione eſſentiæ ac proprietatum Dei.

539. Erat vera effigies ſui filii. Habebat poteſtatem diſtribuendi theſauros gratiarum tanquam Regina & Domina.

540. Omnes ſpecies creaturarum, quæ in animam B. Virginis intraverunt per ſenſus, extinctæ fuerunt in illius anima, inquantum habebant aliquid materiale, quamvis etiam harum nullas nunquam in ſuam animam admiſerit, niſi inquantum ſervierunt ad exercitium amoris & aliarum virtutum. Loco illarum ſpecierum materialium Deus ipſi infudit alias ſpecies puriores & immateriales.

541. Hoc myſterium facile aſſequentur Docti. Nam ſpecies intrant per quinque ſenſus; dein tranſeunt ad aliam potentiam, nempe ad ſenſum communem, qui vocatur Phantaſia ſeu potentia imaginativa. In his omnibus ſumus adhuc ſimiles brutis. Ex his ſpeciebus phantaſticis Intellectus educit alias ſpecies immateriales, & vocatur *Intellectus agens.* Hinc Philoſophi dicunt, quod intellectus ad intelligendum opus habeat, ut ſe convertat àd phantaſmata.

542. Sed in B. Virgine hic ordo non obſervabatur; quia Deus illi contulit ſpecies independenter à ſpeciebus phantaſticis, quamvis has reliquerit; ita tamen, ut operationes phantaſticæ habuerint exercitium ſuum ſine influxu in ſpecies intellectuales. Cum ſpeciebus ſenſuum non operabatur in B. Virgine intellectus; cum ſpeciebus tamen phantaſticis, quæ erant in ſenſu communi, operabatur omnia, quæ pertinent ad dolores, tribulationes, & anguſtias. Itaque in illa fiebat, quod factum eſt in templo Salomonis, ubi lapides apparabantur extra templum; in ipſo autem templo non audiebatur ſonitus mallei.

543. Illæ ſpecies, quas Deus B. Virgini infudit loco phantaſtica-

ſticarum, erant longè puriores, & ſerviebant ad viſionem Dei abſtractivam; & erant ſupernaturales.

544. Illæ infuſæ ſpecies dependebant à Deo; in quo tanquam in ſpeculo vidit omnia pertinentia ad Eccleſiam, & quæ ipſi agenda aut ordinanda incumberent. Ab hoc modo intelligendi & operandi Deus excepit ea, quæ B. Virgo debuit agere ex obedientia erga Petrum & Joannem.

550. B. Virgo videns Luciferum machinari prava conſilia contra Chriſtianos in Aſia, petiit à Deo auxilium. Deus reſpondit; eam agere debere ut Reginam & Dominam. Itaque præcepit Lucifero, ut ſe præcipitaret in orcum; quod & ſine mora factum eſt.

551. Quando B. Virgo Jeroſolimâ venit Epheſum, habuit annos ætatis 54. menſes 3. dies 26. à Nativitate Chriſti erat annus 40. 6. Januarii. Epheſi morabatur annis duobus cum dimidio. Reverſa eſt Jeroſolimam anno ætatis ſuæ 56. menſium 2. ſecundo Julii; anno à Nativitate 42. Concilium Jeroſolimitanum celebrabatur duobus menſibus, poſtquam Epheſo Jeroſolimam redierat; ita ut tunc jam compleverit annum ætatis 57. Dein ſecuta eſt pugna, & triumphus & ille ſtatus, de quo dictum, anno Chriſti 42. menſibus 9, qui ſtatus duravit diebus 2260.

552. B. Virgo ad me dixit: Nullus quidem homo excuſatur ab imitatione mei filii, & mei; elegit tamen Deus quasdam animas ſpecialiter, qui perfectius imitentur meam & mei filii vitam.

555. Eadem ad me dixit: Precare Deum, ut non ſinat animo tuo illabi ullam ſpeciem rei mundanæ aut terrenæ. Circa ſpecies autem creaturarum, ad quas te obligat amor Dei aut proximi, nullam admitte, niſi qua indiſpenſabiliter indiges. Precare Deum, ut in te omnes ſpecies rerum inutilium extinguantur.

557. Revelatum mihi fuit, quid B. Virgo operata fuerit in quatuor Evangeliſtis ad deſcribenda quatuor Evangelia. Quotidie proſtrata in terram rogavit Deum pro impetrando illis lumine.

558. Quando è cœlo rediit in terram pro regimine Eccleſiæ, Deus

Deus ipſi manifeſtavit, jam eſſe tempus ad conſcribenda Evangelia, juſſitque, ut eorundem conſcriptionem ordinaret. Sed obtinuit à Deo, ut hoc ordinaretur à Petro. Hic proin in Concilio Jeroſolimitano juſſit conſcribi vitam Chriſti.

559. Perſolutis precibus pro illuſtratione, cui deferenda ea conſcriptio, deſcendit lux in Petrum cum hac voce: Caput Eccleſiæ quatuor Scriptores eligat. Tunc Petrus dixit: **Mathæus ſtatim incipiat - Marcus ſit ſecundus - Lucas ſit tertius - Joannes ſit quartus -** Durante hac determinatione conſtanter lumen manſit ſupra Petrum.

560. Paucis poſtea diebus S. Mathæus incepturus ſuum Evangelium in aliquo cubiculo Cœnaculi domûs rogavit noctu Deum pro obtinendo lumine. In ea oratione apparuit ipſi januis clauſis B. Virgo, ſedens in throno ſplendido, ac dicens: Miſit me Deus ad impertiendam tibi benedictionem pro ſcribendo Evangelio - de me non convenit alia ſcribere, niſi quæ neceſſaria ſunt ad deſcribenda myſteria Verbi - veniet tempus, quo manifeſtabuntur etiam beneficia mihi collata. Dein S. Mathæus contulit cum B. Virginie ordinem obſervandum in conſcribendo Evangelio, quod & inchoavit in ejus præſentia, deſcendente ſimul ſupra caput ſuum in viſibili ſpecie Spiritu Sancto. Diſparente B. Virgine proſecutus eſt ſuam hiſtoriam Evangelicam in lingua Hebraica anno à Nativitate Chriſti 42.

561. Poſt quatuor annos, nempe anno à N. C. 46. ſcripſit S. Marcus ſuum Evangelium in lingua Hebraica. Antequam incepit, rogavit ſuum angelum cuſtodem, ut de hoc moneret B. Virginem; quæ ſtatim ipſi apparuit, ut S. Mathæo, in majeſtate, & juſſit, ne deſcriberet res ad ſe pertinentes. Tunc Marcus circumfuſus cœleſti luce in præſentia B. Virginis inchoavit ſuum Evangelium. S. Hieronymus aſſerit, quod S. Marcus ſuum Evangelium ſcripſerit Romæ ad inſtantiam fidelium. Sed hoc ſolùm intelligen-

dum eſt de verſione latina ſui Evangelii Hebraici ſcripti in Palæſtina.

562. Poſt duos annos, nempe anno à N. C. 48. ſcripſit S. Lucas ſuum Evangelium in lingua Græca in Achaia. Apparuit ipſi quoque initio ſcriptionis B. Virgo, cum qua ſcribenda contulit; & venit ſuper eum quoque Spiritus Sanctus, uti ſupra cæteros Evangeliſtas.

563. S. Joannes ſcripſit ſuum Evangelium in lingua græca in Minore Aſia anno à Nativitate Chriſti quinquageſimo octavo, poſt mortem B. Virginis, & contra hæreſes.

564. Tunc apparuit ipſi è cœlo B. Virgo, dicens - Hoc ergo fuit initium quatuor Evangeliorum, ut Eccleſia agnoſcat ſe omnes has gratias ac beneficia accepiſſe per B. Virginem.

566. B. Virgo de novo præcepit angelis, ut ſerviant apoſtolis, & ut ad ſe referrent de illorum neceſſitatibus, ac veſtimentis. Curabat enim tota ſua vita, ut apoſtoli habeant eandem formam veſtium, & ejuſdem coloris, qualem habuerat Chriſtus. Ipſa conficiebat ipſis togas propriis manibus, adjuvantibus angelis.

567. Angeli ex mandato B. Virginis interdum viſebant apoſtolis viſibiliter; interdum liberabant eos ex carceribus; interdum miniſtrabant illis bonas inſpirationes; interdum portabant eos ab uno loco ad alterum. Nullus tranſibat dies, aut nox, quibus non operata eſt varia miracula in bonum apoſtolorum & Eccleſiæ. Interdum ſcribebat apoſtolis doctrinas divinas, quibus eos conſolabatur & animabat.

568. Nec tantùm eos conſolabatur per epiſtolas propria manu ſcriptas, ſed etiam ſæpius iis apparebat, quando eam invocabant. Sic apparuit Petro, Antiochiæ ſentienti difficultatem. 569. Ob reverentiam erga Caput Eccleſiæ deſcendit è throno, in quo apparuit, & contulit cum ipſo de negotiis Eccleſiæ, præſertim de inſtituendis quibuſdam Feſtis. Sic etiam apparuit ipſi Romæ, ubi ſtatuerunt, ut Petrus inſtituat Romæ Feſtum Nativitatis Chriſti, & Feſtum

Digitized by Google

Feſtum Paſſionis, & Feſtum Cœnæ Domini. A. S. Petro etiam inſtitutæ fuerunt Dominicæ, Aſcenſio Chriſti, Penteeoſte, & cæremoniæ, quæ in hunc usque diem in Eccleſia obſervantur. Omnia autem hæc facta ſunt ex ordinatione, & cum conſilio B. Virginis. Petrus dein profectus eſt in Hiſpaniam, & luſtratis Eccleſiis à S. Jacobo fundatis reverſus eſt Romam.

570. Alia vice S. Petrus ſuis angelis tutelaribus præcepit, ut de ſua quadam afflictione referrent ad B. Virginem; ſed Chriſtus angelis mandavit, ut ipſummet Petrum Româ transferrent Jeroſolimam in Cœnaculum ad B. V. quod ſtatim factum eſt.

571. B. Virgo, poſtquam S. Petrum circa varia inſtruxit, proſtrata expanſis manibus in terram more ſolito rogavit Deum, ut mitigetur Romæ perſecutio. Petrus reportatus per angelos Romam invenit res in meliori ſtatu; & Conſules Romani ſtatim dederunt licentiam profitendi Chriſtianam Legem. Ex miraculis hucusque recenſitis colligi poterit, quanta miracula B. Virgo operata fuerit in gubernatione apoſtolorum & Eccleſiæ. Nam ſi omnia conſcriberentur, pluribus libris opus foret, quam continentur lineæ in hac hiſtoria.

572. B. Virgo ad me dixit: Non decet, ut Sacerdotes ſint famuli mulierum, & ut coram his ſtent detecto capite -

575. B. Virgo non commiſit ullam negligentiam in regimine Eccleſiæ.

576. Species de paſſione Chriſti in corde B. Virginis manſerunt tam vivæ ſemper, ac fuerunt in actuali paſſione, quia hanc gratiam petiit à Deo.

579. Si B. Virgo toto vitæ ſuæ tempore nullum aliud habuiſſet exercitium, quàm paſſionis Dominicæ, per hoc ſolum plus merita fuiſſet, quàm omnes Sancti & Martyres ſuis laboribus & paſſionibus. Ipſa per amorem, & dolores, quos in ejusmodi exercitio ſenſit, ſæpe Martyr effecta eſt, quia ſæpius per eosdem obiisſet, niſi fuiſſet ſupernaturaliter conſervata. Si ergo hæc omnia obtulit

tulit pro Eccleſia, prout reipſa fecit, conſideremus, quanta illi debeamus. Sæpe in ea meditatione paſſionis fudit ſanguineas lachrimas; ſæpe ſudavit præ anguſtia ſanguineum ſudorem. Aliquoties ejus cor præ magnitudine doloris emotum eſt è ſuo naturali loco; & tunc deſcendebat ejus filius de cœlo, ut B. Virgini inſpiraret novum vigorem & vitam.

580. Ab his operationibus & ſenſationibus Deus ſolùm excepit eos dies, quibus B. Virgo celebrabat myſteria Reſurrectionis. Ut verò ejusmodi diebus, quibus patiebatur, in negotiis nihil negligeretur, conſtituit ſui loco aliquem angelum, qui ejus perſonam aſſumebat, & determinabat, quæ non poterant differri. Pro exercitio autem præfato B. Virgo diebus Jovis hora quinta veſpertina ingrediebatur ſuum cubiculum; nec egrediebatur usque ad meridiem Dominicæ.

581. Tunc ſentiebat B. Virgo in ſuo corpore eosdem dolores, quos ſenſit in paſſione Chriſtus, & eo tempore, quo ſingulos paſſus eſt. Portabat quoque crucem, & affigebat ſe cruci. Hoc modo ſingulis hebdomadis quamdiu vixit, renovavit in ſe paſſionem filii. Per hoc exercitium promeruit magnas gratias devotis erga paſſionem Dominicam, iisque promiſit ſpeciale auxilium & participationem theſaurorum paſſionis Dominicæ.

582. Cum B. Virgo ſemper habuerit in corde præſentem Chriſtum ſub ſpeciebus Euchariſticis, miſit Chriſtus è cœlo multos angelos in terram ad videndum hoc miraculum, & laudandum Deum.

585. Quamvis tunc in Miſſa non dicerentur Epiſtola & Evangelium, utpote nondum ſcriptas dicebantur tamen multi Pſalmi, & aliæ preces cum variis cæremoniis. Conſecratio tamen ſemper erat eadem.

586. B. Virgo agnovit, neceſſarium eſſe, ut Sacerdotes in Miſſa uterentur aliis veſtibus, quàm in uſu communi. Ideo propriis manibus confecit ornatum Eccleſiaſticum, non quidem omnino ſimilem formæ modernæ, non tamen multùm abſimilem. Materia

Digitized by Google

teria autem erat ſatis conformis cum moderna, nempe de lineo, & de pretioſis operis. Adjuvabant eam in hoc angeli.

587. Ex regnis, in quibus prædicarunt Apoſtoli, venerunt multi fideles, ut viderent B. Virginem. Inter hos erant quatuor principes, afferentes B. Virgini pretioſa dona. Horum aliqua impendit ad ornatus Eccleſiaſticos, & pro Hoſpitalibus.

590. Ultimis annis B. Virgo pro ſomno tantùm impendit dimidiam horam, vel ad ſummum unam horam. Cibus erat fruſtulum panis, & interdum piſcis. Somnum verò & cibum admiſit non pro neceſſitate, ſed ex obedientia erga S. Joannem; quia potuiſſet vivere ſine ſomno & cibo.

595. B. Virgo anno 45 à N. C. habebat annos ætatis 60. duos menſes.

598. B. Virgine patiente deliquium amoris Chriſtus ad eam deſcendit de cœlo. Tunc angeli eam duxerunt in cœlum & collocaverunt in throno ad latus filii. B. Virgo manſit ſemper ad latus Humanitatis Chriſti.

601. Tunc Chriſtus ſtatuit, quod ex eo die omni Dominica B. Virgo debeat portari in cœlum, ut ibi celebret Reſurrectionem Domini præſentiâ corporis & animæ.

603. Tunc habuit viſionem Dei beatificam per aliquot horas; & ſic fruita eſt eſſentiali beatitudine copioſius quàm omnes Sancti. Ex eo die ſemper, quamdiu vixit, omni Dominica finito exercitio paſſionis hora duodecima noctis portata eſt ab angelis in cœlum. Ea occaſione Angeli ipſi canebant illum Hymnum; *Regina cœli Letare Alleluja.*

604. Omnia quæ erant poſſibilia & decentia filius quaſi debebat ſuæ matri.

606. Semel S. Joannes ſic occupabatur concionando, ut tranſierit hora communionis. B. Virgo proin conſultabat cum angelis, quid agendum? Reſpondebant, eſſe exequendum, quod filius præceperat. Tunc ivit quidam angelus ad S. Joannem, in viſibili

Digitized by Google

ſpecie dicens: Deus vult, ut noſtra Regina quotidie communicet. Tunc S. Joannes ſtatim reverſus in Cœnaculum -

607. Eo momento, quo accepit ſpecies Sacramentales in corde, ſub illis illi apparuit Chriſtus in ea ætate, in qua inſtituit SS. Sacramentum, & in gloria. Hac viſione gavиſa eſt per tres horas; & in ea ſupplevit omnem torporem fidelium in recipiendo SS. Sacramento. Quod ſi B. Virgo hunc defectum non ſuppleviſſet, nunquam Eccleſia exhibuiſſet ſufficientem gratitudinem pro inſtitutione hujus SS. Sacramenti, nec Dominus pro hoc beneficio accepiſſet competentem ſatisfactionem.

611. Omnes honorum tituli & officia Reginæ, Dominæ, gubernatricis, matris, & Magiſtræ in ea plenitudine gratiarum B. Virgini collata ſunt, in qua omnipotentiæ divinæ id erat poſſibile - tanquam mater agnoſcebat omnes filios & domeſticos Eccleſiæ ſine exceptione usque ad finem mundi. Tanquam gubernatrix agnoſcebat omnia corda ſubditorum, ut omni tempore Eccleſia poſſit regi ejus interceſſione.

612. Multas cæremonias docuit Apoſtolos, ut eas introducerent in Eccleſiam. Invenit multa Exercitia pietatis, quæ poſtea fuerunt recepta in Eccleſiis, Congregationibus, & Ordinibus Religioſis. Sic celebrabat ſolennius Feſtum ſuæ Immaculatæ Conceptionis, & ſuæ Nativitatis, quæ duo feſta jam cœpit celebrare à tempore Incarnationis.

613. Feſtum ſuæ Immaculatæ Conceptionis celebrabat quovis anno die octavo Decembris. Ita inflammabatur amore Dei, ut ſemper debuerit à Deo confortari ne moreretur.

615. In hoc feſto Chriſtus ad eam deſcendit de cœlo; tunc ab angelis in throno fuit portata in cœlum, ubi hoc feſtum ſolennius celebrabatur - ibi habuit viſionem Dei intuitivam beatificam aliquot horis. Nunc hoc feſtum in cœlo octavo die Decembris alio modo celebratur; de quo loquar in alio libro, quem juſſus ſum ſcribere de Jeroſolima Triumphante, ſi Deus mihi dederit, ut poſſim hunc librum ſcribere. 616. 617.

Digitized by Google

617. Feſtum ſuæ Nativitatis celebrabat die octavo Septembris. 618. Chriſtus tunc ad eam deſcendit è cœlo cum angelis, Patriarchis, & Prophetis; & eam collocavit in throno ad ſuam dexteram.

620. B. V. ad me dixit: Concedo & affirmo, quod ſis ineptiſſima ad ſcribendam hanc hiſtoriam. Sed ſcias, quod hæc hiſtoria non dependeat ab Inſtrumento, ſed ab ejus Authore, nempe à ſuprema Veritate, in qua omnia continentur, quæ ſcribis; quibus proin nec perfectiſſimus ex Seraphinis poſſet quidquam addere, nec tu poteris quidquam detrahere.

621. Exurgit hinc major Dei gloria, ſi fœmina ſcribat hanc hiſtoriam, quæ nil poſſit contribuere ex ſcientia & induſtria propria. Omnes agnoſcent, quod hæc hiſtoria non ſit opus tuum, & quod eam tam parum poſſis tibi attribuere, quam tuus calamus. Eſt tantum inſtrumentum manus Omnipotentis, & Interpres meorum verborum.

622. Eadem ad me dixit: Omnes gratiæ, quas meus filius Sanctis promeruit, fuerunt primariò ordinatæ ad ejus gloriam, dein ad meam.

623. Eadem dixit: Sciunt Docti & devoti, & ita doctum fuit in mea Eccleſia, quod regula ac menſura pro dimetiendis gratiis ac beneficiis mihi à Deo collatis nulla alia ſit quàm Omnipotentia Dei, & mea capacitas; quia omnes mihi contulit gratias, quas ego potui recipere, & quas ille potuit dare. Ex gratiæ ſemper tantùm fructus tulerunt in me, quantum in pura creatura potuerunt fructificare.

626. Ad has B. Virginis curas acceſſit cura regiminis Eccleſiarum, & inſtructionis Apoſtolorum.

628. Angeli interdum ad B. Virginem dixerunt: Tu es Magiſtra Eccleſiæ, & reparatrix generis humani.

631. In feſto Præſentationis, quod annuatim celebrabat, collocabatur ab angelis ad dexteram Filii. 633. Celebravit etiam feſtum SS. Joachim & Annæ. 634. Et S. Joſephi, ac Deſponſationis.

635.

Digitized by Google

635. In his feſtivitatibus, quamdiu Chriſtus adhuc verſabatur in terra, ſemper ipſi apparuit glorioſus, ut contigit in monte Thabor. In his quoque feſtis ſemper præcepit S. Joanni, ut ad ſe adduceret pauperrimos, quibus genuflexa miniſtrabat cibos.

644. Myſterium Incarnationis tam vivaciter gerebat impreſſum memoriæ, ut ejus nunquam fuerit oblita, aut illud recogitare deſtiterit, ne unico quidem momento. 645. Hanc devotionem cœpit die decimo octavo Martii, eamque continuavit per novem ſubſequentes dies ſine cibo & potu.

647. Tunc deſcendit ad eam filius de cœlo; & ab angelis portatur in cœlum, ubi collocatur in throno ad dexteram Filii. Iſta deportatio in cœlum contigit ſingulis diebus per hanc Novennam; & ſingulis diebus in ea renovabatur ſcientia rerum hujus mundi. 648. 649. Primo die in ea renovabatur ſcientia operum creationis factæ primo die. Secundo die agnovit opera creata ſecundo die -

650. Singulis diebus hujus Novennæ compoſuit novum Canticum correſpondens diei creationis. Singulis quoque diebus elevabatur ad nova dona, & participationem Deitatis; & conferebatur ipſi nova poteſtas ſeu Dominium.

651. Dein ſeptimo die media nocte portatur in cœlum, ubi à Seraphinis induitur clamide, cingulo, armillis -

652. Collocatur ſic ornata ad dexteram filii.

654. Ibi ſuis precibus impetravit & promeruit omnes gratias, quæ unquam omnibus hominibus ac ſingulis fuerunt collatæ & conferentur ab origine usque ad finem mundi.

655. In omnibus feſtis, quæ celebravit, obtinuit converſionem innumerarum animarum. Fuit mihi ſpecialiter revelatum, quod in diebus, in quibus celebravit feſtum Incarnationis ſemper liberaverit omnes animas è purgatorio, in quod ut Regina omnium creaturarum è cœlo ablegavit angelos.

656.

656. Feſtum Nativitatis Domini inchoavit more ſolito Canticis. Deſcendit ad eam Chriſtus è cœlo, ut in aliis feſtis. Dein elevata fuit ab angelis è terra, & collocata à dextris ſui filii. Ab angelis decantabatur *Gloria in Excelſis Deo*. Tunc Chriſtus ipſi de novo conceſſit, ut ſit diſpenſatrix omnium gratiarum Dei, & ut eas poſſit diſtribuere pro ſuo arbitrio. Hoc ſuum Officium etiam adminiſtravit mira ſapientia in bonum Eccleſiæ.

657. B. V. ad me dixit: Memento, quod me privaverim viſione intuitiva Dei ad regendam Eccleſiam. - Per hoc, quod Deus ex me ſuſcepit humanam naturam, tantam erga me contraxit, (ut ſic dicam) obligationem, ut hanc nunquam potuiſſet ſolvere, niſi omnia in me fuiſſet operatus, quæ ejus omnipotentia potuit communicare, & quæ ego potui recipere.

663. Ejus divina ſcientia & amor aſcendit ad ſummum, quantum in pura creatura fuit poſſibile. Hinc ardentiſſimè deſideravit, ut nullus damnaretur eorum, qui ſunt prædeſtinati. Mortua fuisſet præ amore omni horâ, niſi omnipotentia Dei eam ſervaſſet. 664.

665. Chriſtus eam conſtituit in ſuam ſupremam Eleemoſinariam, & in ejus arbitrio conſtituit diſtributionem theſaurorum miſericordiæ & gratiarum, ut eos diſtribuat illis animabus, quibus ſcit eos convenientiſſimè diſtribui poſſe.

667. 670. Celebrabat etiam Oblationem trium Regum, & Baptiſmum Chriſti, & ejus quadragenarium jejunium, quo tempore per 40 dies nec dormiebat, nec comedebat, nec loquebatur cum alio, niſi cum S. Joanne de negotiis concernentibus regimen Eccleſiæ.

671. Ad finem hujus quadrageſimæ Chriſtus eam recreabat convivio, quale ipſi appararunt in deſerto angeli. Chriſtus propria manu ei miniſtrabat cibos.

672. Ut ego credam, quæ de B. Virgine ſcribo, mihi ſufficit lumen, in quo iſta cognoſco. Si quis potuit permovere Chriſtum

Digitized by Google

ad continuandum beneficium Sacramenti Euchariſtiæ, erat certè B. Virgo, propter quam ſpecialiſſimè illud inſtituit.

674. Singulis annis in Paraſceve tribus horis pependit in cruce ad imitationem Chriſti.

679. B. V. ad me dixit: Ut tuæ ſubditæ ſciant, qualiter in Sacra Solitudine ſe habeant, volo, ut conſcribas ſpecialem librum, in quo illis conſtituas diſtributionem actionum & temporis; ita tamen, ut quæ in his Exercitiis Sacris verſantur, non ſe ſubtrahant à communitate. &c.

680. Sic decuit, ut Chriſto reverſo ad Patrem B. Virgo remaneret in Eccleſia, ut per ejus ſollicitudinem & merita efficax executio redemptionis fieret, & ut ad partum perveniret atque in lucem proferretur paſſio & mors filii.

681. B. Virgo applicans theſaurum paſſionis filii propriis meritis & induſtriis emit agrum, in quo filius plantavit ſuam vineam, Eccleſiam. - Eadem ſæpe fuit portata in cœlum, quia ſic fuit poſſibile, & decuit.

683. Iterum B. Virgo à Seraphinis fuit portata in cœlum, & collocata in throno Humanitatis filii. 684.

685. Poſt hæc deſcendit de cœlo, & fecit mira Cantica. Tunc iterum fuit portata in cœlum & collocata ad dexteram filii, & donata viſione intuitiva beatifica Dei. Obſervo, quod omnibus annis in ejuſmodi raptu in feſto Aſcenſionis fuerit interrogata: an velit manere in cœlo, an verò redire in terram? & reſpondit: ſe velle redire -

686. Itaque B. Virgo ſe non una tantum vice, ſed ſæpe ſe privavit viſione beatifica, ut deſcenderet in terram pro regimine Eccleſiæ. - Repoſita ipſi interea fuerunt prœmia, ut poſtea in fruitione æqualis eſſet Humanitati ſui filii in aliquo gradu ſibi poſſibili. - Dein ſubſecutæ ſunt preces B. Virginis, quibus oravit pro exaltatione divini nominis, pro incremento Eccleſiæ, pro converſione mundi, & pro victoria contra dœmones. Omnes hæ preces

Digitized by Google

ces fuerunt exauditæ eô modô, quo evenerunt omnia & evenient uſque ad finem mundi.

687. Singulis annis Spiritus Sanctus viſibiliter in ſpecie ignis & cum fragore in Pentecoſte deſcendit in caput B. Virginis, quamvis hoc non omnibus fuerit manifeſtum. - Tunc rogabat Spiritum Sanctum, ut ſuas influentias gratiarum præſentibus & futuris temporibus in Eccleſia communicet, neque eas omittat ob peccata hominum. - In omnes has preces conſenſit Spiritus Sanctus; & fructum ſenſit, ac ſentiet Eccleſia uſque ad finem mundi.

688. Celebravit præterea alia duo feſta, nempe SS. Angelorum, & omnium Sanctorum. In illo innumeri Angeli habuerunt Chorum in ejus Cubiculo toto die, canentes laudem Deo, quod eam fecerit reparatricem generis humani.

691. Parum aut nihil dixi comparativè ad ea, quæ mihi fuerunt declarata. Nec de iis, quæ mihi fuerunt revelata, poſſum præbere ſufficientem notitiam. - Omnia tormenta Martyrum haberent ſufficiens prœmium, dummodo daretur videre B. Virginem ad dexteram ſui filii.

694. B.V. ad me dixit: Accumulabam curas in regimine Eccleſiæ.

697. Complevit annum ætatis 67.

698. Fuit tot annis plantatrix & magiſtra Eccleſiæ.

699. Gabriel deſcendit in cubiculum B. Virginis, expanſis manibus orantis pro peccatoribus. Alii angeli comitantes habebant candidas veſtes, coronas in capitibus, & palmas in manibus. Tunc ſalutavit eam S. Gabriel his verbis: *Ave Maria. - Tres anni tibi adhuc ſuperſunt* pro hac vita.

700. Dein per duas horas cum angelis celebrat Chorum.

701. Recedentibus angelis projecit ſe in terram, quam complexa ait: O terra, tibi debitas refero gratias, quia me ſine ullo meo merito annis 67 portaſti. Rogo te, ut me adjuves reſiduo vitæ tempore ut per te perveniam ad meum ultimum finem - Dein converſa ad alias creaturas ait: O Cœli, Planetæ, Stellæ, elementa,

ta, gratias vobis ago, quod veſtris influentiis cooperati fueritis ad meam conſervationem vitæ; adjuvate me, ut eam emendem.

705. Tribus ultimis annis vitæ B. V. jam tota natura incepit ſentire dolorem, & luctum, & mœrore anticipare mortem illius, quæ ſua vita omnibus creaturis pulchritudinem & perfectionem contulit. - Cœli, Stellæ, Planetæ tunc inceperunt multum deperdere ſuæ pulchritudinis & ſplendoris, ſicut minuitur dies ingruente nocte. Aves duobus ultimis annis ejus vitæ dederunt ſigna ſpecialis triſtitiæ; circumvolitabant cubiculum B. Virginis, & loco cantûs edebant lugubres voces -

706. Similem luctum monſtrabant feræ; nam cum ſemel viſitaret loca ſacra, cingebatur in monte Calvario à multis feris concurrentibus ex variis ſilvis & montibus. Aliqua ex illis ſe proſternebant in terram; alia inclinabant ſua capita, omnia lamentabantur & ſuſpirabant. Sex ultimis menſibus ſol, luna, & ſtellæ lucebant minori lumine, quàm hactenus conſueverant. In die verò obitûs totaliter obſcurabantur, ſicut contigit in morte Chriſti. Et quamvis multi docti viri hanc mutationem in cœlo obſervaverint, iis tamen cauſa erat incognita. Apoſtoli tamen, & Diſcipuli, qui interfuerunt morti B. Virginis, hanc cauſam agnoverunt.

707. Ex eo tempore fideles oſculabantur terram, ubi B. Virgo veſtigia poſuit.

709. Duobus ultimis annis omnibus ægris & miſeris ad ſe venientibus contulit ſanitatem animæ & corporis tanquam Domina vitæ & mortis, & theſauraria divitiarum Dei.

710. Magiſtra Eccleſiæ.

718. Quotieſcunque communicabat, circumdabatur miro ſplendore, omnibus id videntibus.

719. Fuiſſet mortua præ amore, niſi Deus vim inhibuiſſet.

720. Chriſtus ad B. Virginem dixit: In cœlo eris Mediatrix, & omnes, qui tua interceſſione digni erunt, implebo meis theſauris. - Tunc B. Virgo præcepit angelis, ut protegant loca Sacra. -

Si

Digitized by Google

Si hæc gratia non fuiſſet perdita ob peccata, non inhonorarentur à gentilibus.

722. B. Virgo Eccleſiam alloquens dixit: Tu es Domina gentium, cui debetur omnis honor ab omnibus.

724. B. Virgo condens ultimam voluntatem dixit: - Cœlis, Stellis, Planetis, & elementis, & omnibus creaturis gratias ago, quia me conſervarunt. - Omnium meorum meritorum & theſaurorum hæredem facio Eccleſiam, meam Dominam. -

725. Chriſtus confirmans hoc teſtamentum ſcripſit in corde B. Virginis hæc verba: *Fiat, ut petis, & ordinas.*

730. B. Virgo ad me dixit: Chriſtus poſt ſuam Aſcenſionem me in terra reliquit, ut meis meritis & præſentia Eccleſiam plantem & regam. Ipſe juſſit, ut ejus curam geram tanquam mater & Domina.

731. Eadem ad me dixit: Deus te elegit in Secretariam ſuorum myſteriorum.

732. Tribus diebus ante obitum B. Virginis convenerunt in Cœnaculo omnes Apoſtoli, quia eò deportabantur ab angelis. Primus eò fuit Româ deportatus Petrus.

734. Alii aliquot ex Apoſtolis ex inſtinctu interno venerunt Jeroſolimam. - Petrus illis dixit: Deus vult nobis tollere noſtram Magiſtram.

736. B. Virgo in ea ætate 69 annorum erat ejusdem formæ in corpore, cujus erat anno ætatis 33; neque enim erat emacerata, neque rugatæ frontis, ut ſolet accidere aliis hominibus.

740. In illo ultimo articulo cœleſtis odor, & angelica muſica diffundebatur etiam in plateam. Cœnaculum replebatur ſplendore, quem omnes viderunt. In teſtimonium hujus miraculi factus eſt magnus concurſus populi in Jeruſalem in plateis.

741. Mors B. Virginis ſic contigit; Deus ſuſpendit ſuum perpetuum miraculum, quo limitavit vim amoris in B. Virgine. Itaque ceſſante retinaculo amor deſiccavit humorem naturalem in ejus corde, & obiit.

742. Illa mors contigit die Veneris circa horam tertiam pomeridianam, qua & Chriſtus exſpiravit; decimo tertio menſis Auguſti anno ætatis ejus 69 completo; & ſeptuageſimo, demptis diebus 26. poſt mortem Chriſti vixit annos 21. menſes 4. dies 19. poſt Nativitatem Chriſti erat annus 55. Quando autem peperit Chriſtum, habuit annos ætatis 15, menſes 3, dies 17.

743. In hac morte ſol aliquot horis obſcuratus fuit in teſtimonium luctûs. Ad domum Cœnaculi convolarunt multæ aves in teſtimonium luctûs, & ſuis lugubribus cantibus omnes commoverunt ad luctum. Omnes ægri advenientes retulerunt ſanitatem; & ex purgatorio tunc fuerunt liberatæ omnes animæ. Maximum miraculum erat, quod tres perſonæ, vir, & duæ fœminæ, eodem momento Jeroſolimis in peccato ſine pœnitentia mortuæ per interceſſionem B. Virginis redierint ad vitam & pœnitentiam.

744. B. Virgo ad me dixit: Quia ultrò exemplô mei filii elegi mortem, obtinui hanc gratiam, ut omnes, qui me in articulo mortis invocaverint, ſumere poſſim in meam protectionem contra dœmones; ut eos poſſim præſentare coram divino tribunali, & ibi pro eis advocare. Præterea mihi promiſit Dominus, quod præfatis meis Clientibus velit impertiri magnum auxilium pro felici morte. Itaque renova in te memoriam de myſterio meæ mortis, & ſic permovebis Dominum & me, ut tibi opitulemur in morte.

748. Volebant Apoſtoli per duas puellas, quæ hæreditabant duas togas B. Virginis, inungere ejus Corpus; ſed fuerunt impeditæ ſplendore, quo erat circumdata.

749. Audiebatur etiam Muſica angelorum canentium: *Ave Maria, gratia plena, Dominus tecum.* Alii angeli reſpondebant: Virgo ante partum, in partu, & poſt partum. Ex eo tempore in primitiva Eccleſia inter fideles introductus eſt mos ſic laudandi B. Virginem, & per traditionem ad nos pervenit.

750. Apoſtoli deponentes corpus B. Virginis non ſenſerunt pondus ullum; nec aliud tactu ſenſerunt, quàm ſolam togam. Nec

in

Digitized by Google

in vita, nec poſt mortem permiſit Deus videri quidpiam de corpore B. Virginis, niſi ſolùm caput & manus.

751. Chriſtus non habuit tantam curam proprii corporis, ut habuit de corpore ſuæ Matris. B. Virgo rogavit Dominum, ut ſuum corpus poſt mortem à nullo videretur, quod & obtinuit. Ad Sepulturam convenit magna multitudo fidelium cum candelis, quarum nulla vel minimum conſumebatur, quamvis per triduum manſerint accenſæ.

752. Deus commovit corda incolarum Jeroſolimæ, ut omnes, vix ullo etiam gentilium ac Judæorum excepto, aſſiſterent Sepulturæ. Mille angeli cuſtodes B. Virginis præcedebant canentes, quorum Muſica audiebatur ab Apoſtolis & Diſcipulis, & multis aliis. E cœlo ad Sepulturam deſcenderunt multæ Legiones Angelorum cum Patriarchis, Prophetis, -

753. In via ad Sepulchrum contigerunt multa miracula, ad quorum enarrationem requireretur multum temporis. Omnes ægri, quorum magna multitudo convenerat, ſanabantur; multi obſeſſi liberabantur; multi Judæorum & gentilium convertebantur.

754. Ad tumulum B. Virginis permanſit integro anno ſuaviſſimus odor; in Oratorio autem illius manſit multis annis.

755. Aves quoque, & feræ ad ejus Sepulchrum ex montibus & ſylvis convenientes luctum monſtrârunt; ſolùm aliqui gentiles & Judæi non dederunt ſignum in morte ſuæ mediatricis.

762. Sola B. Virgo non habuit debitum ſubeundi judicium particulare; neque ab illa fuit exacta ratio ejus actionum, & donorum acceptorum. Ob hanc cauſam in extremo judicio non judicabitur, ut cæteri homines, ſed veniet ſedens ad dexteram ſui filii, ut cum eo judicet omnes creaturas. - Humanitas Chriſti ad Patrem dixit: Cum mea mater in vita ſemper fuerit mihi conformis, in gradu abſolutè poſſibili, decet, ut etiam mihi ſit conformis in gloria, & in ſede ſuper thronum majeſtatis noſtræ, ut ibi ſit ſumma participatio, ubi eſt eſſentialis ſanctitas.

763.

Google

763. Tunc B. Virgo collocata fuit ad dexteram ſui filii, & in throno Trinitatis, quo nunquam pertinget ullus Angelorum; & hæc eſt ſumma Excellentia illius, quod ſedeat ut Domina in ipſo throno trium perſonarum, ubi omnes alii comparent ut ſervi. - Ipſa plus poſſidet de divinis perfectionibus, quàm omnes Sancti.

764. Exiit quaſi à Patre vox, dicens: - Ipſa ſola meruit ſedem in throno noſtræ Majeſtatis.

765. Tertio die juſſit Deus, ut anima B. Virginis regrediatur ad corpus, idque vivificet, ut ſic in corpore & anima ſedeat ad dexteram filii. Tunc multæ Legiones angelorum comitatæ fuerunt animam B. Virginis in vallem Joſaphat cum Patriarchis & Prophetis.

766. Tunc Dominus allocutus eſt Sanctos dicens: Mater mea ſine macula concepta eſt - mea caro eſt ipſius caro; & ipſa mihi cooperata eſt in operibus redemptionis. Hinc debeo eam ſuſcitare à mortuis, ſicut ego ſurrexi, eadem die & hora.

767. Itaque ſurrexit immoto lapide Sepulchri, quo tegebatur. In ſepulchro remanſit ſola toga & linteamina.

768. Hæc Reſurrectio contigit in die Dominico media nocte.

769. Sic cum corpore & anima attigit thronum Trinitatis.

775. Hic tamen thronus non eſt materialis, quia Deus eſt immenſus.

776. B. Virgo tamen poſſidet gloriam in gradu inferiori, quàm humanitas Chriſti.

777. Pater æternus dixit: Ipſa habet jus ad noſtrum regnum, cujus coronetur in Reginam. Verbum dixit: Ad meam matrem ſpectant omnes creaturæ -

778. Exiit vox de throno dicens: Tu eris Domina omnium hominum, habens poteſtatem in vitam eorum & mortem. Eris Rectrix militantis Eccleſiæ & magiſtra. Si te homines ex corde invocaverint, auxiliaberis eis. Eris Præfecta omnium juſtorum, omnes replebis bonis juxta modum devotionis, quam erga te habent. Te conſtituimus in cuſtodem noſtrarum divitiarum, & in theſau-

theſaurariam noſtrorum bonorum. In tuas manus reponimus omnia media & auxilia noſtræ gratiæ, ut ea diſtribuas. Nihil concedemus mundo, niſi per tuas manus; & nihil denegabimus, quod tu concedis. In tuis labiis ſe diffundet gratia in omnes quidquid petieris, & in cœlo ſeu terra ordinaveris. In omnibus tibi obedient angeli & homines; quia omnia noſtra tua ſunt, ſicut ſemper fuiſti noſtra. Reges nobiſcum in æternum.

779. Tunc Deus præcepit omnibus cœli incolis, ut omnes præſtent ſuæ Reginæ homagium.

780. Reſurrectio, Aſcenſio, & Coronatio B. Virginis contigit die Dominica, decimoquinto Auguſti. Ejus corpus jacuit triginta ſex horis in Sepulchro; idque factum anno quinquageſimo quinto à Nativitate Chriſti, poſtquam hic annus compleverat menſes præcedentes Menſem Auguſtum.

781. Petrus in præſentia Apoſtolorum vult, ut hoc miraculum Aſſumptionis in cœlum publicetur Eccleſiæ. Tunc aperiunt Sepulchrum, & inveniunt ſolam togam; & canunt Hymnos in honorem JESU & Mariæ.

782. Tunc deſcendit angelus de cœlo dicens: Viri Galilæi, quid miramini? veſtra Regina reſurrexit, & cum corpore & anima vivit in cœlo -. Sic confortabantur Apoſtoli in eorum itineribus, præſertim in hora Martyrii, in qua B. Virgo omnibus apparuit. Alia, quæ narrantur de Aſſumptione B. Virginis, mihi non fuerunt revelata, & ideo illa prætereo.

784. B. V. ad me dixit: Eccleſia omni tempore agnovit pretium meæ interceſſionis, & potentiam; hanc enim demonſtravi millionibus miraculorum.

785. Eadem ad me dixit: Deus paratus eſt ad ſubveniendum his, qui ſciunt obtinere meam interceſſionem, ut efficaciter agam mediatricem. Hæc eſt via ſecura, & potens medium, quibus Eccleſia poteſt emendari, & quibus animæ denuo ad divinam amicitiam redire poſſunt.

787. Profiteor, o Domina, te initium eſſe noſtræ ſalutis, re-

paratricem ruinæ generis humani, unicum inſtrumentum divinæ omnipotentiæ.

790. Tua bonitate gero titulum tuæ filiæ & Diſcipulæ.

791. Hanc divinam hiſtoriam, ut ſæpius dixi, relinquo ſcriptam ex obedientia erga meos Confeſſarios & Superiores. Non dubito ob hanc cauſam, fuiſſe divinæ voluntatis, ut eam ſcriberem, & obtemperarem B. Virgini, quæ mihi id ſæpius præcepit per multos annos. Et quamvis totam deſcriptionem judicio & arbitrio meorum Confeſſariorum ſubjecerim, ita ut nec verbum in illa reperiatur, quod non cum illis contulerim, & quod non viderint, ſubjicio ea tamen judicio Eccleſiæ.

Præfationes ad tres Libros hujus Hiſtoriæ.

Præfatio ad Librum I.

Num. 5. Anno octavo poſt ædificatum hoc Monaſterium, vigeſimo quinto meæ ætatis, conſtituta fui in Superiorissam hujus conventûs. Ex hoc tempore magnis timoribus & anxietatibus per totam vitam cruciata fui. Timui, quia eram inexperta, & quia ad aſſumendum hoc officium opus erat diſpenſatione; & quia perpetuò timui, ne forte conſtituta eſſem in via non tuta, & in periculo excidendi divina amicitia.

6. Hinc precata ſum Dominum, ut me hoc periculo & onere ſublevaret. Et quamvis jam prius me admonuerit, ut hoc onus ſuſcipiam, ego verò me excuſarem, ſemper tamen mihi revelavit, hanc eſſe ejus voluntatem, ut hoc onus ſuſcipiam. Quia verò ſimul mihi reliquit libertatem tergiverſandi, hancque meam moroſitatem illi placere viderem, omnibus viribus alloboravi, ut me liberarem hoc periculo. Deus verò ſemper repetiit, hanc eſſe ſuam voluntatem, ut hoc officium ſuſcipiam; conſolabatur etiam me partim per ſe, partim per angelos, ut obtemperem.

7. In hac deſolatione confugi ad B. Virginem, quæ reſpondit: Mea

Digitized by Google

Mea filia, non tibi difficile hoc mandatum accidat, ego tibi aſſiſtam - veni ad me, ac pete à me conſilium - Ex eo die B. Virgo me audiit, me inſtruxit, & illuminavit, & myſteria vitæ ſuæ mihi revelavit, præſertim diebus feſtis. Repetebatur etiam ſæpius mandatum divinum, ut ea, quæ per revelationem agnoveram, ſcriberem; quia Deus declaravit, ſe ea mihi dictare velle. Huic divinæ voluntati, quam conſtanter agnovi, decem annis reſtiti, donec tandem hanc divinam Hiſtoriam ſcribere inceperim.

8. Cum de hoc mandato divino ſcribendi iſtam hiſtoriam conferrem cum meis angelis, quos Deus in hunc finem pro aſſiſtentia mihi deputaverat, & obtenderem meam inhabilitatem, ſæpius mihi reſponderunt, hanc eſſe voluntatem Dei, ut ſcribam vitam B. Virginis. Semel ſic mihi concionabantur: - Tantam certitudinem habetis vos homines de voluntate Dei per obedientiam, quantam nos habemus per viſionem intuitivam Dei. - Itaque cogita, hoc præcepiſſe tuos ſuperiores - Quod ſi obedientia tibi injuncta contineret aliquid indecens, Deus id in tuo calamo impediret per miraculum, & renovaret hoc miraculum, quod perpetravit cum Abrahamo.

9. Eandem voluntatem ac mandatum Dei in multis aliis occaſionibus mihi declaravit S. Michael.

10. Ultra has revelationes & alias, in quibus demandata fuit deſcriptio vitæ B. V., Deus ipſemet in propria perſona immediatè ſæpiſſime & multoties hanc ſuam voluntatem mihi manifeſtavit, dicens - nunc eſt voluntas mea, ut ea ſcribas; ne recuſes, ſed eſto obediens.

11. Hæc omnia tamen non fuerunt ſufficientia ad me permovendum, ut ſcriberem iſtam vitam, niſi interceſſiſſet obedientia erga Superiores, pro quorum illuſtratione rogavi Deum.

12. Satan quoque incuſſit mihi magnos metus, ut deſiſterem, & viciſſet meam ignaviam, niſi meorum Superiorum invicta conſtantia me animaſſet. His non obſtantibus rem diſtuli, ſeu, ut melius dicam, multis annis reſtiti, meque obedientiæ oppoſui, non

Digitized by Google

auſa manum apponere. Id tamen divina providentia factum credo, quia intermedio hoc tempore tantis afflictionibus gravata fui, ut non potuerim frui quiete & ſerenitate Spiritus, adeoque non fuerim idonea ad recipiendum hoc lumen. Non enim in quovis gradu, quamvis elevato, anima poteſt eſſe idonea ad recipiendam tam ſublimem & delicatam influentiam; & ut interea melius inſtruerer.

13. Itaque ex obedientia tandem cœpi ſcribere. - Obedientia eſt magna virtus, quia fuit efficax ad ſiſtendum curſum ſolis in Joſue. - Loquere igitur, o Domina quia audit ancilla tua; adimple jam promiſſionem tuam; ſta verbo; pande mihi collatas tibi gratias, ut tua magnitudo pateat omnibus populis, & ut ipſamet habeam normam vitæ ex conſideratione tuæ, ſicut ſæpius mihi præcepiſti.

14. Scribam proin non tanquam magiſtra, ſed ut diſcipula, & ut inſtrumentum B. Virginis.

15. Ex obedientia ſcripſi ſecunda vice hanc hiſtoriam; quia licet prima vice lumen fuerit copioſum, incapacitas tamen mea erat magna; & quia nec lingua, nec verba, nec calamus ſuffecerant ad omnia proferenda, tunc aliqua omiſi; ſucceſſu verò temporis accedentibus novis cognitionibus nunc invenio me magis idoneam ad ea nunc deſcribenda; quamvis etiam multi ſim omiſſura eorum, quæ cognovi per revelationem. Accedit, quod in prima deſcriptione nimis attenta fuerim ad res materiales, & ad ordinem ſcribendorum; & me occupatiſſimam habuerunt timores & tempeſtates adverſitatum. Itaque incapacitas ad tantum opus tanta erat, ut me reſolverim ad illud comburendum; & veroſimiliter ex providentia Dei, qui mihi in ea perturbatione non poterat imprimere condecentia.

16. Nunc autem ad denuo ſcribendum hoc modo tracta ſum. In feſto Purificationis B. V. ſenſi in corde meo mirabile lumen pandens divina attributa; ſenſi etiam mirabiles motus in Deum; & ſenſum humiliationis, contritionis - Tunc Deus ad me dixit:

Ne

Ne concidas - tende ad perfectionem per imitationem vitæ B. Virginis; deſcribe eam ſecunda vice, & adde, quæ in priori deſcriptione deerant -

17. Tunc vidi, & audivi B. Virginem dicentem: Nondum ex arbore vitæ, ex hiſtoria, quam ſcripſiſti, decerpſiſti fructum, nec perveniſti ad medullam ejus ſubſtantiæ. - Obtinui à Deo, ut poſſim te exornare, ut jam non attendas ad materiale hujus hiſtoriæ, ſed ad eſſentiale, in quo te ſolùm habeas inſtar inſtrumenti. Tunc B. Virgo me induit candida veſte, & cinxit cingulo, & dixit: Do tibi meam benedictionem ad deſcribendam ſecunda vice meam vitam ſub mea directione & aſſiſtentia.

18. Liber hic dividetur in tres partes, & octo libros.

19. Ut ſciatur, quando ſcripſerim, notandum, quod meus Pater & Soror hoc monaſterium conſtruxerint ex voluntate Dei, quam mea mater cognovit per revelationem. Fundatio facta eſt 1619. 13. Januarii, quo die etiam mater mea cum duabus meis ſororibus habitum religioſum ſuſcepit. Pater quoque ſuſcepit Ordinem S. Franciſci cum duobus filiis, in quo & ſanctè obiit. Mater mea mecum Velum accepit 1620. 2. Februarii. Octavo anno poſt fundationem, nempe 1627, vigeſimo quinto meæ ætatis obedientia mihi Officium Superiorisſæ injunxit. Decem annis ſubſequentibus ſæpe à Deo & B. Virgine mandatum accepi, ut ſcribam vitam B. Virginis; toto tamen hoc tempore præ metu & modeſtia reſtiti usque ad annum 1637, quo prima vice eam vitam ſcribere cœpi. Poſtquam opus compleveram, illud combuſſi cum aliis meis Manuſcriptis tum propter anxietates conſcientiæ, tum ex conſilio alicujus Confeſſarii, qui mihi datus erat in abſentia Confeſſarii mei ordinarii. Hic enim Confeſſarius mihi dicebat; non eſſe fœminarum, ſcribere in Eccleſia Dei. Obtemperavi ſubito; ſed increpata propterea fui ab Ordinario meo Confeſſario, & à meis Superioribus. Juſſerunt etiam, ut de novo hanc vitam ſcribam. Renovarunt quoque ſua mandata Deus & B. Virgo, ac juſſerunt, ut obtemperarem. Et hoc lumen ſecunda vice acceptum

Digitized by Google

fuit tam copioſum, ut cogar alium librum ad hanc hiſtoriam pertinentem ſcribere ſub titulo: *Leges ſponſæ* &c. Itaque ſecunda vice cœpi hanc vitam ſcribere anno 1655. in feſto Immaculatæ Conceptionis.

Præfatio ad Librum II.

1. Cum primam partem deponerem ad pedes B. V. rogans ut emendarentur ibi deſcripta; & petens, num proſequi deberem ſcriptionem; reſpondit Deus: Rectè ſcripſiſti. Sed volo, ut moriaris rebus temporalibus ac viſibilibus; & ut renunties omnibus operationibus creaturæ terrenæ.

2. Turbata ſum ex hoc præcepto ſic operandi virtutes nimis difficili pro creatura terrena. Hinc ſenſi in me luctam inter carnem & ſpiritum; iſte impellebat ad ſcribendum ob voluntatem Dei, illa retrahebat; videbatur tamen mihi veroſimilius, me ad ſcribendum incapacem eſſe.

3. Itaque victa metu & difficultate concluſi, non proſequi opus. Dœmon ſe transfigurans in angelum lucis minabatur infernum, ſi pergerem, & augebat anxietates, inſinuans, me ex Superbia cœpiſſe opus.

5. Diſſuadebant mihi hoc opus etiam aliquot devotæ perſonæ, quæ me amabant, timentes infamiam Monaſterii, ſi forte errarem.

6. Inter tot fluctus conſtitui me committere obedientiæ; quamvis meus Confeſſarius multis diebus fuerit abſens.

7. Ad hæc dœmon conſtituit mihi tollere ſanitatem, meque gravare morbis. Excitavit in me inſuperabilem triſtitiam; perturbavit mihi caput, & videbatur, quaſi vellet obtenebrare meum intellectum, & omnia perturbare in anima & corpore. Id factum, quia tunc cœpi in me obſervare quosdam defectus, quamvis non tam ex malitia, quàm humana fragilitate commiſſos. Conatus eſt etiam me perſuadere, omnia hactenus acta eſſe illuſiones.

8. Abſorpta igitur à triſtitia & perturbatione decrevi comburere primam partem, ne tenerer progredi ad ſecundam. Suadebat dœ-

Digitized by Google

dœmon; ut relicta via myſtica operibus pœnitentiæ placarem Dominum; ut facerem votum, non amplius ſcribendi; ut magis intenderem eradicationi mearum imperfectionum.

10. Erat tunc talis ſtatus meus internus, ut meo judicio non ſit ab illo diverſus ſtatus damnatorum, niſi quod in eo nulla ſit redemptio.

12. Liberata tandem ex his miſeriis agnovi, quid ex ſe poſſit creatura, nempe nihil, quia nihilum eſt peccatum. - In ejusmodi cognitionibus diffluebat cor meum tenerrimis affectibus amoris, laudis, gratiarum actionis.

16. Tunc vox aliqua ſic mihi intus concionabatur -

23. Hucusque concionabatur mihi illa vox. Eam credidi eſſe vocem alicujus angeli, quamvis eum non viderim. Interea continuavi meas preces, ut me Deus illuminet; ſemper reſpondit, ut emendam vitam, & pergam in cœpto opere. Sæpe idem præceptum reiteravit B. Virgo.

24. Decrevi tamen ſequi obedientiam; itaque reticendo ea, quæ à Deo & B. Virgine audieram, quæſivi ex Confeſſario, quid agendum? injunxit mihi ſub obedientia, ut continuarem opus, ac ſcriberem ſecundam partem. Tunc converſus ad Deum, dixi: Quid vis, ut faciam?

25. Tunc videbatur mihi, quod lumen SS. Trinitatis mihi exprobraret meos defectus. Agnovi, quod B. Virgo ſtans coram throno Dei pro me oret, dicens -

28. Qui ſalutem ſuam in tuto collocare cupit, quærat protectionem B. Virginis.

30. Tunc ſenſi, quod SS. Trinitas me illuminet, & quod potentias meas tetigerit, quaſi penicillo.

31. Deus mihi præcepit, ut ſcribam de virtutibus B. V. & ut juxta hanc formam vitam meam ordinem. Idem præcepit B. Virgo. Tunc petii à SS. Trinitate benedictionem, quam etiam mihi dederunt omnes tres perſonæ. Poſtquam de hac Ectaſi ſurrexi, ſtudui animam meam purgare.

32. In

Digitized by Google

32. In B. Virgine ſemper creverunt gratiæ, usque dum pervenit ad ſummum verticem ſanctitatis.

Præfatio ad Librum III.

1. Domine Deus num pergam in ſcribendo? Mater gratiæ declara mihi voluntatem filii tui.

2. Deus ſemper mihi reſpondit invocanti ſe.

3. Quando incepi hanc tertiam partem, ſenſi novas perturbationes à dœmone. Pro certo aſſevero, quod nullam lineam aut verbum ſcribam, aut ſcribere cogitem, quin plures experiar tentationes, quàm ſint ſyllabæ, quas ſcribo. Propoſui Deo ſecundam partem, uti obtuleram primam. Obedientia omni rigore me adegit ad ſcribendam etiam tertiam partem. Hoc non obſtante aliquot diebus jactabar inter cogitationum conflictus tanquam navicula inter fluctus.

4. Ex una parte Deus mihi reſpondit, ut pergerem; quamvis hoc mandatum Dei aliquoties celaverim meo Confeſſario. Ex alia parte avocabant anxietates quæ eo magis creſcebant, quo propius accedebam ad finem hujus operis.

5. Inter has anxietates clamabam ad Dominum dicens: Domine, conqueror de te. Aut enim præcipis, quod mihi eſt impoſſibile, aut præbes auxilium inimicis meis, ut ſua malitia id impediant. Deus reſpondit: - debes purgari.

6. Secuta eſt dein in me maxima deſolatio: præterea in meo corpore ſenſi tantam vivacitatem ſenſus, ut etiam leviſſimæ difficultates mihi fuerint viſæ intolerabiles. Mortificationum occaſiones mihi erant terribiles; & omnis dolor videbatur quaſi lethale vulnus. Diſciplina flagellorum erat mihi in deliquium, & quivis ictus in diviſionem cordis. Dico ſine amplificatione, quod vel ſolus attactus unius manus ad alteram mihi ex oculis extorſerit lachrimas. Experta etiam ſum, quod cum me cogerem ad aliquid patiendum, ſanguis ex unguibus manum proruperit.

11. Aliquot annis, priusquam hoc ſcriberem Deus mihi contulit

Digitized by Google

tulit gratiam civilis mortis pro operationibus vitæ terrenæ. Ea occaſione mihi apparuit B. Virgo dicens - (12.) præcipio dœmonibus, ut hanc mortuam relinquant, ut reliquos defunctos, nec illi moleſti ſint.

15. A prima infantia Deus me exercuit variis tribulationibus, continuis morbis, doloribus, & moleſtiis. Creſcente ætate crevit etiam paſſio per novum genus afflictionis, qua intrante oblita ſum priorum. Ea conſiſtebat in metu graviſſimo, ne forte errem à via cum periculo amittendi amicitiam divinam. Hunc metum plurimùm adauxit fama publica de miſeris deceptionibus dœmonis, quibus illuſæ fuerant quædam perſonæ hoc tempore. Hic metus non potuit à me tolli per adhortationes Confeſſariorum. Et quamvis angeli, B. Virgo, & Deus hunc metum ſopiverint, dum fruebar eorum in apparitionibus præſentia. Quamprimum verò egreſſa ſum ex peripheria illius luminis, denuò illo metu cruciata, & conturbata fui.

16. Inter hos timores multis annis vixi. Credo, quod radix hujus timoris fuerit ſancta, ſed multi rami erant infructuoſi. Sed jam aliquot anni ſunt, quod fruar quieti ſerena.

19. Deus ad me dixit: Demittam ad te è cœlo catenam, qua, ſi in aliquem defectum labaris, ſtatim retraharis ad me.

20. Senſi effectum hujus catenæ; & adverti, quod in feſto Circumciſionis hæc catena in me fuerit duplicata.

21. Hoc non obſtante creſcebant in me tentationes dœmonis, ita ut denuò titubarem, & inciperem deſiſtere à continuatione hujus operis. Inter has tentationes ſemel in feſto angelorum cuſtodum, cum eſſem in Choro ad Matutinum, de repente adverti magnam commotionem; dein vidi multitudinem angelorum replentium ſpatium Chori, in quorum medio erat S. Michael ſuper thronum, ut de meis culpis ferret ſententiam. 22. Tunc audivi angelos dicentes inter ſe: Hæc anima non obedit inſpirationibus noſtris; privemus illam gratiis; non poterit ſcribere vitam B. Virginis, prout illi jam ſæpius fuit mandatum. Tunc promiſi emendationem.

23. Dein admonebant me, ut nullam deliberatè committam imperfectionem. Et hæc erat conditio promiſſionis mihi factæ.

25. Semel nocte mihi apparuit angelus meus cuſtos; dicens- (26.) Scias, me eſſe unum ex illis mille angelis, qui noſtræ Reginæ, dum viveret, fuerunt deputati ad cuſtodiam, & qui inſigniti erant Symbolo Nominis ejus. Aſpice me; videbis hoc Symbolum in meo pectore. Scias etiam, quod ex his mille angelis rariſſimè aliquis deputetur ad aliarum animarum cuſtodiam; & quod illæ animæ, quas hactenus in cuſtodia habuimus, fuerint omnes ex numero prædeſtinatorum. Cave, ne prima hunc ordinem invertas. - Dabo tibi cognitionem majorem eorum quæ ſcribenda erunt, ut minori difficultate ſcribas, quæ Deus tibi revelavit - novus modus vivendi, quem tibi Deus præſcribit, continetur in doctrina, quam accipis à B. Virgine.

28. Alias res angelus mihi manifeſtavit, quæ tamen non ſunt neceſſariæ ad præſentem ſcopum. Dein B. Virgo ad me dixit: Meus æternus filius, & benedictio mei Sanctiſſimi filii veniat ſuper te, ut deſcribas reſiduum vitæ meæ.

Vita Mariæ de Agreda.

§. 1. Naſcitur 1602. die 2 Aprilis. Pater, & Mater ejus, antequam jungerentur matrimonio, petunt coram Miraculoſa imagine B. Virginis conjugem ſibi provideri, cui cordi pietas. Erant ambo pacifici, nobiles, & benedicti à Deo in temporalibus. Mater quando hanc ſuam natam prolem obtulit Deo in templo, ſenſit tantam conſolationem, ut poſtea in ſenectute conteſtata fuerit, ſe toto vitæ tempore non habuiſſe majorem.

§. 2. Antequam hæc proles pervenit ad uſum rationis, ſemel habuit viſionem, in qua in lumine claro agnovit Deum, in quem proin ardenter ferebatur. Notabili temporis ſpatio in hoc felici ſtatu perſtitit. Sed poſtea conſolationes exaruerunt, & multis annis in maxima deſolatione vixit usque ad Novitiatum; nam poſt aliquot dies, ex quo Sacrum ſuſcepit habitum, his deſolationibus liberata eſt.

§. 3.

Digitized by Google

§. 3. In ſtatu illo deſolationis, dum erat in ſæculo, præ triſtitia non audebat nec ſciebat cum hominibus loqui. Unicum illius ſolatium erat ſolitudo; hinc fugiebat omne conſortium, & abſcondebat ſe in loca recondita. Quidquid terrenum erat, quamvis licitum videretur, videlicet riſus, & otioſa colloquia, illam contriſtabat. Parentes, dum videbant ſuam filiam ita puſillanimem, & dejectam, ut exiſtimabant, pariter affligebantur. Mater, cum arbitraretur hunc modum vivendi provenire à quodam torpore, ac ignavia naturæ, cogitabat, eam mediis acrioribus excitare. Inde duriora erga filiam verba, & vultus materni triſtes. Cogitabat quidem exactâ obedientiâ placare matrem, ſed cum nil proficeret, totum adſcribebat ſuæ incapacitati. Hinc vivebat in perpetua lucta & triſtitia.

His afflictionibus Deus adjunxit infirmitates corporis. Hæ infirmitates jam inceperunt anno ætatis illius ſexto; nam, cum internæ afflictiones jam creverint à tenera illius ætate, alterârunt ſucceſſivè ejus humores, ac demum omnino corruperunt; ex qua corruptione humorum neceſſario proveniebant infirmitates, dolores, & febres. Exinde ſecutus eſt plenarius contemptus apud domeſticos, conſiderantes, quod eſſet tam ægra, & puſillanimis. Æquo animo hæc recipiebat, præſertim ex conſideratione paſſionis Dominicæ, quæ profundè erat impreſſa ejus cordi, ita ut exarderet vehementi deſiderio patiendi, quoties de illa paſſione aliquid audiret, vel cogitaret. Interdum, dum triſtabatur, audiebat vocem ſui dilecti: *Plus pro te paſſus ſum.* Erat tamen in ſpiritualibus. Habebat in domo cubiculum remotum à ſtrepitu, ubi erexit altare. Semel audiebat vocem internam ſibi dicentem; Converte te ad me. Status deſolationis permanſit usque ad annum ejus duodecimum. Tunc petiit à Confeſſario inſtrui de modo purius ſerviendi Deo. Exinde obtinuit gratiam orationis contemplativæ; & ejus anima incipiebat frui cum quiete & tranquillitate præſentia Dei. In hoc felici ſtatu permanſit per aliquot annos. Studebat tamen occultare hunc ſtatum internum; hinc cum ſe abſtraheret à vanitatibus mundi, perdurabat nihilominus opinio, hæc provenire à torpore & ignavia ejus natu-

naturæ. Semel cum Pater erogaturus eleemoſinam non ſtatim reperiret clavem pro ciſta, dicebat filiæ; Non poſſum juvare hunc pauperem; aperi tu, ſi potes. Tunc detraxit è capite acum, & eâ ſtatim aperuit. Illud quoque notandum, quod jam anno ætatis octavo votum caſtitatis emiſerit, & quod tam felicis fuerit memoriæ, ut jam in prima infantiæ ætate ſciverit memoriter recitare magnum & parvum Officium B. Virginis.

§. 4. Deus ad ejus matrem orantem aliquando dixit; ſe velle, ut domus convertatur in Monaſterium, in quo ipſa cum ſuis duabus filiabus vitam tranſigat. Reſpondit: timeo, me non reperturam fidem, nec Moniales. Deus dixit: Obedi, non deerunt Moniales. Eandem revelationem eodem tempore ac horâ habuit ejus Confeſſarius, Ordinis S. Franciſci Recollectorum. Filia egregiè animavit per triennium matrem ad ſuperandas difficultates in hac fundatione. Anno 1618. die 16 Auguſti cœptum eſt ædificium hujus Monaſterii, & illud traditum Ordinis S. Franciſci Monialibus calceatis.

§. 5. Anno 1619. die 13. Januarii introductæ fuerunt Moniales ex alio Conventu; & eodem die ipſa cum ſua matre & ſorore ſuſcepit habitum. Jam ab eo tempore, quo primò obtinuit uſum rationis, ſe exercuit in oratione mentali, & per eam ad tantam altitudinem aſcendit, ut jam in Novitiatu actu fuerit in ſtatu perfectionis. Jam tunc adhuc Novitia non tantum diem, ſed etiam noctem, excepto exiguo ſpatio pro ſomno, tranſegit in ſacris exercitiis, quamvis omnem adhibuerit curam, ut id nemo ſciret. Caſtigabat ſuum corpus tanta auſteritate, ut ferme penitus deficeret viribus; & dum hic fervor refrœnaretur à Confeſſario, præ deſiderio patiendi paſſa eſt propemodum lethales agones.

§. 6. Quotiescunque Deus illam collocare voluit in altiori ſtatu gratiæ, aut illi conferre ſpeciales gratias, ſemper ſimul concomitabantur, aut per modum diſpoſitionis præcedebant ſpeciales adverſitates, nam quando illi contulit aliquod ſingulare externum beneficium, prius ad illud præparabatur gravibus, diuturnis, & ferè intolerabilibus infirmitatibus corporis, & dabatur diabolo poteſtas, eam etiam

Digitized by Google

etiam exterius inſolito modo cruciandi & torquendi. Primò invaſit illam terroribus & timoribus; nam quando in cubiculo vacabat orationi, & caſtigationi corporis, extinguebat lucem, ut eam averteret terrore umbrarum; apparuit illi etiam in ſpecie terribili beſtiarum. Interdum apparebat ut cadaver, quandoque in ſpecie hominis. Affligebat etiam ipſius corpus ſenſibiliter; onerabat & gravabat illam quaſi pondere intolerabili, ac comprimebat illam tanquam in torculari. Inter hos agones ſentiebat ſub ſpeciebus Euchariſticis miram dulcedinem, quæ aliquamdiu duravit. Sæpe etiam vidit SS. Sacramentum circumdatum ſupernaturali ſplendore, quo confortabatur adverſus inimicum. Cum ſemel ægra & afflicta clamaret ad Dominum, apparuit illi B. Virgo - ſubſecuta fortitudo animi in perferendis adverſitatibus, oſtendit, apparitionem fuiſſe veram. Sæpius dein experta eſt ejusmodi gratiam. In die Pentecoſtes vidit pulcherrimam columbam ardentibus radiis plenam, qui omnes dirigebantur in ipſam ad accendendum ejus cor. Ex hac apparitione, quæ repetebatur ſingulis diebus per totam Octavam, replebatur miro ſolatio, & deſiderio placendi ſuo ſponſo. Alio tempore vidit Chriſtum patientem, crudeliter vulneratum; ex qua viſione confortabatur ad patiendum.

§. 7. Dœmon autem augebat naturales perpetuas infirmitates; ita ut corpus debilitate extrema penitus deficeret. Quando ſe conferebat ad orationem, vel ad Officia Eccleſiaſtica, cruciabatur ab eo in omnibus membris tanta vehementia, ut exiſtimaret, divelli in ſe ab invicem omnia oſſa. Gravabat illam inſuper tanta gravedine, ut prolaberetur in terram. Cumque hi cruciatus ſimul concurrerent cum aliis ejus naturalibus infirmitatibus, credebat ſe morituram. Præterea cruciabatur à dœmone in animo; ſuggeſſit enim petulantiſſima, & replevit ejus memoriam impuriſſimis imaginibus, angebatque maximis timoribus, quaſi non incederet via tuta, ita ut crederet, ſibi interclusum eſſe omne ſolatium. Narrabat ipſa de ſe aliud genus pœnæ dicens: Cruciabat me dœmon alio genere cruciatus, quod non decet eloqui, duriſſimum tamen erat pro anima amante caſtitatem, quia non facile permittebatur, ut de hac re conſulerem meum Confeſſarium,

Digitized by Google

rium, & ego tanquam tyro non poteram diſcernere, an per hoc offendatur Deus vel non. 2. Occultabat ſua bona opera, ut poterat; hinc petiit cubiculum ſeparatum; obſervabatur tamen die ac nocte ab aliis Monialibus, volentibus ſcire cauſam, cur eſſet tota emaciata; & cur ejus vultus ſit adeo pallidus inſtar cadaveris. 3. Hac occaſione Dœmon uſus perſuaſit reliquas Moniales, ut eam occuparent omnibus horis diurnis, & quidem in præſentia alterius Monialis, ut non poſſet vacare orationi & reliquis ſacris exercitiis. Nocte autem aliquæ deputabantur, quæ apud illam vigilarent, donec penitus à ſomno abſorberetur. Quod ſi fallebat hanc diligentiam, ſe nihilominus erigendo, puniebatur per privationem S. Communionis. 4. Præterea non permittebatur ipſi cum ſuo Confeſſario loqui de negotio animæ. Præſcribebatur etiam determinatum ſpatium temporis pro Confeſſione, ſic ut non licuerit eam ultra ſemiquadrantem horæ protrahere; eaque tantum concedebatur una & altera vice per hebdomadam. Severè etiam tractabatur verbis ac exprobrabatur ipſi, quod tantùm accupetur nomen pietatis. Si quandoque præ vehementia doloris prorumpebat in verba exclamationis doloroſæ, iraſcebantur in ipſam tanquam hypocritam; ſic ut cogeretur penitus ſilere; ſed hoc ipſum ſilentium increpabant tanquam obſtinationem. 5. Acceſſit aliud, illudque majus malum, quod Deus eam deſtituerit ſuis ſolatiis, ſeque occultaverit, eamque tanquam in deſerto inaquoſo dereliquerit. 6. His non obſtantibus frequentabat tamen Chorum, & occultabat dolores, ut poterat.

§. 8. Erat tamen viciſſitudo afflictionum, & conſolationum. Scripſit poſtmodum ex obedientia librum ſub titulo: *Scala*, ubi meminit doctrinæ à Domino acceptæ, quomodo in via interna poſſint evitari pericula. Hic liber, quamvis non fuerit completus, edetur tamen cum hiſtoria ejus vitæ. 2. Quamprimum prorupit ſignis externis ejus fervor internus, reliquæ Moniales id imputabant hypocriſi. Et ideo unanimiter concluſerunt, ut ſeparetur à communione, & ut non amplius illi permittatur receſſus in ſuum cubiculum. 3. Ipſa autem cum ſua videret imputari ſtultitiæ, aiit explicari in ſui contemptum

ptum

Digitized by Google

ptum, gaudebat, & aliquando ſic abripiebatur ſpiritu, ut elevaretur in altum, & pateretur Ectaſin. 4. Deus dein ſe familiariorem illi exhibuit per apparitiones, revelationes, & Ectaſes. Primò B. Virginem vidit 1620 Sabbato poſt Pentecoſten; cum enim gravata afflictione clamaret ad Dominum, dicens: Domine, quid jam in tali ſtatu incipiam? rapta eſt in Ectaſin, ubi à corde abſterſus omnis mœror, & tanta infuſa exultatio, ut illi non potuerit reſiſtere, etiamſi voluerit. Dein vidit B. Virginem, ut accipientem corpus ſui filii e Cruce in ſinum ſuum. Poſtquam ab hac fuit inſtructa de exercitio omnium virtutum, videbatur illi, quod divinus infans brachio ſuo illi eximat cor è pectore, idque cum ſuo commutet, in qua commutatione ſenſit dulciſſimum dolorem. Hanc primam Ectaſin habuit in Cella ſua. In hac conſolatione manſit usque ad feſtum S. Magdalenæ; & ab hoc tempore, quo erat octodecim circiter annorum, Ectaſes perpetuò continuârunt, etiam ſub functionibus publicis coram communitate, & ſub S. Communione. In ejusmodi Ectaſibus corpus remanſit ſine ſenſu & motu. Conabatur quidem hos raptus avertere, dum ſenſit eorum initia, ita ut etiam ſanguinem ore ejecerit præ reſiſtentiæ vehementia, fruſtra tamen. Hinc Deum precata eſt, ut has gratias ſaltem non conferret cum ſignis externis.

§. 10. Itaque magnus tumultus propterea exortus eſt in communitate. Moniales, quæ ſtatim ab initio illi erant contrariæ, omni ſtudio examinabant, an eſſet vera Ectaſis. Corpus aliquantulum erat elevatum à terra, ſic tamen ut terram contegeret, erat inſenſibile inſtar cadaveris, & tam leve, ut inſtar folii potuerit moveri ſolo halitu. Vultus erat ſolito formoſior & modeſtiſſimus. Ectaſes ejusmodi durabant duabus tribusve horis; & cauſabantur occaſione S. Communionis, aut lectionis vel colloquii ſpiritualis, aut Muſicæ. 2. Cum ſemel Confeſſarius exiſtens in via ad monaſterium audiret, eam eſſe in Ectaſi; intus in animo illi præcepit, ut ſe conferret ad Parlatorium; quod ſtatim factum. Idem expertæ ſunt Superioriſſa, & aliæ, quarum erat in illam imperium. Statim enim ad ejusmodi mandatum internum ad ſe ex raptu reverſa obtemperavit imperanti. 3. Dein

P. Pro-

Digitized by Google

P. Provincialis illi conſtituit prudentem Confeſſarium, à cujus ſolius obedientia dependeret in poſterum quoad regimen vitæ internæ. 4. Mutata etiam eſt opinio Monialium de illa, eaque converſa eſt in æſtimationem; præſertim cum ſemel omnes obſervarent, noctu in caput conſtitutæ in Ectaſi è cœlo deſcendere ſplendorem in forma globi ignei, qui notabili temporis ſpatio manſit. 5. Eo tamen raptuum tempore creſcebant infirmitates corporis, ita ut facta fuerit paralitica, itaque deſtituta uſu membrorum, ut in ſella portari debuerit ad S. Communionem; nec erat ſpes ulla recuperandæ ſanitatis, niſi per miraculum. 6. Acceſſit de novo deſolatio interna, ac derelictio ſponſi. Dœmon vehementer eam cruciabat cogitatione, omnia eſſe illuſionem; eamque eſſe in via perditionis.

§. 10. Nitebatur ſemper intereſſe functionibus communibus, & in ejusmodi occupationibus delectabatur; attamen illa delectatio ſemper turbabatur infirmitatibus & doloribus, quibus adeo debilitabatur, ut deſtituta uſu membrorum non potuerit ſatisfacere ſuo deſiderio. Cum jam per aliquot menſes eſſet paralitica petiit in ſuam Cellam deferri aliquam imaginem miraculoſam celebrem B. Virginis; quo facto in momento convaluit. 3. Per hoc tamen non fuit liberata timoribus & anguſtiis internis adeo vehementibus, ut ſub labore communi inciderit interdum in deliquia. Obtinuit tamen per iteratas preces, ut dœmon non amplius habuerit poteſtatem eam cruciandi per diem, ſed tantum de nocte; ſic ut potuerit tandem liberè vacare functionibus communibus.

§. 11. Mortificationes ejus erant variæ juxta arbitrium Confeſſarii, & conditionem morborum. Interdum toto corpore geſtabat cilicium; interdum induebat ſe acutis ciliciis ferreis. Flagellabat ſe tanta vehementia, ut mirum fuerit, quod ex profuſione tam copioſi ſanguinis non ſit paſſa deliquium. Sæpe vigilabat integris noctibus; ſæpe petebat jejunare in pane & aqua; & ad hoc utebatur miniſterio cujusdam ſororis laicæ, in quam habebat confidentiam. Hæc erat deputata ad ſervitium culinæ, remque tam aptè tractabat, ut abſtinentia lateret communitatem. 2. Poſtquam autem Superiores aliud

circa

circa ejus auſteritates ordinarunt, hic ordo ab ea obſervatus eſt. Dormiebat tantum duabus horis, & plerumque tantùm in aſſere rudi, aut in terra. Reliquæ 22 horæ ſic impendebantur. Hora undecima noctis ſurgebat, ſeque conferebat in locum abditum ac remotum, ubi tribus horis peregit exercitium Crucis hoc modo: unam horam cum dimidia impendit meditationi paſſionis; unâ dimidia geſtabat in humeris ac trahebat magni ponderis crucem. Unâ dimidia jacebat in terra expanſis manibus. Una dimidia pendebat in cruce. Dicebat ad ſuum Confeſſarium, has tres horas ſibi videri breves inſtar puncti. Hora tertia noctis ibat ad Matutinum - Ter in hebdomada jejunabat in pane & aqua, nempe die Martis, Jovis, & Sabbati. Quotidie flagellabat ſe quinquies, ſæpe usque ad ſanguinem. 1. Sub exercitio crucis. 2. Poſt Matutinum. 3. Poſt primam. 4. Poſt prandium. 5. Noctu. Sæpe tantopere erat affecta, ut ejus corpus non potuerit tangi ſine dolore. Sæpe dum lavabat frigidâ manus, prorumpebat ex iis ex perfricatione manuum mutua ſanguis.

§. 12. Aliquoties fuit mota à Deo ad orandum pro converſione Indianorum, quorum vultus intuebatur in viſione. Semel, dum pro iis precabatur, videbatur illi, ſe ſubito eſſe translatam in eorum regionem, ſe diſtinctiſſimè omnia obſervare, ſe his gentibus in lingua Hiſpanica prædicare, &c. Poſt hanc Ectaſin, quæ quingenties renovabatur, ſemper ſe denuo reperit in eodem loco. Dubitabat ipſamet, an hoc contingeret in ſpiritu, an verò corporaliter. Verùm confirmabatur in hac poſteriore opinione ex eo, quia in ſuo cubiculo non amplius reperit roſaria, quæ in his raptibus diſtribuebat Indianis. Poſt plures annos venit ex America P. Miniſter Generalis Ord. S. Franciſci, qui narrabat, reverà ad Patres Miſſionarios veniſſe Indianos, petentes Baptiſmum, ac dicentes, ſe converſos fuiſſe ab aliqua fœmina, cujus deſcribebant formam, convenientem cum Mariæ de Agreda. Anno 1668 P. Commiſſarius Generalis in aliqua Scriptura præſentata Conſilio Regio Indico uſus eſt hac hiſtoria ad confutandas quaſdam calumnias ſuo Ordini intentatas, & oſtendit, quantum bonorum fieret per ſuum Ordinem.

§. 13. Quamdiu durabant Ectaſes, orta eſt magna inquietudo in Monaſterio, quia plurimæ perſonæ, quibus non poterat denegari licentia, ingrediebantur clauſuram ad videndam Monialem in Ectaſi, immo ab ipſis Monialibus ſic conſtituta in Ectaſi, inſtar levis plumæ, portabatur ad feneſtram Chori, ut poſſet conſpici ab adventantibus. 2. Tribus annis perſeverarunt hæ Ectaſes. Sed, cum anno 1623, videlicet anno ætatis ejus vigeſimo ſecundo ineunte Deus illi immitteret vehementem timorem, ne hæc forte via eſſet periculoſa, petiit à Deo, ut hæc externa à ſe tollerentur; ſed, cum non exaudiretur, cogitabat de humanis mediis. Verum Superiores ipſimet deſiderabant ejusmodi raptus videre. Confeſſarius erat facilis, & indulgens; nec ſemper cuſtodivit os ſuum, ne loqueretur, quæ admirabatur. P. Provincialis erat abſens, qui, ubi advenit, iraſcebatur Monialibus, quod eatenus non obſervaverint ſuas ordinationes, & juſſit Ectaticæ, ut petat à Deo ut tollat externa iſta, nempe Ectaſes; in quo & fuit exaudita. 3. Sed Moniales ignorantes cauſam tam ſubitæ mutationis, ut viderunt ceſſare Ectaſes, amiſerunt æſtimationem, & acuerunt in eam linguas ſuas. Dein apparuit illi dœmon in ſpecie Filii Dei, & monſtrans commiſerationem dixit, ſe illi reſtituturum Ectaſes cum majori hominum applauſu, quàm prius, ſi omittat conſuetum modum vivendi. Sed illum repulit.

§. 14. Quamvis dein in hoc ſtatu habuerit plures viſiones intellectuales; habebat tamen aliquoties etiam phantaſticas, immo aliquas etiam corporales.

§. 15. Quamvis in ſuperiori parte animæ, ubi erat lumen ſupernaturale, non dubitabat de veritate ſuarum viſionum, turbabatur tamen in parte inferiore ſeu phantaſia, ad quam, ubi deſcendit, cruciabatur timore à dœmone. Repræſentabantur ipſi adverſariorum moleſtationes, ut turbaretur; próprii defectus videbantur ipſi inſtar montium. Perſuadebatur, viſiones eſſe meras deceptiones, ſeque per eas Deum graviter offendiſſe. Hoc martyrium paſſa eſt toto reſiduo vitæ ſuæ tempore, quamvis cum viciſſitudine gratiarum.

§. 16. Præter ſuum angelum cuſtodem habuit quinque alios an-

Digitized by Google

angelos pro ejus ſubſidio præſertim in deſcriptione hujus operis deputatos. Ipſi ſæpe apparuerunt mira pulchritudine & ſplendore, converſabantur etiam cum ipſa familiariter non ſolùm in Choro ac ſolitudine, ſed etiam, dum verſabatur inter homines. Quæ didicit ab angelis, ſcripſit in ſpeciali libro, quæ revera ſunt compendium Chriſtianæ perfectionis. 2. Quando interrogabatur à Superioribus, quo modo angeli loquerentur cum ipſa, reſpondit; eo modo quo angeli inferiores inſtruuntur à ſuperioribus. 3. Semel illi oſtenſa eſt gloria Sanctorum; dein præter angelos cuſtodes Deus pro aſſiſtentia illi asſignavit duas SS. Virgines. Tunc apparuerunt illi S. Urſula, & S. Agnes. Ab his inſtruebatur in via virtutis.

§. 17. Anno 1623. introductæ fuerunt Madrito in ejus Conventum Moniales Recollectæ. Anno 1627, ætatis ſuæ vigeſimo quinto, ipſamet à Superioribus conſtituta fuit in Superioriſſam, cum Diſpenſatione Pontificia ob inſufficientiam ætatis. Ipſa invocavit B. Virginem pro auxilio, quæ reſpondit: Ego ero Superioriſſa, tu eris mea miniſtra.

§. 18. Deus etiam ipſi promiſit, quod ipſi daturus ſit ſuam matrem in Superioriſſam & Magiſtram. Tunc in medio Chori conſtituit ſtatuam B. Virginis cum Sigillo Conventus, & manifeſtavit Monialibus, quod officium Superioriſſæ detulerit B. Virgini, cui proin obedire deberent. Anno 1652 obtinuit, ut eligeretur alia Abbatisſa; ſed 1655 denuo ipſamet in Superioriſſam aſſumpta eſt, & 1664 in eo Officio confirmata, cui electioni ipſemet, qui hæc ſcribo, tunc interfui cum magna mei ædificatione.

§. 19. Anno 1627 illuminabatur à Deo & à B. Virgine circa myſteria pertinentia ad vitam B. Virginis, & ſpeciatim circa prærogativas ac titulos illius, quos proin in Catalogum redegit, & in libro conſcripſit tam diſtinctè, ac ſi eos legiſſet in Scriptura. Dein juſſa eſt, eos titulos explicare in præſentia Doctorum hominum, quod & præſtitit cum omnium admiratione. 2. Præparata fuit à Deo ad deſcribendam vitam B. Virginis decem annis; tot enim ejus humilitati indulſit. 3. P. Franciſcus de Torre Provincialis, poſtquam hujus ſpiritum probaverat, interno inſtinctu motus ſtatuit, totam ſuam vitam

Digitized by Google

in poſterum impendere pro directione hujus animæ. Itaque dimiſſo Provincialatu ſe contulit Agredam, ubi manſit toto vitæ ſuæ tempore, nempe viginti annis, in directione illius, niſi quando cauſa negotiorum aliò avocabatur. Erat enim inter viros præſtantiſſimos Ordinis.

§. 20. Probata fuit afflictione interna, antequam cœpit hanc vitam ſcribere. Præſentia Dei, & angelorum diſparuit; ceſſavit omnis extraordinaria illuſtratio; omne ſolatium evanuit; ita ut illi ne quidem inciderit, recolligere vires ſuas internas. Hæc nox obſcura duravit octoginta diebus. 2, tentabatur etiam à dœmone. Senſus ejus oppugnabantur horrendis larvis, accedente horribili clamore. Nihil erat tam ſpurcum, quod illi non repræſentabatur; nullus defunctorum erat, quem aliquando noverat, qui illi non obverſabatur. Nullum etiam contumelioſum verbum, quo non dœmon ſtudebat illam conturbare. Transformabat ſe etiam in angelum lucis; palliabat falſitates ſub ſchemate veritatis; & operabatur falſa miracula; & veſtiebat ſuos dœmones forma Sanctorum; cumque illa uteretur mediis ab Eccleſia præſcriptis, v. g. aqua benedictâ, ſimulabat ſe illa amare, & deſiderare, quamvis in effectu perferre non potuerit. 3. Poſtquam tentationes dœmonis ſuperaverat, revelavit illi Deus, quod durante hac lucta dœmones illi quotidie pluſquam mille periculoſas tentationes varias inſpiraverint, & quod totus infernus plus quàm quingenties contra illam Concilium congregaverit ad inveniendas novas artes. Denique Deus dœmonibus ulteriores tentationes inhibuit, niſi quod illi repræſentari permiſerit, quaſi eſſet in medio inferni.

§. 21. Poſt tentationes ſucceſſerunt conſolationes; tunc Deus illi infudit ſcientiam omnium creaturarum à ſummo cœlorum usque ad centrum terræ. Agnovit proin diſtinctè omnes partes mundi, quas creavit Deus in ſubſidium hominis. Agnovit etiam omnes homines totius terræ cum eorum proprietatibus. Infudit illi etiam ſcientiam totius militantis Eccleſiæ; ita ut agnoverit ejus ordinem, theſauros, miracula, gratias, dona. In hac ſcientia etiam agnovit omnes res politicas, & pertinentia ad regimen temporale non tantum fidelium, ſed etiam infidelium, ſic ut perfectè ſciverit ſtatum totius mundi:

Google

di. Tertiò ipſi infuſa eſt ſcientia etiam triumphantis Eccleſiæ, de ordine & natura angelorum; de eſſentiali & accidentali prœmio eorum. Præterea ipſi infuſum eſt magnum lumen, & intelligentia S. Scripturæ. Scientia illa triplex de ordine naturæ, gratiæ, & gloriæ fuit illi habitualis, ita ut potuerit illa facile, quandocunque voluit, & hoc non tantum circa concluſiones, ſed etiam circa illationes ex illis. Latinæ quoque linguæ intelligentiam Deus ſic ipſi contulit, ut quæcunque latina legit, vel audivit, perfectè intellexerit. Hinc perfectè interpretabatur Scripturam in alio idiomate.

§. 22. Deus illi præcepit, ut ſcribat *Leges Sponſæ*, & ut eas conferat cum ſuo Confeſſario & Superioribus.

§. 23. Jam per decem annos ſæpius Deus illi mandavit, ut ſcribat vitam B. Virginis. Quamvis non dubitaverit, hoc mandatum revera eſſe divinum, credidit tamen, ſibi adhuc relinqui locum excuſationis. Tandem repetitis mandatis Confeſſarii & Superiorum permota eam vitam ſcribere cœpit 1637. Itaque ſecedens in ſolitudinem ſacram intra viginti dies totam primam partem ejus hiſtoriæ abſolvit, quam ſecundum curſum naturalem calami ne quidem tam celeriter potuiſſet ſcribere. 2. Ut primum dœmon hanc primam partem vidit, omni modo conatus eſt eam abſterrere à continuatione, præſertim per timorem, quem illi incuſſit.

§. 25. Dein ſcripſit *Leges Sponſæ*, quas ſemper ſervavit pro ſe, tanquam normam ſuæ vitæ. Has ex Magiſterio B. Virginis complevit intra decem dies anno 1641.

§. 26. Ejus Confeſſarius P. Franciſcus Andres moderatus eſt ejus preces vocales, & juſſit, ut circa exteriora ſe conformaret Statutis communibus Conventûs, & ut in cibis utatur conſuetudine aliorum; ut non dormiat in aſſere, ſed in ſacco ſtramineo; ut deponat thoracem cilicinum -

§. 28. Sæpius vidit, qualia dœmon conſilia foveat contra Eccleſiam, præſertim contra Hiſpaniam, prout ipſa poſt viginti annos ſcripſit Alexandro VII.

§. 29. Philippus IV. Rex Hiſpaniæ ab anno 1643 per viginti

duos annos habuit cum ipſa perpetuum commercium litterarium, in quo cum illa egit non ſolùm de negotiis ſuæ animæ, ſed etiam de negotiis ſui regni. Quotieſcunque abiit Poſta, ſeu Curſor ordinarius, ſemper dedit ad illam Epiſtolam, propria manu ſcriptam in folio plicato circa medium, ut reſponſio Mariæ ſcriberetur in altera parte folii, ſicque authographum cum reſponſo rediret ad Regem. Juſſit tamen Confeſſarius, ut ipſa ſemper aſſervaret copiam epiſtolæ regiæ, & ſuæ reſponſionis.

§. 30. Cum homines ab illa peterent reculas ſacras, petiit aliquando à Domino, ut quicunque talia à ſe acciperent, liberentur à tentationibus & laqueis dœmonis, ut acciperent auxilium emergendi ex malo ſtatu, & ut in articulo mortis accipiant ſubſidium. Ut verò advertit, hanc ſuam petitionem placere Domino, audacior facta, easdem gratias petiit pro omnibus, quicunque à ſe accepturi eſſent cruces, numiſmata, imagines, granula, roſaria, quæ tunc temporis penes ſe habuit. Et Dominus precibus annuit. Tunc Confeſſarius juſſit, ut easdem gratias petat, quotieſcunque ſimilia faceret munuſcula. 2. Semel dixit, ſi eſſet poſſibile, me collocarem ad januam inferni, ut nullus poſſet intrare. Precor Deum, ut me detineat in illis pœnis, ut nullus amplius damnetur. 3. Sæpe cingebatur à multitudine angelorum ipſi acclamantium, ut ſe offerat pro ſalute animarum ſuæ curæ concreditarum.

§. 31. Semel ſic alloquebatur ſuas Moniales: Pro illâ Sorore, quæ ſe magis exercuerit in præfatis virtutibus, (quas enumeraverat) precor Deum, ut ipſa & omnes ejus amici & cognati perveniant ad vitam æternam; in hunc finem dono ipſi omnes labores, exercitia, & pœnitentias unius menſis. Addo pia opera totius Conventûs per tres menſes, inquantum ut Superioriſſa illa donare poſſum. 2. Pro illis, qui invocaturi ſunt in imaginibus Sanctos, aut eas ſecum portaturi, petiit ſpeciales gratias excitatorias.

§. 32. In abſentia Confeſſarii Ordinarii venit alius 1645, qui illi præcepit, ut comburat omnia, quæcunque ſcribere juſſa eſt. Itaque ſtatim combuſſit primam copiam vitæ B. Virginis, & alias ſchedulas,

dulas, quas ſecum habuit. Ut verò rediit Ordinarius Confeſſarius, quamvis ſciretupereſſe exemplar in manibus Regis Philippi IV, præcepit, ut denuo ſcribat eam hiſtoriam. Sed ipſa ab hac iterata ſcriptione morbis & variis perturbationibus animi impedita fuit; nam ſanitas & quies animi ad continuationem hujus operis erat neceſſaria. Anno 1647 obiit ejus Confeſſarius ordinarius P. Franciſcus de Torre, qui ejus ſcripta reliquit in manibus P. Provincialis. Illi ſucceſſit prior Confeſſarius, qui ſupra jam præcepit comburi Scripta Mariæ. Hic, ut intellexit, Scripta ſui anteceſſoris aſſervari apud Moniales, juſſit & illa comburi; quod & ſtatim executioni mandatum. Quia verò Superiores non venerunt in notitiam hujus facti, permanſit hic Confeſſarius in ſuo munere usque ad ſuam mortem. Poſt ejus mortem anno 1650 ſucceſſit P. Andreas de Fuenmajor, qui egit Confeſſarium per quindecim annos, nempe usque ad obitum Mariæ. Hic Confeſſarius injunxit illi, ut denuo ſcribat hiſtoriam vitæ B. V. & ut in Scripto ſibi det rationem eorum donorum, quæ accepit. Idem obtinuit copiam, quamvis imperfectam Scriptorum combuſtorum; hanc enim quidam Pater, amicus P. Franciſci de Torre, pro ſe deſcripſerat. Ex hac copia ſumpſit occaſionem conferendi de punctis Scriptorum combuſtorum. Denique etiam illi injunxit, ut ſcribat propriam vitam, quam tamen apoplexia tacta vix usque ad fundationem Monaſterii perduxit. In hoc fragmento ſuæ vitæ promiſit reſtaurationem omnium opuſculorum ante hiſtoriam ſcriptorum, & combuſtorum; ſed & iſta morte impedita fuerunt. Cæterùm ex præfato Confeſſario, de cujus Chriſtiana & religioſa converſatione dubitare temeritas foret, præcipua puncta hujus vitæ ſumpſi, aliaque teſtimonia ac documenta cum ipſo contuli.

§. 33. Ut hic novus Confeſſarius haberet meliorem notitiam de ejus ſtatu interno, anno 1651 impendit ſexaginta duos dies pro diſcuſſione conſcientiæ, ac dein depoſuit confeſſionem quaſi ultimam.

§. 34. Anno 1652 Deus eam elevavit ad novum ſtatum perfectionis, per imitationem videlicet B. Virginis. Et hinc depoſuit quintum votum, nempe obediendi B. Virgini in doctrinis, quas ab illa eſſet acceptura. §. 35.

Digitized by Google

§. 35. Tunc Deus, uti & Confeſſarius renovarunt mandatum, ut ſcribat vitam B. Virginis. Itaque eam denuo cœpit ſcribere 1655. Angeli ipſi revelarunt, quod ſecundum curſum naturæ fuiſſet mortua, niſi pro continuatione hujus hiſtoriæ vita ipſi ſupernaturaliter fuiſſet conſervata.

§. 37. Ad quamvis umbram peccati exhorruit. Immo in hoc timore commiſit aliquam immoderantiam, timendo, ne committeret peccatum, etſi ex certis principiis ſciret oppoſitum.

§. 38. Tanto arſit amore, ut veſtis, quam gerebat ad pectus, adureretur. Similiter aliquot linteola, quæ imponebantur ejus vulneri, intra paucas horas extrahebantur ita aduſta, quaſi jacuiſſent ſupra ignitos carbones.

§. 40. Vicit verecundiam ſuam ſcribendo Alexandro VII. ac ei proponendo damna, quæ ſequuntur ex bellis inter Chriſtianos principes, præſertim inter Hiſpaniam, & Galliam.

§. 44. Præparabat ſe ad mortem legendo conſuetam commendationem animæ & Litaniam, quæ in idioma Hiſpanicum tranſtulerat.

§. 45. Deus illi repetitis vicibus promiſit, ſe nihil illi denegaturum, quidquid in ſuum proprium majus bonum peteret.

§. 46. In ultima infirmitate Deus illi ſubtraxit conſolationes & illuſtrationes; ita ut dirigeretur ſolùm per lumen fidei. Obiit 1665. 24 Maji.

Ex Epiſtola Mariæ de Agreda ad ſuas Moniales nomine B. Virginis.

3. Sæpe me contriſtaſtis; interdum vidiſtis me impatientem; ſemper autem in hoc officio meo deſolatam.

4. Cum ſuſciperem hoc officium Abbatiſſæ, B. Virgo mihi præcepit, ut ſcribam hiſtoriam ejus vitæ, pròut in ultimo Proëmio dixi. In hac hiſtoria ſæpe invenietis admonitiones, quas ut vobis darem, B. Virgo præcepit.

8. Dein mihi præcepit, ut opus hoc vobis dedicem, ut in eo inveniatis viam vitæ & ſummæ perfectionis. Verba B. Virginis erant iſta:

Digitized by Google

iſta: Dic illis, quod hoc illis relinquam tanquam ſpeculum, & tabulam Legis, quæ in ea clarè continetur. Illis, quæ diligenter eam obſervaverint, promitto, quod illas ſim conſolatura in hac vita, & poſt mortem eas præſentatura meo filio. Et ſi quæ alia Communitas cujuſcunque Religioſi Inſtituti hanc doctrinam admiſſura, æſtimatura, & operatura eſt, illis do eadem promiſſa.

10. Vellem, ut veſtra colloquia ſemper ſint renovatio memoriæ de beneficiis JESU & Mariæ.

12. Narrabo aliquid, quod mihi accidit. Cum ſemel in feſto Immaculatæ Conceptionis eſſem in Choro ad Matutinum, audivi vocem vocantis me. Tunc vidi thronum Deitatis, & audivi vocem exeuntem de throno, quæ meo judicio poterat intelligi à cœlo & terra. Vox dicebat: Miſeri, ignorantes, peccatis obnoxii filii Adæ parvi & magni cujuſcunque ſtatus, Principes & ſubditi; audite ab oriente uſque in occidentem, & uſque ad fines terræ. Venite ad me per illam quæ dedit carnem Verbo. 13. Tunc vidi de Throno in quatuor partes terræ procedere quatuor globos luminoſos inſtar Cometarum, & intellexi, quod Deus in his ultimis temporibus eſſet manifeſtaturus gloriam B. Virginis. Vidi etiam Draconem ſeptem capitum ſe erigere, ac excitare idoneos quoſdam homines, qui eſſent fruſtraturi hoc conſilium Dei.

15. Alia vice, cum valde anxia eſſem, ne forte illuderer in hujus hiſtoriæ deſcriptione cum magno orbis ſcandalo, vidi in throno SS. Trinitatem, & ad dexteram Filii B. Virginem; præterea vidi, quod Pater æternus quaſi ex corde ſuæ eſſentiæ protrahat librum pretioſiſſimum, clauſum tamen. Hunc librum tradidit Verbo & dixit: Hic liber, & omnia quæ in eo continentur, mea ſunt, & cedunt ad meum ſpeciale beneplacitum. Chriſtus eum accepit cum magna æſtimatione, & eum quaſi apprimens cordi confirmavit illum, uti & Spiritus Sanctus. Tunc traditus eſt liber in manus B. Virginis, quæ in illo oſtendit magnam complacentiam. Cum viderem elegantiam libri, & approbationem illius in throno Deitatis factam, inceſſit me cupiditas ſciendi, quid contineretur in libro, ſed

non fui auſa interrogare. Tunc vocavit me ad ſe B. Virgo dicens: Deſideraſne ſcire, qualis ſit hic liber? adverte, & vide. Tunc B. Virgo aperuit mihi librum, ita ut poſſem illum legere. Legi, & vidi, quod hic liber ſit ipſiſſima hiſtoria ſeu Vita B. Virginis, quam ſcripſi. Nec tamen propterea Draco quieſcit. Experta ſum, quod in hac hiſtoria nullum reperiatur verbum, cui Draco non contradixit infatigabiliter.

17. Cum jam ad finem accederem in ſcriptione hujus hiſtoriæ, vidi arborem, ad cujus latera ſtabant Chriſtus & B. Virgo. In foliis erant omnia myſteria, Sacramenta, & Acta Chriſti & B. Virginis; & hæc omnia in his foliis in genere & ſpecie reperi, prout ea deſcripſi. Fructus hujus arboris, erat fructus vitæ, & intellexi, quod hæc arbor ſignificet illam, quæ erat plantata in medio paradiſi.

18. Hanc hiſtoriam complevi ſecunda vice 6 May 1660. Rogo Moniales hujus Conventus, ne unquam Originale dent extra Conventum; & ſi opus foret ea extraditione ob reviſionem & cenſuram, ſic imperante ſublimiore poteſtate, dent Copiam. Et ſi Copia eſſet conferenda cum Originali, non dimittant à ſe Originale, niſi per partes, ita ut reſtituta prima parte detur ſecunda; quia ſic eſt voluntas Dei & B. Virginis.

Num. XIII.

Deſignatio Locorum in Revelationibus Agredanis difficilium.

P*Ropoſitio.* 1. Revelationes hæ non conveniunt cum principiis Chronologiæ moraliter certis; ergo, ſi non eſt moraliter certum, eas ab omni illuſione phantaſiæ immunes eſſe, prout infra probabitur propoſ. 18. præſumendum, hic interveniſſe illuſionem phantaſiæ. *Ant. prob.* Moraliter certum eſt, Mortem Chriſti incidere in annum Æræ vulgaris 28. prout evincit Franciſcus Blanchinus demonſtrationibus Aſtronomicis in

in *Vitis Romanorum Pontificum Anaſtaſii Bibliothecarii* Tom. 2. Opuſculo 4 & in Notis Chronologicis ad vitam Sylveſtri I. Tom. 2. Part. 2. vel ſaltem in annum 29. prout ante Demonſtrationem Blanchinianam admiſerunt Scriptores Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ recentiores, qui vel obiter delibarunt fundamenta hujus computationis v. g. Pagius, P. Natalis, & alii. Atqui hæ Revelationes nec conveniunt cum anno 28. nec cum anno 29. Ergo. *Minor prob.* Hæ Revelationes ponunt, Chriſtum eſſe mortuum anno Æræ vulgaris 34. Ergo. *Ant. prob.* Hæ Revelationes ponunt eas Notas Characteriſticas temporum, quæ nulli alteri ſuppoſitioni congruunt, niſi huic, quod Chriſtus mortuus ſit anno Æræ vulgaris 34. Ergo. *Ant. prob.* Hæ Revelationes ponunt ſequentes Notas Characteriſticas temporum.

1. Conceptio B. V. contigit die Sabbati, die 8. Decembris, ante C. N. anno 16.
2. Annuntiatio B. V. contigit die Veneris, die 25. Martii, novem menſibus ante C. N.
3. Nativitas Chriſti contigit die Dominica, die 25. Decembris.
4. Nuptiæ in Cana contigerunt Feriâ ſecundâ, 6. Januarii, anno poſt Chriſtum N. 31.
5. Mors Chriſti contigit die Veneris, die 25. Martii, anno poſt N. C. 34.
6. Mors B. V. contigit die Veneris, die 13. Auguſti; anno poſt N. C. 55.
7. Paſcha Judaicum anno poſt C. N. 31. contigit die 24. Martii.
8. Paſcha Judaicum anno poſt C. N. 34. contigit die 25. Martii.
9. Idem Paſcha anno poſt C. N. 41. contigit circa finem, id eſt, circa 31. Martii.

Atqui hæ Notæ Characteriſticæ non congruunt, niſi ſuppoſitioni, quod Chriſtus obierit anno Æræ vulgaris 34. Ergo. *Major patet* ex hucusque adducto Compendio Revelationum Agredanarum, & ex Tabula earundem Chronologica hìc ſubjicienda. *Min. prob.* inprimis quoad ferias. Si ſupponatur Chriſtum obiiſſe anno Æræ vulgaris 34. tunc Littera Dominicalis in anno Conceptionis B. V. erit G. in anno Annuntiationis & Nativitatis Chriſti B. in anno Nuptiarum in Cana G. in anno Crucifixionis C. quæ Litteræ Dominicales in Tabula Feriarum ſignant pro 2. Decembris Dominicam, pro 8. Decembris diem Sabbati,

Digitized by Google

pro 25. Martii diem Veneris, pro 25. Decembris diem Dominicam. Nec obſtat, quod pro anno 31 dies 6. Januarii incideret in ipſum Sabbatum, & 13. Auguſti anno 55 in diem Mercurii; ex hoc enim ipſo probatur inconſequentia Chronologiæ Agredanæ. *Eadem Minor probatur* nunc etiam quoad Paſchata, quod nempe illa non congruant, niſi ſuppoſitioni, quod Chriſtus obierit anno Æræ vulgaris 34. Omnia enim Paſchata Agredana pro anno 31. 34. & 41. uniformiter ac conſequentiâ erroris reſpectivè pari diſtant à Plenilunio verò differentia ferme trium dierum. Dum econtra annô Æræ vulgaris 25. 28. 35., quibus reverà illa facta, quæ V. Agredana annis 31. 34. & 41 alligat, juxta Chronologiam Blanchinianam moraliter certam contigerunt, Plenilunia vera à feſtis Paſchalibus Agredanis diſtarent differentiâ octo, quatuor, & duodecim dierum, prout in ſequente calculo Aſtronomico demonſtratur.

I. Calculus

Pleniluniorum Paſchalium ad annos poſt C. N. 31. 34. 41. menſe Martio, ad Meridianum Pariſienſem, poſita differentia longitudinum inter Meridianum Pariſ. & Jeroſol.

$34^{\circ}. --'$. ſeu horis 2. minutis horariis 16.

Ex Tabulis De la Hire.

Primò ad annum 31.

	ſ	°	'	''
Radix anno C. N. pro ☉.	9.	8.	43.	48
anni 30.	11.	29.	44.	11.
Menſ. Februar.	1.	28.	9.	11.
Dies 23.	-.	22.	40.	12.
Loc. med. ☉.	11.	29.	17.	22.
℞. Apog. ☉.	2.	9.	5.	2.
anni 30.	-.	-.	30.	45.
Menſ. Febr.	-.	-.	-.	12.

Apog.

Digitized by Google

Apog. ☉.	2.	9.	35.	59.
Anom. ☉.	9.	19.	41.	23.
Æquat. Add.	-.	1.	48.	-.
Locus verus ☉.	-.	1.	5.	22.
Radix anno C. N. pro ☾.	4.	15.	18.	9.
anni 30.	-.	13.	45.	42.
Menſ. Febr.	1.	27.	24.	26.
Dies 23.	10.	3.	3.	25.
Loc. med. ☾.	4.	29.	31.	42.
Radix Apog. ☾.	9.	11.	4.	38.
anni 30.	4.	10.	52.	56.
Menſ. Februar.	-.	6.	34.	23.
Dies 23.	-.	2.	33.	45.
Apog. ☾.	2.	1.	4.	44.
Loc. med. ☾.	4.	29.	31.	42.
Anom. ☾.	2.	28.	26.	58.
æquat. Subtrah.		4.	58.	50.
Locus verus ☾.	4.	24.	32.	52.
Locus verus ☉.	-.	1.	5.	22.
Elongatio ☾ à ☉.	4.	23.	27.	30.
	5.	29.	59.	60.
differentia	1.	6.	32.	30.
motus diurnus ☾.		13.	10.	35.
☉.			59.	8.
Elong. diurna ☾ à ☉.		12.	11.	27.

Dic $731' : 24^{h} :: 2192' : 72^{h} = 3.$ dies

Ergo Plenilunium Aſtronomicum anno 31. contigit 27. Martii, in Meridie.

2. Calculus
pro anno 34.

Radix ☉.	9.	8.	43.	48.
anni 33.	-.	-.	-.	21.
Februar. Biſſ.	1.	29.	8.	19.
Dies 24.	-.	23.	39.	20.
Locus med. ☉.	-.	1.	31.	48.
Apog. ☉.	2.	9.	39.	-.
anom. ☉.	9.	21.	52.	48.
æquat. A.		1.	46.	20.
Locus verus ☉.	-.	3.	18.	8.
Radix ☾.	4.	15.	18.	9.
anni 33.	1.	25.	5.	27.
Febr. Biſſ.	2.	10.	35.	1.
Dies 24.	10.	16.	14.	-.
Locus med. ☾.	7.	7.	14.	37.
Apog. ☾.	6.	13.	15.	15.
anom. ☾.	-.	23.	59.	22.
æquat. Sub.		1.	57.	42.
Locus verus ☾.	7.	5.	16.	55.
Loc. verus ☉.	-.	3.	18.	8.
Locus verus ☾.	7.	5.	16.	55.
Diſt. ☾. à ☉.	7.	1.	58.	47.

′ h
Dic. 731: 24:: 1918: 62 = 2 dies. 14. h.

Itaque Plenilunium contigit 22 Martii h. 10. veſp.

3. Cal-

3. Calculus

pro anno 41. 30. Martii

	s	°	'	''
Locus med. ☉.	-.	6.	45.	21.
Apog.	2.	9.	46.	12.
anom.	9.	26.	59.	9.
Æquat. A.		1.	41.	51.
Locus verus ☉.	-.	8.	27.	12.
Locus med. ☾.	4.	16.	8.	6.
Apog. ☾.	6.	28.	37.	50.
anom. ☾.	9.	17.	30.	16.
Æquat. A.		4.	41.	9.
Locus verus ☾.	4.	20.	49.	15.
Locus verus ☉.	-.	8.	27.	12.
Diſt. ☾. à ☉.	4.	22.	22.	3.
	5.	29.	59.	60.
Elong. ☾. à ☉.	1.	7.	37.	57.

' h '
Dic. 731: 24:: 2257: 74 = 3. dies 2. h.

Igitur Plenilunium contigit 3. April. h. 2. veſp.

4. Calculus

pro anno 25. 24. Martii.

Locus med. ☉.	-.	-.	43.	11.
apog.	2.	9.	30.	-.
anom. ☉.	9.	21.	13.	11.
Æquat. A.		1.	46.	50.

Locus

Locus verus ⊙.	-.	2.	30.	1.
Locus med. ☾.	3.	3.	13.	24.
Apog.	6.	7.	3.	9.
anom. ☾.	8.	26.	10.	15.
Æquat. A.		4.	59.	17.
Locus verus ☾.	3.	8.	12.	41.
Locus verus ⊙.	-.	2.	30.	1.
Diſt. ☾. à ⊙.	3.	5.	42.	40.
	5.	29.	59.	60.
elong. ad oppoſit.	2.	24.	17.	20.

Dic. $731' : 24^{h} :: 164^{h} = 6.$ dies. 20. h.

Igitur Plenilunium non contigit 24 Martii ſed 1. April mane h. 8.

5. Calculus

	pro anno	28.	26.	Martii.
Radix. ⊙.	9.	8.	43.	40.
anni 27.	11.	29.	20.	1.
Februar. Biſſ.	1.	29.	8.	19.
dies 25.	-.	24.	38.	28.
Loc. med. ⊙.	-.	1.	58.	28.
Apog.	2.	9.	33.	25.
anom.	9.	22.	25.	3.
æquat. A.		1.	46.	5.
Locus verus ⊙.	-.	3.	24.	33.
Radix ☾.	4.	15.	18.	9.
anni 27.	11.	2.	25.	58.
Februar Biſſ.	2.	10.	35.	1.
dies 25.	10.	29.	24.	36.

Loc.

Loc med. ☾.	4.	27.	43.	43.
apog.	10.	9.	9.	27.
anom. ☾.	6.	18.	34.	17.
æquat. A.		1.	34.	20.
Locus verus ☾.	4.	29.	18.	4.
Locus verus ☉.	-.	3.	24.	33.
Diſt. ☾. à ☉.	4.	25.	53.	31.
	5.	29.	59.	60.
Elong. ☾. ad oppoſit.	1.	4.	6.	29.

Dic. $731'$: 24^{h}:: 2046: 67^{h} = 2 dies 19. h.
Itaque Plenilunium 29. Martii h. 7. mane.

6. Calculus
pro anno 35.

Radix ☉.	9.	8.	43.	40.
anni 34.	11.	29.	46.	1.
Martius.	2.	28.	42.	30.
Loc. med. ☉.	-.	7.	12.	11.
Apog.	2.	9.	40.	-.
anom. ☉.	9.	27.	32.	11.
æquat. A.		1.	41.	21.
Locus verus ☉.	-.	8.	53.	32.
Radix ☾.	4.	15.	18.	9.
anni 34.	6.	4.	28.	30.
Mart.	3.	15.	52.	32.
Loc. med. ☾.	2.	5.	39.	11.
Apog. ♍.	9.	11.	4.	38.
anni 34.	10.	3.	29.	6.
Mart.	-.	10.	1.	37.

Digitized by Google

Apog. ☾.	7.	24.	35.	21.
anom. ☾.	6.	11.	3.	50.
æquat. A.	-.	-.	56.	50.
Locus verus ☾.	2.	6.	36.	1.
Locus verus ☉.	-.	8.	53.	32.
Locus verus ☾.	2.	6.	36.	1.
Diſt. ☾. à ☉.	1.	27.	42.	29.
	5.	29.	59.	60.
Elong. ad oppoſit.	4.	2.	17.	31.

Dic. 731 : 24 :: 7337 : 240 = 10. dies.

Itaque Plenilunium contingit 11 Aprilis in Meridie.

Plura talia Plenilunia accurratius calculata ab A. R. P. Nicaſio Grammatici S. J. in ſuo Opere de Æra vulgari ab anno 28 usque 36, & à me in priores annos extenſa reperies in adjecta Tabella.

Ad hoc reſponderi quidem poteſt, nobis non eſſe ſatis clarè perſpectam formam Calendarii Judaici, quod forte non fuit ſecutum leges aſtronomicas, ſed erroneas Epactarum tabulas. Sed num hoc ſatisfaciat, númque Judæi permiſerint, ſua Plenilunia Paſchalia integris 2. 3. 4. 5. & pluribus diebus removeri à pleniluniis veris, aliorum eſto judicium: mihi ſufficit deſignaſſe difficultatem.

Argumentum præſens poſſet proponi etiam hoc modo: Nulla eſt aſſignabilis Hypotheſis circa annum Nativitatis Chriſti, in qua verificentur omnes Notæ Chronologiæ Characteriſticæ à Ven. Maria de Agreda deſignatæ, ergo. *Ant prob.* ab inductione & inſpectione Tabularum quas ſubjicio. Nam quocunque demum anno Juliano ſupponatur, Chriſtum natum eſſe, ſequetur unam alterámque harum Aſſertionum falſas eſſe.

Si Chriſtus ponatur natus eſſe anno Juliano 45, ſequetur primo: Mortem Chriſti, & B. Virginis non incidere in diem Veneris. Secundò: Nuptias in Cana non fuiſſe celebratas Feriâ ſecundâ. Tertiò:

Der Buchbinder wird die Tabella pag. 507 heften.

Digitized by Google

CH

D

Vita Chriſti, & B. V.	Anni poſt N. C. currentes	A[illegible] Æt[illegible] B. V[illegible] com[illegible]
Mors Chriſti poſt ejus Nativitatem anno 33 completo	34	[illegible]
Eodem anno Paſcha Judaicum die Veneris, 25 Martii, inchoatum die Jovis ad Veſperam initio noctis		
S. Jacobus abiit in Hiſpaniam elapſis uno anno & quinque menſibus poſt Paſſionem Chriſti, in Auguſto	35	5
	36 37 38 39	5 5 5 5
Hoc anno 2. Januarii B. Virgo apparuit in Hiſpania, completo anno ætatis 54. &	40	5

Bibliopegus Tabellam pag. 507. huic adjunget paginæ.

Digitized by Google

nni atis /irg. pleti	Anni Julian. curren-tes	Cyclus Solis	Litt. Domin. Julian.	Cyclus Lunæ	Paſcha	Citationes	
19	79	15	C	III		part. 2. n.	1035
							1099
						part. 3. n.	358
							551
							742
					25 Martii	part. 2. n.	1157
							1158
							1159
							1297
							1358
0	80	16	B	IV		part. 3. n.	319
							358
1	81	17	A G	V			
2	82	18	F	VI			
3	83	19	E	VII			
4	84	20	D	VIII			
5	85	21	C B	IX		part. 3. n.	358
							551

Der Buchbinder wird die Tabella pag. 507 hefften.

Digitized by Google

Vita Chriſti, & B. V.	Ann poſt C. N curren
Hoc anno 2 Julii B. Virgo revertitur Epheſo Jeroſolimam, anno ætatis 56 completo, & 9 menſibus,	42

Bibliopegus Tabellam pag. 507. huic adjunget paginæ.

Google

Der Buchbinder wird die Tabelle pag. 507 hefften.

Digitized by Google

Tertiò: Plenilunium Paſchale apud Judæos anno 31. 34 & 41. non incidiſſe in diem 24. 25. & finem Martii. Quartò: Sequetur, Æram Vulgarem eſſe veram, cum tamen à modernis Chronologiſtis, v. g. à Pagio in *Apparatu Chronologico*, & in *Critica ad Baronium*; P. Alexandro Natali in *Hiſtoria Eccleſiaſtica*; P. Nicaſio Grammatici *De Æra Vulgari*, Franc. Blanchino. Anaſtas. Bibliothec. Tom. 2. Opuſc. 4. & aliis demonſtratur eſſe falſa, eoquod ex antiquis documentis Synchronis conſtet, Herodem jam obiiſſe anno Juliano 41. & duo *Gemini* Conſules, ſub quorum conſulatu certum eſt ex conſenſu Patrum, Hippoliti, Tertulliani, Lactantii, Chryſoſtomi, Auguſtini, Victorii, Protherii, Sulpitii, Severi, Lucii, Cœcilii, Chriſtum paſſum eſſe, conſulatum jam geſſerint anno Juliano 73, prout Blanchinus L. CC. demonſtrat, id eſt, anno Æræ vulgaris 28 vel ad ſummum 29.

Si verò ponatur, Chriſtum natum eſſe anno Juliano 46, ſequetur primò: Conceptionem B. Virginis non contigiſſe die Sabbati. Secundò: Nec Nuptias in Cana Feria ſecunda. Tertiò: Tria præfata Plenilunia Paſchalia non incidiſſe in 24. 25. & finem Martii. Quartò: Aut Agredam non fuiſſe ſecutam Calendarium Poparum; adeoque etiam in priore Hypotheſi, quod Chriſtus natus ſit anno Juliano 45, Conceptionem B. Virginis non incidere in diem Sabbati; aut ſi ſecuta eſt Calendarium Poparum Romanorum, etiam Nativitas Chriſti anno Juliano 46 non incidit in diem Dominicam. Quintò: Sequetur, Chriſtum natum eſſe quinquennio poſt mortem Herodis Infanticidæ, utpote quem conſtat, jam obiiſſe anno Juliano 41.

Quod ſi ſupponatur, Chriſtum natum eſſe anno Juliano 44, aut 43, aut 42. ſequetur primò: Nec Nativitatem Chriſti contigiſſe die Dominica, nec Chriſti & B. Virginis mortem die Veneris; nec anno Juliano 42 & 43 Nuptias in Cana feria ſecunda; nec anno 44 & 43 Conceptionem B. Virginis die Sabbati. Sequetur ſecundò: Tria præfata Plenilunia Paſchalia non contigiſſe 24. 25. & ad finem Martii.

Si denique Nativitas Chriſti referatur ad annum Julianum 41.

Bibliopegus Tabellam pag. 507. huic adjunget paginæ.

Digitized by Google

40. 39, ſequentur eadem falſa quoad aſſignationem Feriarum & Pleniluniorum Paſchalium, ut patet conſideranti Litteras Dominicales horum annorum, easque comparanti cum Tabula Feriarum; & inſpicienti Tabulam Pleniluniorum Paſchalium.

Si cui placeret, Nativitatem Chriſti extendere ad annum Julianum 38, 37, 36, aut alium anteriorem, nec ſic quidem ſalvabit ferias, & dies Paſchales à Maria de Agreda aſſignatas, ut iterum cuivis patebit ex nuda inſpectione Litterarum Dominicalium, & Tabularum.

Cum itaque nulla ſit aſſignabilis Hypotheſis Chronologica de vero anno Nativitatis Chriſti, in qua ſalventur Feriæ, & dies Paſchales in his Revelationibus aſſignatæ; & ex altera parte moraliter certum ſit, unam ex dictis Hypotheſibus ac calculationibus veram eſſe, ſequetur, Revelationes Agredanas contraire principiis Chronologicis moraliter certis.

Propoſitio 2. In Revelationibus Mariæ de Agreda aliqua affirmantur, quæ ex Philoſophia & Matheſi videntur refutari.

Primò, Affirmant, Jeróſolimam & Nazarethum ab invicem diſtare 30 milliaribus. Part. 2. Num. 738. Econtra Nazarethum & civitatem Juda, ſeu domum Zachariæ diſtare tantùm 27. milliaribus. Part. 2. Num. 201. 211. Hoc eſt difficile, quia fatentur, illam civitatem diſtare Jeroſolimâ 2 milliaribus verſus fontes fluminis Horec, ſeu Sorec; eamque eodem loco fuiſſe ſitam, ubi nunc ejus memoria recolitur à peregrinantibus. Cum ergo flumen Sorec ſit verſus Auſtralem plagam reſpectu Jeroſolimæ, ibique viſitetur à peregrinantibus; neceſſe eſt, etiam domum Zachariæ ſitam fuiſſe verſus illam plagam; adeoque 2. milliaribus remotior erat Nazaretho, quàm Jeroſolima; conſequenter diſtabat non 27 milliaribus, ſed 32 milliaribus.

Secundò, Affirmant, fieri non potuiſſe modo humano, ut Chriſtus cum ſuis diſcipulis intra ſpatium tridui veniret ex finibus Judææ in Canam Galilææ. Part. 2. Num. 1034. Hæc aſſertio eſt difficilis; con-

Digitized by Google

conſtat enim, Canam Galilææ Nazaretho diſtare ad ſummum duabus horis; ut patet inſpicienti Mappas Geographicas Terræ Sanctæ. Conſtat etiam ex his ipſis Revelationibus Part. 2. Num. 207. & 208. quod B. Virgo, quantumvis gravida, intra quatuor dies confecerit iter Nazaretho usque in domum Zachariæ, quæ duobus milliaribus juxta præcedentem Obſervationem remotior eſt, quàm Jeroſolima. Item, conſtat ex his Revelationibus Part. 2. Num. 463, quod B. Virgo, quantumvis proxima partui, & in Solſtitio hyemali, intra quinque dies Nazaretho venerit Bethlemium. Cur ergo intra biduum aut triduum non potuerit Chriſtus ex finibus Galilææ & Judææ venire in Canam Galilææ, cum hæc diſtantia vix ſit dimidia ejus diſtantiæ, quæ eſt Nazaretho Jeroſolimam, aut Bethlemium, aut in domum Zachariæ, ut patet inſpicienti Mappam Geographicam Palæſtinæ. Quod enim Judææ Provincia ſe extenderit ultra Samariam, quæ vicinior eſt Nazaretho, quàm Jeroſolimæ, patet ex Joſepho, qui teſtatur, Samariam pertinuiſſe ad jurisdictionem Pilati, Præfecti Judææ.

Tertiò, Affirmant, Tres Reges intra novem aut ad ſummum decem dies veniſſe in Bethlehem ex Perſia, ex Saba, & Arabia. Dicunt enim, quod profecti ſint 25 Decembris, & attigerint Bethlemium 6. Januarii, non obſtante, quod etiam Jeroſolimis ſe detinuerint uno vel altero die. Part. 2. Num. 554. 557. 568. 1035. Hoc totum eſt difficile, certum enim eſt, Regnum Sabæorum, quod ſitum eſt in extremitate Felicis Arabiæ ad Mare rubrum, diſtare Jeroſolimâ ad minimum 300 milliaribus Germanicis, ſeu 600. milliaribus Palæſtinis, ac 1200 Italicis; via autem tot milliarium intra decem dies abſolvi non poteſt. Quod autem regnum Saba ſitum ſit in extremitate Felicis Arabiæ, conſtat ex Ptolomæo, & aliis antiquis Scriptoribus, qui, dum loquuntur de Sabæis, de hoc tantùm populo loquuntur. Ptolomæus, cujus patria, utpote Ægyptus, erat contermina regno Sabæorum, ponit Metropolin regni Saba ſub gradu longitudinis 76, latitudinis 13. De his etiam Sabæis loquitur Virgilius L. 1. Georg. *Molles ſua thura Sabæi.* & L. 2.

 Georg.

Digitized by Google

Georg. *Solis eſt thurea virga Sabæis* & Valerius Flaccus L. 6. *Thuriferos, felicia regna, Sabæos.*

Quartò, Affirmant, Gazam dictare Jeroſolimâ 20 horis. Part. 2. Num. 624. In Mappa P. Coronelli, & aliorum ſunt 28.

Quintò, Affirmant, B. Virginem in deſerto Berſabeæ confeciſſe 60 milliaria. Part. 2. Num. 631. In Mappa P. Coronelli, & Adrichomii vix durat hoc deſertum 5 milliaribus Palæſtinis, quorum duo conficiunt unum milliare Hiſpanicum, ut hæ Revelationes aſſerunt. Part. 2. Num. 1483, & ex eo etiam declarant, quia 60 Stadia conficiunt 4 milliaria Palæſtina, ſeu 2 Hiſpanica. Part. 2. Num. 1483.

Sextò, Affirmant, quod terræ Diameter contineat 2502 milliaria, adeoque Semidiameter 1251. Part. 2. Num. 1459. Hæc computatio eſt difficilis, ſive ſumantur milliaria Germanica, ſive Hiſpanica, ſive Gallica, ſive Palæſtina, ſive Italica. De Germanicis, Gallicis, & Italicis id clarum. Nam cum uni Gradui æquatoris correſpondeant milliaria Germanica 15, Gallica 20, Italica 60, ſeu Bononienſia 64. circumferentia terræ continebit milliaria Germanica 5400; Gallica 7200; Italica 21600. Cum ergo ex Geometria conſtet, Diametrum terræ ad ejus circumferentiam ſe proximè habere, ut 100 ad 314. erit Diameter terræ in milliaribus Germanicis 1719. in Gallicis 2293, in Italicis 6876. Videamus nunc de Palæſtinis & Hiſpanicis. Dicunt hæ Revelationes, quod 60 ſtadia conficiant 4 milliaria Palæſtina & 2 Hiſpanica. Part. 2. Num. 1483. Aliunde autem ex Ptolomæo, L. 1. C. 11. aliiſque Geographis conſtat, quod uni gradui Æquatoris tribuantur 500 Stadia adeoque uni milliari Germanico 32, Gallico 24, Italico communi 8 Stadia; Ergo dum Revelationes affirmant, 60 Stadia conficere 4 milliaria Palæſtina, & duo Hiſpanica, ſequitur, milliaria Palæſtina eſſe duplo majora Italicis, & Hiſpana coincidere cum milliaribus Germanicis. Adeoque, cum in milliaribus Germanicis Diameter terræ habeat milliaria 1719, nec plura habebit milliaria Hiſpanica; Palæſtina autem milliaria erunt 3439. Quod ſi dicas, milliaria Hiſpanica in uno gradu æquatoris ſumenda eſſe 17½, ut ponit in ſua

Geogra-

Geographia P. Scherer C. 5. Propoſ. 3. §. 1. & La Croix in ſua Geog. C. 2. §. 3. circumferentia terræ erit milliarium 6120; Diameter 1687. Itaque difficile eſt, Diametrum terræ in milliaribus uſu receptis, de quibus utique Deus in his Revelationibus loqui debuit, ſi intelligi voluit, continere milliaria 2502.

Septimò, affirmant, 60 ſtadia conficere 4 milliaria Palæſtina, ſeu 2 Hiſpanica. Part. 2. Num. 1483. Hoc difficile eſt, nam milliaria Hiſpanica non ſunt æqualia milliaribus germanicis, ut patet ex Geographorum omnium uſu. Sequeretur autem, ea eſſe æqualia; quia 60 Stadia accuratè reſpondent 2 milliaribus germanicis. Nam juxta Ptolomæum L. 1. C. 11. in confeſſo eſt, uni gradui Æquatoris aut alterius circuli maximi reſpondere 500 Stadia, & apud Geographos pariter certum eſt, uni gradui reſpondere 15 milliaria germanica; facta autem diviſione numeri 500 per 15 fiunt 30⅓ Stadia pro uno milliari germanico. Quod ſi quis dicat, ad ſalvandam hanc æqualitatem 60 Stadiorum cum 2 milliaribus Hiſpanicis ſupponi poſſe, aut requiri pro uno gradu plura Stadia, quàm 500, ſicut & Erathoſtenes requiſivit 700, & Hipparchus 769; aut, cum Stadia componantur ex 125 paſſibus Geometricis; hi autem ex 5 pedibus, poſſe ſupponi minores pedes, quàm ſunt germani, vel illi ægyptiaci; Reſpondeo; ſi ſupponatur ſententia Erathoſtenis, ſequetur 23⅓ milliaria reſpondere uni gradui; quod de Hiſpanis milliaribus non eſt verum; & in ſententia Hipparchi reſpondebunt 25⅓ milliaria uni gradui, quod iterum de Hiſpanis milliaribus falſum eſt. Ultimum verò, quod pedes Hiſpani ſint in ea proportione minores ad pedes germanos ſeu Rhenanos, dici non poteſt; alioquin ſequeretur pedem Hiſpanum debere eſſe in proportione ad pedem Rhenanum, vel Ægyptiacum veterem, ut 15. ad 17½. Dein, indignum videtur Deo revelante, ſumere ſtadia comparativè ad milliaria Hiſpanica & tamen illis Stadiis non tribuere ſignificatum determinatum aliunde cognitum. Caſſinus, ut habetur in Actis Academiæ Regiæ Pariſienſis paſſim, ponit pro uno gradu 57061 perticas ſeu Hexapedes Pariſienſes; adeoque ſi uni gradui reſpondent

500. Sta-

Digitized by Google

500 Stadia, unum Stadium tantum conſtaret 114 Hexapedis ſeu 684 pedibus Pariſienſibus; ſeu 136 paſſibus geometricis & conſequenter, ſi ratione inæqualitatis pedum duobus milliaribus Hiſpanicis debent reſpondere talia Stadia, quæ conſtituantur ex 125 paſſibus Geometricis, pedes Hiſpani ad Pariſienſes ſe deberent habere, ut 136 ad 125.

Octavò, Affirmant, quod tres Reges ſequendo ductum ſtellæ brevi convenerint in eandem viam. Part. 2. Num. 557. Hoc eſt difficile; nam unus horum Regum erat ex Perſia, alter ex Saba, tertius ex Arabia. Manifeſtum autem eſt, regiam Sabæorum, cujus ſupra ſitum ex Ptolomæo determinavi ad fauces Maris Rubri, diſtare à Perſia trecentis milliaribus; adeoque quocunque ſitu aut motu ſtellæ poſito difficile eſt, ut tres Reges è tam diſſitis ac diverſis Regnis ſequendo ductum ſtellæ tam cito ſibi invicem occurrant. Dein ſi ponatur ſtella apparuiſſe in exigua diſtantia à terra, non poterat videri, ut in ſequenti numero oſtendam; ſi autem ponatur in magna diſtantia & altitudine, non poterant eam tam cito aſſequi.

Nonò, Affirmant, Stellam illam verſatam quidem fuiſſe in infima regione aeris; nihilominus tamen viſam fuiſſe eodem tempore in Perſia, Saba, & Arabia verſus Palæſtinam. Part. 2. Num. 556. 557. difficile eſt, objectum, exiſtens in infima regione aeris, ſimul videri verſus Palæſtinam in Perſia & Saba, & Arabia. Nam infima regio aeris eſt illa, in qua dantur tempeſtates, nives, pluviæ, nubes, fulmina, ut definiunt hoc nomen Philoſophi; ſed nubes, quæ videntur v. g. in Bavaria, non videntur in Italia vel Gallia aut viciſſim. Idem probatur ex eo, quia hæc omnia non aſcendere quoad altitudinem ultra ſex milliaria, probat De la Hire in Actis Academiæ Regiæ ex deſcenſu Mercurii in Barometro, utpote ad altitudinem iteratam 60 vel 65 pedum ſemper deſcendentis unâ lineâ. Atqui poſita ejuſmodi altitudine Atmoſphæræ aereæ, nempe ſex milliarium, objectum in ea altitudine videri non poteſt ultra 122 milliaria. Quod ſi tamen ſupponamus gratis, Atmoſphæram ac infimam regionem aeris in altitudine aſcendere ad 12, immo 30 milliaria,

liaria objectum in ea altitudine poſitum nihilominus videri non poterit ultra 173, & in poſteriore caſu ultra 275 milliaria. Itaque Stella nondum potuiſſet ſimul videri in regno Sabæ, & Perſiæ verſus Palæſtinam. Nam punctum, ubi linea viſualis verſus Palæſtinam concurrit cum viſuali ex Saba, diſtat à Metropoli Sabæorum ferme 300 milliaribus. Operatio autem Geometrica eſt hæc: Quadratum Semidiametri terræ ſubtrahatur à Quadrato aggregati ex altitudine data & præfata Semidiametro; ex Reſiduo extrahatur Radix.

Decimo, Affirmant, B. Virginem adveniſſe in Bethlehem hora quarta Veſpertina ſole jam occidente. Part. 2. Num. 463. Hoc difficile eſt, quamvis in ſano ſenſu explicari poſſit. Nam 24 die Decembris Bethlemii ſol occidit horâ quintâ ferme, unò videlicet Minuto tantùm ante horam quintam, ut deſuper inſtituto Calculo Aſtronomico cuivis patet, Latitudine loci poſita 31.° 30′.

Undecimò, Affirmant, S. Hoſtiam in communicantibus ex ſtomacho aſcendere in cor, ibique tanquam ſuo Tabernaculo imprimere ſpecialem Characterem. Hinc etiam in B. Virginis corde S. Hoſtiam tanquam in Tabernaculo perpetuò fuiſſe aſſervatam. Part. 2. Num. 1197. 1202. Part. 3. Num. 116. 121. 122. 123. 124. 125. 129. Hoc totum difficile eſt, quia S. Hoſtia nondum reſoluta in Chylum ordinariè non poteſt per venas lacteas tranſire in Ductum Pecqueticum, & exinde reſidere in corde. Circulatio ſanguinis, quæ a Neotericis Philoſophis inventa eſt, evertit hoc totum Syſtema Reſidentiæ Euchariſticæ in corde B. Virginis & communicantium.

Duodecimò, Affirmant, Incarnationem ſic contigiſſe; quod nempe tres guttæ ſanguinis per compreſſionem cordis deciderint ex corde in matricem, ubi ex illis tribus guttis fuit formatum corpus Chriſti. Part. 2. Num. 137. Hæc naturaliter fieri difficile eſt. Nam primò falſum eſt, quod per compreſſionem cordis tres guttæ ſanguinis poſſint delabi in Matricem. Cùm enim detur circulatio ſanguinis, manifeſtum eſt, ſanguinem ex corde propelli in arterias, & ex his in venas. Potuiſſet quidem Deus ex corde ſumere guttas

Digitized by Google

ſanguinis, & ex iis in Matrice formare corpus Chriſti; ſed hoc non fuiſſet juxta ordinem naturæ, quem conſtat Deum voluiſſe obſervare, inquantum ſalva Virginitate B. Virginis, & immunitate à peccato Originali fieri potuit; & ſic non fuiſſet opus compreſſione cordis; nec guttæ ſanguinis fuiſſent delapſæ, ſed deportatæ & translatæ penetratis corporibus intermediis variis. Secundò non eſt veroſimile, ſanguinem, qualis reperitur in corde, eſſe materiam proximam ad formationem corporis humani; quod apud omnes Philoſophos conſtat eſſe falſum. Utrum verò ſit vera ſatis jam recepta doctrina eorum, qui docent corpus humanum formari ex ovulis delatis ex Ovario matrum, aut aliorum, non eſt neceſſe hoc loco ſtatuere.

Decimotertiò, Affirmant, Lac B. Virginis fuiſſe naturaliter incorruptibile ob bonam complexionem. Part 2. Num. 549. Hoc eſſe difficile, conſtat ex Philoſophia; lac enim habet ſuos poros, & principia reſolubilia per continuam permeationem aeris; itaque neceſſe eſt, diſſolvi ejus partes volatiles; his verò reſolutis etiam deſtrui naturam lactis. Dein ſi Lac B. Virginis eſt naturaliter incorruptibile, ſequetur, etiam corpus ejus naturaliter eſſe incorruptibile, quia eadem eſt natura ejusmodi compoſitarum partium, quæ eſt totius. Sic autem ſequetur, quod immortalitas primi hominis fuerit ejus naturalis conditio, quod coincidit cum 25 Propoſitione Bay. damnata.

Decimoquartò, Affirmant, ſecundinas quaſi fuiſſe unum cum corpore Chriſti; easque fuiſſe partem ſanguinis B. Virginis. Part. 2. Num. 479. Secundinas eſſe partem ſanguinis materni, non eſt veroſimile.

Decimoquintò, Affirmant, Sanguinem B. Virginis communicatum Infanti in utero pro nutritione non fuiſſe impurum, ſed puriſſimum, quia fuit communicatus ex impulſu amoris & aliarum virtutum. Part. 2. Num. 139. Quod ſanguis B. Virginis de ſe fuerit puriſſimus, non negatur; quod tamen ideo debuerit eſſe purus, quia proceſſit ex impulſu amoris, non videtur. Sanguis enim, ſi ſemel ex defectu bonæ nutritionis inficiatur Chylo male digeſto, non

Digitized by Google

non depuratur ab iſtis impuritatibus phyſicis per exercitium virtutum, ut patet ab experientia tam in Matribus quàm Virginibus alioquin piiſſimis. Dein ſanguis omnino purus non permixtus cum Chylo & Sero Chyloſo ne quidem eſſet ad nutritionem idoneus, ut manifeſtum eſt Philoſophis.

Decimoſextò, Affirmant, Omnes homines ſimul ſumptos non profudiſſe tantùm lachrimarum, quantum profudit ſola B. Virgo. Part. 2. Num. 801. Hoc eſt difficile; nam ſi colligerentur omnes lachrimæ, quæ unquam profuſæ ſunt à tot millionibus hominum ab origine mundi, colligeretur immenſa copia, eaque tanta, ut ſi B. Virgo ſingulis diebus lachrimata eſſet centum aut mille metretas, vix illam exæquaret. Tot autem metretas ab una fœmina profundi, utique eſt impoſſibile naturaliter; cum tantùm materiæ latere non potuerit in humano corpore.

Decimoſeptimò, Affirmant, quod B. Virgo adhuc in utero materno exiſtens plus ſciverit de operibus divinis tam naturalibus quàm ſupernaturalibus, quàm ſciunt & per totam æternitatem ſcient omnes creaturæ, angeli & homines. Part. 1. Num. 226. Hoc eſt difficile; nam ſcientia B. Virginis fuit finita; illud autem, quod per totam æternitatem ſcietur, eſt aliquod infinitum Syncategorematicum, manifeſtum autem eſt ex Philoſophia, finitum æquari non poſſe cum infinito Syncategorematico.

Decimooctavò, Affirmant, quod B. Virgo in Crucifixione Chriſti præceperit Soli, Lunæ, Planetis, & Stellis, & cœlis, ut ſiſtant ſuum curſum; & quod ſtatim paruerint ejus mandato. Part. 2. Num. 1389. 1390. Hoc eſt difficile; quia ex Ariſtotele, D. Thoma, & ex Philoſophis Neotericis conſtat, motum cœlorum eſſe cauſam omnium motuum, qui fiunt in inferioribus; adeò ut ſi unico momento ceſſaret motus cœlorum, eo ſtatim momento juxta D. Thomam ceſſarent omnes generationes & alterationes in toto mundo. Id etiam patet in Philoſophia Neotericorum; nam ceſſante motu cœlorum ceſſaret motus ætheris, ſeu ſubtilis materiæ, adeoque eoipſo ceſſarent omnes motus in terra.

Ttt 2 *Deci-*

Digitized by Google

Decimononò, Affirmant, quod caro Chriſti fuerit caro B. Virginis. Part. 3. Num. 117. 766. Sed non eadem numero caro, quæ eſt in matre, manet in infante; ſicut & ovum non eſt caro gallinacea.

Vigeſimò, Affirmant, ætatem triginta trium annorum eſſe ætatem perfectam; ab hac ætate homines non amplius creſcere in longitudinem; & ab hac ætate homines communiter jam incipere deficere, calorem & humorem naturalem jam minui, capillos albeſcere, ſanguinem frigeſcere, vires fugere, ſtructuram humanam ad ruinam vergere. Part. 2. Num. 856. Quod decrementum virium in pleriſque incipiat jam ab anno 33, non eſt veroſimile. Quod verò dicatur, anno ætatis 33 hominem non amplius creſcere in longitudinem, non ſervit ad probandam perfectionem illius ætatis, quia illa conſiſtentia in longitudinem præcedit integro ferme decennio.

Vigeſimoprimò, Affirmant, tot & tantas fuiſſe B. Virgini conceſſas gratias, quantæ per abſolutam Dei potentiam pro ejus capacitate potuerunt decenter concedi. Part. 2. Num. 1515. 146. 243. Part. 3. N. 515. Part. 1. N. 251. 283. 289. 480. 481. 483. 487. 507. 590. 490. 497. 498. 562. 657. Et alibi ſæpiſſime. Hæc doctrina eſt difficilis quidem, fateor tamen, me ipſum in eam valde propendere, neque huic aſſertioni contradicit, quod B. Virgo dicatur creviſſe in omni gratiarum genere uſque ad ſuum extremum vitæ momentum. Quia hìc non negatur poſſibilitas majoris incrementi phyſici intra illius totius limites, quod dicitur ex ſuo genere gratiarum poſſibilium juxta normam decentiæ ſummum.

Vigeſimoſecundò, Affirmant, cœlos, qui communiter dicuntur, aquei, eſſe cryſtallinos; & deſcendente Verbo in terram undecim cœlos præ reverentia fuiſſe diviſos ab invicem ſeu diſruptos. Part. 2. Num. 17. 128. Certum eſt apud modernos Aſtronomos, cœlos eſſe fluidos, non ſolidos ſeu cryſtallinos, cum aliter motus Cometarum, Stellarum, & Planetarum explicari non poſſint. Non igitur videtur, deſcendente Verbo eos ab invicem divelli.

Vigeſimotertiò, Affirmant, Corpus humanum compactum eſſe ex quatuor humoribus, ſanguineo, melancolico, phlegmatico, & colerico.

Digitized by Google

lerico. Part. 1. Num. 214. Hoc dogma veterum philoſophorum videtur contrarium experientiæ, & analyſi chymicæ humorum.

Vigeſimoquartò, Affirmant, præfatos quatuor humores, & qualitates frigoris ac caloris in B. Virgine nunquam egiſſe ad corruptionem mutuam. Part. 1. N. 214. Difficile eſt, ut contraria non agant in mutuam corruptionem ſecundum curſum naturæ; aliàs ſequeretur, vitam ac temperamentum B. Virginis fuiſſe naturaliter incorruptibilia, adeoque etiam primo homini immortalitatem fuiſſe naturalem ejus conditionem, quod eſt error Bay.

Vigeſimoquintò, Affirmant, quod dolor naſcens ex miſeriis hujus mundi non ſit verus dolor, ſed tantùm apparens. Part. 1. Num. 255. Sed aliud eſt, quod, licet ſit verus dolor, comparativè tamen ad dolores inferni ſit quaſi nihilum; aliud eſt, quod etiam in ſe non ſit verus dolor.

Vigeſimoſextò, Affirmant, dari finitum maximum, quo majus & perfectius dari non poteſt. Patet ex ſequentibus Exemplis. Sic

1. Conſtanter docent, quod Deus tanta contulerit B. Virgini, quanta potuit, & quod ultra ea non potuerit plura aut majora conferre, ſpectata ejus capacitate; ipſam autem capacitatem ei tantam contulit, quantam potuit conferre. P. 1. 251. 283. 289. 480. 481. 483. 487. 507. 590. P. 2. 38. 71. 75. 82. 426.

2. B. Virgo habuit virtutes in gradu abſolutè perfectiſſimo, qui potuit dari. P. 1. 487. 488. 489. 497. 498. 506. 507. 562. 657. (772.) (P. 2. N. 3.) (P. 2. N 4.) (P. 2. 152.) (P. 2. N. 244.) 426. Sed P. 2. 610. fatetur, Deum nunquam tanta dare, quin poſſit plura dare. P. 2. 728.

3. Dicitur, animam B. Virginis fuiſſe raptam in habitaculum, quod eſt proximum Deo, & remotiſſimum à rebus tranſitoriis. P. 2. N. 5. P. 2. N. 190.

4. B. Virginem decuit ad talem gradum gratiarum & ad tantam amicitiam admitti, qui ne quidem poteſt ab ulla alia pura creatura admitti. P. 2. 75.

5. In humanitate Chriſti erant omnia eousque perfecta, quo potuit pertingere omnipotentia Dei. P. 2. N. 146.

6. B. Virgo ſemper operata eſt modo perfectiſſimo abſolutè poſſibili. P. 2. 243.

7. B. Virgo eſt effigies & ſimilitudo filii ſecundum ejus Humanitatem, quanta in pura creatura eſt abſolutè poſſibilis. P. 2. 780. 1050.

8. Nullum paſſa eſt tranſire momentum, in quo non operata eſt omnes virtutes poſſibiles. P. 2. 1053.

Hæc doctrina eſt quidem difficilis, ut ſupra inſinuavi; ipſemet tamen valde in eam propendeo: quia admitto, Deum intra collectionem entium finitam operari ſemper optimum, ſaltem formaliter, id eſt, ordine partium, & finibus abſolutè intra eam collectionem poſſibilibus. Cum ergo præſens ſyſtema naturæ & gratiæ comprehendat collectionem entium tantum finitam, veroſimile mihi eſt, eo modo, quo in Univerſo tanquam in aliquo Contracto ſeu Compendio omnium poſſibilium maximo dantur omnia ſumma genera entium, & in quovis genere ordo abſolutè perfectiſſimus, ita credo, in B. Virgine dari compendium maximum omnium gratiarum poſſibilium, id eſt, omnia genera gratiarum ſumma, & in quovis genere abſolutè perfectiſſimum comparativè ad collectionem entium finitam. Hinc non dubito, Venerabilem Maria de Agreda quoad doctrinas aſceticas & gratias B. Virgini collatas habuiſſe revera illuſtrationes, lumina generalia, & viſiones, ſaltem directivas, divinas.

Propoſitio 3. Revelationes Mariæ de Agreda contrariantur Documentis Hiſtoriæ aliunde moraliter certis.

1. Quia contrariantur Hiſtoriæ Biblicæ juxta Vulgatam.
2. Quia contrariantur claris teſtimoniis Veterum, indubitatis moraliter.
3. Quia narrant geſta incompoſſibilia moraliter cum circumſtantiis temporum, aut cum ſilentio Scriptorum coævorum.

§. 1.

Digitized by Google

§. 1.

1. Affirmant, narrari in Scriptura, quod Lucifer in forma ſerpentis locutus fuerit cum Eva. Part. 1. Num. 139. Non videtur, quod Scriptura aſſerat, diabolum fuiſſe locutum cum Eva in *forma ſerpentis*. Neque enim Scriptura determinat, utrum diabolus aſſumpſerit formam ſerpentis, an verò locutus fuerit ex vero ſerpente tanquam ex obſeſſo; an verò locutus fuerit ſub alia quadam animalis forma; an tantùm locutus ſit in mente Evæ per cogitationum immiſſionem? de his utique non litigarent Interpretes, ſi Scriptura quidpiam horum determinate ſtatueret.

2. Affirmant, In Libro Numerorum contineri pertinentia ad Arithmeticam. Part. 1. Num. 149. Hic modus loquendi non vult præcisè dicere, quod in Libro Numerorum contineantur numeri, & quod numeri pertineant ad Arithmeticam; hoc enim dicere fuiſſet otioſum; ſed videtur dicere, contineri utilia præcepta, aut directiones ad diſcendam Arithmeticam; quod eſt falſiſſimum. Sed poſſibile eſt, Venerabilem Arithmeticam ſumpſiſſe pro ipſa *computatione* puta, rerum ad hiſtoriam Judaicam pertinentium.

3. Affirmant, Omnia myſteria novæ Legis non fuiſſe tantùm in Prophetis & Pſalmis obſcurè præfigurata, ſed etiam declarata. Part. 1. Num. 155. 159. 161. Hæc difficilia videntur legenti Pſalmos & Prophetas; & ex D. Paulo, qui ad Hebræos oſtendit, Legis Veteris documenta fuiſſe tantum umbram futurorum.

4. Affirmant, Chriſtum ſurrexiſſe à cœna, poſtquam jam nox ingruerat. Part. 2. N. 1204. Hæc verba ſignificant, Chriſtum ſurrexiſſe à cœna ad initium noctis. Id verò repugnare Hiſtoriæ Evangelicæ videtur, in qua dicitur, Paſcha primum incepiſſe ad initium noctis. In Marco C. 14. dicitur: *Veſpere autem facto venit cum duodecim.* Cùm ergo Chriſtus primùm veſpere venerit in Civitatem, & Paſcha Judaicum primùm fuerit celebratum ad initium noctis; poſt hoc Paſcha autem inceperit lavare pedes, ac dein inſtituerit Euchariſtiam, quæ omnia requirebant notabile ſpatium temporis, non potuit à Cœna ſurgere, & è cœnaculo diſcedere, niſi

nocte

Digitized by Google

nocte jam profecta, non verò nocte ingruente. Quod autem Judæi ſuum Paſcha primùm celebraverint nocte, fatetur ipſa Ven. Maria de Agreda Part. 2. Num. 1157.

5. Affirmant, tempore Paſſionis ſolam B. Virginem retinuiſſe fidem, ſic ut ipſa fuerit tota Eccleſia. Part. 2. Num. 1448. Hoc videtur difficile, quia S. Joannes, S. Nicodemus, S. Joſeph ab Arimathia, S. Magdalena, & aliæ Sanctæ mulieres & latro bonus utique non amiſerunt fidem. Dein in tota Palæſtina, & juxta has Revelationes etiam in Ægypto, fuerunt innumeri homines converſi ad Chriſtum, qui utpote abſentes, nihil ſciverunt de paſſione, adeoque etiam non potuerunt ea de cauſa amittere fidem.

6. Affirmant, ab Apoſtolis pro miniſterio temporalium conſtitutos fuiſſe ſex Diaconos; dein illis præfectos fuiſſe ſeptem alios. Part. 3. Num. 103. 109. 190. Sed Acta Apoſtolorum C. 6. ut videtur, oſtendunt, Septem Diaconos ſuſcepiſſe eandem curam temporalium, quam habuerant Apoſtoli; hi verò ea adminiſtrabant temporalia prius per ſeipſos, non per alios ſex Diaconos.

7. Affirmant, quod populus in primitiva Eccleſia tantum communicaverit ſub una ſpecie, exceptis tantùm aliquibus, qui aliquanto tempore continuarunt communicare ſub utraque ſpecie. Part. 3. Num. 113. At Contrarium ſatis clarè colligitur ex 1. ad Cor. 11. ubi Apoſtolus ſupponit, omnes communicare ſub utraque ſpecie; ita ut potius in contrarium conſuetudo communicandi ſub una ſpecie fuerit paucorum, non illa communicandi ſub utraque ſpecie. Quod ſi verba Apoſtoli alicui videantur non concludentia de ſe, talia certè videntur ut explicata per generalem conſuetudinem illorum primorum temporum, de qua indubitatò conſtat ex Patribus & Scriptoribus primitivæ Eccleſiæ usque ad ſera tempora; ut notum eſſe ſuppono Eruditis.

8. Affirmant, Chriſtum poſt Jejunium quadrageſimale adhuc decem menſibus manſiſſe in Judæa. Part. 2. Num. 1013. Hæc videntur falſa ex Evangelio S. Joannis C. 1. & 2. ubi oſtenditur, Chriſtum finitâ ſecundâ allocutione cum S. Joanne ſtatim rediiſſe in Gali-

Galilæam; hæc verò ſecunda allocutio immediatè ſubſecuta eſt jejunium quadrageſimale, quia S. Lucas C. 4. huic jejunio quadrageſimali immediatè ſubjungit reditum in Galilæam, quod plane dedeceret Hiſtoricum, ſi totaliter omitteret tam notabilem vitæ apoapoſtolicæ partem, puta tertiam aut quartam, nec ab antecedente Hiſtorico notorio ſupletam, nec ullo termino etiam generali indicatam, prout factum circa vitam ejus usque ad annum 30, utpote ſaltem terminis generalibus, quod fuerit ſubditus &c. comprehenſam.

§. 2.

Hæ Revelationes contrariantur claris teſtimoniis Scriptorum, aliàs indubitatis moraliter.

Primò, aſſerit, in illa quæſtione, *utrum Chriſtus veniſſet, ſi Adam non peccaſſet*, Theologos affirmativæ & negativæ ſententiæ non diſſentire inter ſe, ſi bene intelligantur; Part. 1. Num. 74. Hujus prætenſæ reconciliationis inter duas præfatas ſententias poſſibilitas eſt difficilis; neque enim conveniunt ambæ ſententiæ in hoc, quod Chriſtus fuiſſet venturus ſi Adam non peccaſſet, neque eſt tantùm controverſia in hoc, utrum fuiſſet venturus in carne paſſibili.

Secundò, aſſerit, Deum propterea S. Joanni in Apocalipſi oſtendiſſe B. Virginem ſub figura Civitatis deſcendentis de cœlo, ut hac viſione animaretur ad majorem curam in illa protegenda. Part. 1. Num. 248. Hoc difficile, nam teſte Irenæo L. 3. Joannes ſcripſit Apocalypſin in Pathmos ſub Imperatore Domitiano, quo tempore jam ferme triginta anni effluxerant à morte B. Virginis. Hujus enim mors contigit anno 55 poſt N. C. Domitianus verò ſucceſſit in Imperio anno 83. Impoſſibile proin eſt, quod S. Joannes potuerit animari hac viſione ad protegendam B. Virginem.

Tertiò, aſſerit, Simeonem illum, qui Chriſtum Infantem accepit in ulnas ſuas, etiam excepiſſe B. Virginem quando præſentabatur in templo; eumque fuiſſe Summum Sacerdotem. Part. 1. Num. 422. 740. Part. 2. Num. 592. 600. 603. Hoc difficile eſt, nam Evangelium Luc. 2. deſcribit illum Simeonem, tanquam igno-

Digitized by Google

bilem, & ſanctum. Et Ecce, inquit, *homo erat in Jeruſalem, cui nomen Simeon, & homo iſte juſtus & timoratus, & Spiritus Sanctus erat in eo.* Qui modus loquendi non uſurpatur ab Evangelio, aliisque Scriptoribus, dum eſt Sermo de aliqua perſona illuſtri, aliàs nota, v. g. de Pilato, Caypha. Joſephus autem de Simone, qui tempore Herodis erat Summus Pontifex, teſtatur, quod ab Herode fuerit in Summum Sacerdotium intruſus; & quod Mariamna, impia uxor Herodis, fuerit hujus Simonis filia; ac denique quod duo Simonis filii, Eleazarus, & Joazar ſuo patri ſucceſſivè in Pontificatu ſucceſſerint. Vide Salianum ad annum mundi 4030. Num. 8. 4058. N. 2. 4061. N. 3. Joſephus Antiquit. L. 15. C. 10. L. 17. C. 18. L. 18. C. 1.

Quartò, aſſerit, B. Virginem integro ſeptennio manſiſſe in Ægypto, nempe usque ad obitum Herodis. Part. 2. Num. 669. 700. Ex hoc ſequitur, Herodem obiiſſe ſexto anno poſt Nativitatem Chriſti, aut certè quinto. Hoc autem eſt difficile. Nam certum eſt, Herodem obiiſſe anno Juliano 41 aut 42, quorum utroque Jeroſolimis circa tempus Paſchale juxta Calculum Aſtronomicum teſte P. Nicaſio Grammatici de Æra Vulgari C. 5. incidit Eclipſis Lunaris, à Joſepho annotata in morte Herodis Antiquit. L. 17. C. 7. Itaque Nativitas Chriſti contigiſſet anno Juliano 36 aut 37. Et ejus Mors anno Juliano 69 aut 70. Omnia autem iſta repugnant monumentis Hiſtoriæ. Pagius in Apparatu Chronologico Num. 147. teſtatur, juxta omnes indubitatò Nativitatem Chriſti debere concludi intra annum Julianum 40 & 46. id ſic exigente circumſtantia temporum v. g. quia ex Joſepho L. 18. Antiquit. C. 7. conſtat Pilatum non eſſe factum Præſidem ante annum duodecimum Imperii Tiberii; annus verò duodecimus Tiberii incidit in annum Julianum 71. ſequitur proin Pilatum anno Juliano 69 aut 70 nondum fuiſſe Præſidem Judææ. Ergo ſi Chriſtus fuiſſet natus anno Juliano 36 aut 37, & ſi obiiſſet anno ætatis 33, prout obiiſſe affirmant hæ Revelationes propoſ. 1., ſequitur Chriſtum fuiſſe Crucifixum, antequam Pilatus fuerat Præſes Judææ, cum tamen ex Evan-

gelio Luc. 13. conſtet, eum jam præfuiſſe 2. ad minimum annis ante Paſſionem.

Quintò, affirmant, Pilatum ſcripſiſſe ſententiam mortis contra Chriſtum ſub hac forma: *Ego Pontius Pilatus* Præfectus inferioris Galilææ hic Jeroſolimis à Romano Imperio conſtitutus - anno ab Orbe condito 5233. Part. 2. Num. 1358. Hanc formulam eſſe contra Stylum Romanum notum eſt omnibus parum eruditis. Neque enim Romani numerabant annos ab Orbe condito, nec dicebant ſe eſſe conſtitutos à Romano Imperio, ſed à Senatu, aut Imperatoribus; neque numerabantur dies menſium numeris continuis, ſed per Kalendas, Idus &c. ſic v. g. ut ex mille exemplis proferam unum, Baronius ad annum Chriſti 1. Num. 13. affert inſcriptionem Templi Pacis hanc.

Paci æternæ Domus. Dedic. XV. K. Dec. Imp. Veſpaſiani L. Annio Baſſo. C. Cœcina Palto Cos. &c. Eodem modo concepta ſunt omnia ſolennia, quotquot produci potuerunt & poſſunt, Romanorum Veterum Acta.

Sextò, aſſerit, anno poſt Nativitatem Chriſti 35 Summum Sacerdotem fuiſſe Abiathar. Part. 3. Num. 396. Hoc difficile eſſe, conſtat ex Joſepho qui L. 18. Antiq. C. 11. teſtatur, Caiphæ in Summo Sacerdotio ſucceſſiſſe Jonatham. Accedit, quod Cayphas aliquot adhuc poſt mortem Chriſti annis, nempe usque ad annum Tiberii 22, conſequenter usque ad annum Julianum 81 manſerit Pontifex, prout oſtendit Baronius ad annum 31. Num. 8. & ad annum 37. N. 3.

Septimò, aſſerit, Templum Dianæ Epheſinum anno poſt Nativitatem Chriſti 40 ad preces B. Virginis fuiſſe intra unicam noctem ab angelis ſolo æquatum, ſic ut nec lapis manſerit ſuper lapidem; Epheſinos tamen ſtatim aliud novum Templum ædificaſſe. Part. 3. Num. 445. Hoc totum eſt difficile, conſtat enim, Templum Dianæ vetus adhuc perſtitiſſe usque ad Galienum Imperatorem, ſub quo teſte Julio Capitolino *in Galieno* à Gothis ſpoliatum & incenſum eſt. Plinius, qui obiit anno 79 poſt Nativitatem Chriſti, adeoque

Digitized by Google

que triginta novem annis poſt hanc prætenſam deſtructionem, L. 36. C. 14. Hiſt Nat. teſtatur, ſuo tempore vetus illud Templum adhuc extare. Sic enim habet: *Magnificentiæ vera admiratio extat Templum Dianæ Epheſiæ, ducentis viginti annis factum à tota Aſia. In ſolo id paluſtri fecere, ne terræ motus ſentiret, aut hiatus timeret. Univerſo templo longitudo eſt 425 pedum, latitudo 220; columnæ 127 à ſingulis regibus factæ* &c. *Operi Eteſiphon præfuit Architectus - cætera ejus operis ornamenta plurium librorum inſtar obtinent.* En! Plinius teſtatur, huic ipſi ædificio, quod tunc extabat, præfuiſſe Eteſiphontem, antiquum Architectum, & in perficiendo hoc opere 200 annis à tota Aſia laboratum eſſe. Non itaque veroſimile eſt, quod anno poſt N. C. 54, quo Paulus venit Epheſum, jam extiterit novum templum, diruto ſimile, cum Plinius, qui paulo poſt ſuum opus dedicavit Veſpaſiano, teſtetur extare Vetus Templum.

Octavò, aſſerit, Chriſto veniente in Ægyptum corruiſſe fermè omnia idola & templa Ægypti P. 2. N. 644. 645. 649. 650. 654. 666. 934. 1041. Id difficile eſſe conſtat quantum ad templa ex eo, quia diu poſt Chriſtum ſteterunt adhuc vetera famoſa templa Ægypti. Evagrius in Vitis Patrum teſtatur, ſe adhuc vidiſſe templum, in quo dicebantur corruiſſe idola; itaque templum perſtitit. Baron. ad annum 1. N. 45. Plutarchus in Opuſculo, *cur Oracula deſierint*, inſinuat, adhuc ſupereſſe Ammonis Templum, quod conſtat fuiſſe in Ægypto. Baron. ad annum 100. N. 3. 4. Juvenalis Satyra 6 idem ſupponit. Spartianus teſtatur, Alexandriæ Idolum Apis repertum eſſe. Templum & idolum Serapidis adhuc ſuo tempore ſtetiſſe Alexandriæ teſtatur Ruffinus, Ammianus, Clemens Alexandrinus apud Baron. ad annum 389. N. 86. 87. Ibidem N. 96. 97. Ruffinus teſtatur, Theophilum Alexandrinum Epiſcopum deſtruxiſſe templum Canopi antiquum, & univerſim omnia delubra in tota Ægypto nondum à Conſtantino M. deſtructa.

§. 3.

Hæ Revelationes narrant geſta, moraliter incom-

compoſſibilia cum circumſtantiis temporum, aut ſilentio Authorum coævorum.

Ut in hac materia procedam ordinatè, præmitto duo Poſtulata ex *Arte Critica*, quam edidi in Philoſophia Pollingana.

Poſtulatum 1. Illa geſta ſunt moraliter incompoſſibilia cum circumſtantiis temporum, quæ juxta *Leges Contingentium* vix unquam ſolent conjungi cum ejusmodi circumſtantiis. Part. 1. §. 4. N. 3. 4. 5. & §. 2. N. 1. Artis Criticæ.

Poſtulatum. 2. Illa geſta ſunt moraliter incompoſſibilia cum ſilentio Authorum coævorum, quæ potuiſſent, & debuiſſent annotari. Illa autem potuiſſent annotari, quorum in Scriptoribus dabatur indubitata notitia. Et ea debuiſſent annotari, quæ jam ex inſtituto erant materia Scriptionis in ſpecie; quæ erant adeo digna memoratu, ut non cenſeantur omiſſa eſſe ex incuria, aut oblivione; & ad quæ ſcribenda dabantur ſpecialia motiva in Authore, id eſt, talia, quorum neglectus redderet Authorem imprudentem. Art. Crit. Part. 2. §. 4. Num. 1. His præmiſſis aſſertionem probo ab inductione.

1. Tribuuntur B. Virgini miracula innumera, aliaque Acta maximi momenti etiam publica, quorum tamen nullus antiquorum Scriptorum meminit, ne quidem in genere. v. g. Quando fuit præſentata in Templo, ſplendor replevit totam domum, & audita eſt vox, dicens: *Veni Sponſa mea*. &c. &c. P. 1. N. 421.

2. Dum loquitur cum aliis puellis, e medio illarum rapitur etiam ſecundum corpus in cœlum. P. 1. N. 429. 436.

3. Quando deſponſabatur S. Joſepho, Summus Sacerdos in plenario Concilio Sacerdotum congregavit omnes Juvenes ac maſculos ſolutos ex Tribu Juda, quorum ſingulis tradidit ramum aridum. Tunc florere cœpit ſolus ramus S. Joſephi. Part. 1. Num. 752. 753.

4. Multi ex ſolo aſpectu B. Virginis convertabantur, & omnes ex ejus præſentia fiebant perfectiores. Part. 2. N. 1. 2.

5. In itinere, quando viſitabat S. Eliſabetham, inviſebat, & ſanabat ægros. Part. 2. Num. 207.

Digitized by Google

6. Reddidit Zachariæ uſum linguæ. P. 2. N. 291.

7. In Ægypto circumibat in pagis, & patrabat multa miracula; ejiciebat dœmones ex idolis, & corporibus. P. 2. N. 646.

8. In Ægypto folia & fructus illius arboris, quæ ſe inclinavit, ſanarunt morbos. P. 2. N. 647.

9. In Ægypto Heliopoli patravit multa miracula P. 2. N. 654. ea tot erant, ut eſſent deſcribenda integris libris. Ib. N. 666. 667.

10. In Ægypto docebat populum, tenendo Jeſulum in brachiis. Doctrinam confirmabat miraculis; ſæpe ibat in hoſpitalia, & ſanabat ægros. Ib. N. 667. 668. 669.

11. Exorta peſte ex tota provincia concurrebat ad eam magna multitudo. Omnes redibant recepta ſanitate animæ & corporis. P. 2. N. 670.

12. Numerus animarum, quas ſanctificavit; ægrorum quos ſanavit, & miraculorum, quæ patravit per illud ſeptennium in Ægypto, non poteſt comprehendi. P. 2. N. 700.

13. Quando JESUS duodennis rediit ex Templo in Nazareth, ipſe & B. Virgo ſanabant multos ægrotos. P. 2. N. 769.

14. Chriſtus comitante B. Virgine per tres annos ante ſuum Baptiſmum circumibat vicina loca usque ad Tribum Nephtali, & inſtruebat homines de adventu Meſſiæ. B. Virgo adhortationes ſuas tunc potiſſimum habuit ad fœminas. Miracula tunc in hoc itinere à B. Virgine patrata ſunt. P. 2. N. 927. 926. (quamvis non ita publica, ut dein)

15. Innumera ſunt miracula, quæ B. Virgo patravit tempore prædicationis Chriſti; illuminabat cœcos, ſanabat ægros &c. Evangeliſta propterea meminit tantùm miraculorum Chriſti, quia voluit tantùm adducere ea miracula, quæ ſufficiebant ad ſtabiliendam fidem. Erant innumerabiles mulieres, quæ à B. Virgine ad agnitionem Chriſti, & ad perfectionem Evangelii adductæ ſunt. P. 2. N. 1048. 1049.

16. Fideles fere omnes concurrebant ad B. Virginem, & congratulantes confitebantur, eam eſſe matrem Meſſiæ. P. 2. N. 1058.

17. B. Virgo fere ſemper comitabatur filium tempore prædicatio-

Digitized by Google

cationis, niſi iis temporibus, quibus in comitatu S. Joannis operabatur converſiones & miracula. P. 2. N. 1108.

18. B. Virgo poſt mortem Chriſti ſuſcepit in ſe curam & regimen Eccleſiæ. P. 2. 1501.

19. Chriſtus præcepit diſcipulis, ut impoſterum obedirent matri in omnibus loco ſui; ut eam agnoſcerent pro ſuo capite, & Superioriſſa, & ut ad eam deferrent omnia dubia, ac difficultates; & ut eam habeant pro ſupremo capite Eccleſiæ. P. 2. N. 1505. Cur talia Evangeliſtæ non ſcripſerint, in cauſa eſt, quia illis præcepit, ne alia de ſe ſcriberent, niſi quæ erant neceſſaria ad fundandam Eccleſiam. P. 2. N. 1508.

20. B. Virgo poſt reditum ſuum è cœlo explicavit Apoſtolis myſterium Trinitatis, & Unionis Hypoſtaticæ, & alia fidei Dogmata. P. 3. N. 48.

21. De miraculis, quæ B. Virgo operata eſt in primitiva Eccleſia, nec minima pars deſcribi poteſt. P. 3. N. 87.

22. Donum miraculorum collatum fuit (tempore Adventûs Spiritûs Sancti) etiam fœminis; nam & ipſæ tunc impoſitione manuum contulerunt ægris ſanitatem, cœcis viſum, mutis loquelam, claudis greſſum, mortuis vitam. P. 3. N. 83.

23. B. Virgo determinavit omnes controverſias in Eccleſia, v. g. an in poſterum ſit baptiſmus Joannis adminiſtrandus, an veró Chriſti? P. 3. N. 101. Quomodo ſint adminiſtranda bona temporalia? N. 104.

24. Sanabat omnes morbos omnium fidelium in Palæſtina, quando cognovit hoc illis eſſe utile. P. 3. N. 159.

25. Ordinat Apoſtolis, ut conſcribant Symbolum fidei, cujus docet modum & formulam. P. 3. N. 211. 212. &c. Et ejus Symboli plurimas Copias deſcriptas ab angelis miſit ad omnes ubivis in toto orbe fideles, juſſitque eas promulgari. P. 3. N. 222. 223. Per has Copias etiam facta ſunt maxima miracula impoſitione manuſcriptæ Copiæ ſupra obſeſſos, ægros, mortuos. P. 3. Num. 224.

26. Cuivis Apoſtolorum ante Diviſionem donavit togam contextam

Digitized by Google

textam miniſterio angelorum, & crucem ejus altitudinis, cujus quivis fuerat, & thecam Reliquiariam. P. 3. N. 237. 238.

27. Epheſi deſtruxit ac ſolo æquavit Templum Dianæ, quaſi in momento, per ſuos angelos. P. 3. N. 445.

28. Epheſi inſtituit communitatem Monialium. P. 3. N. 462. cui & varia præcepta Monaſtica quæ hìc referuntur, ac preces tradidit. N. 463.

29. Rogatur à Petro, ut veniat Jeroſolimam ad Concilium, ut ejus aſſiſtentiâ reſolvatur controverſia. P. 3. N. 457.

30. Ea navigante navis aliquoties ab angelis ſublata fuit è fluctibus in aerem. P. 3. N. 466.

31. Ordinavit, ut conſcriberentur quatuor Evangelia, eaque cum quatuor Evangeliſtis, antequam conſcribebantur, contulit. P. 3. N. 560. 561. &c.

32. Ordinavit Apoſtolis eandem formam veſtium, easque ipſamet confecit adjuvantibus angelis. P. 3. N. 566.

33. Nullus tranſibat dies, aut nox, quibus non operata eſt varia miracula in bonum Apoſtolorum & Eccleſiæ. P. 3. N. 567.

34. Sæpe Apoſtolis apparuit, & tractavit cum ipſis de variis negotiis Eccleſiæ, præſertim de inſtituendis Feſtis. Sic ex ejus ordinatione inſtituta ſunt feſta Nativitatis, Paſſionis, & Cœnæ Domini; Aſcenſio, Pentecoſte, & Cæremoniæ Eccleſiaſticæ. P. 3. N. 568.

35. Si conſcriberentur omnia miracula, quæ operata eſt in gubernatione Apoſtolorum & Eccleſiæ, pluribus libris opus foret, quam continentur lineæ in hac Hiſtoria. P. 3. Num. 571. (continentur autem in hac Hiſtoria ad minimum 64000 lineæ)

36. Tribus annis ante ejus obitum tota natura cœpit demonſtrare ſuum luctum; Cœli, ſtellæ, Planetæ, inceperunt deperdere multum pulchritudinis & ſplendoris, ſicut minuitur dies ingruente nocte. Aves duobus ultimis annis circumvolitantes ejus cubiculum edebant lugubres voces. P. 3. N. 705. Similem luctum dederunt feræ, nam cum ſemel viſitaret loca ſancta, ad eam concurrerunt multæ feræ ex Sylvis & montibus. Sex ultimis menſibus

Sol,

Digitized by Google

Sol, Luna, & Stellæ lucebant minori lumine, quàm hactenus conſueverant. In die verò obitûs totaliter obſcurabantur. Et quamvis multi viri docti hanc mutationem in cœlo obſervaverint, cauſa tamen iis erat incognita. Apoſtoli tamen, & Diſcipuli, qui interfuerunt ejus morti, cauſam agnoverunt. P. 3. N. 706.

37. Ex eo tempore fideles oſculabantur terram, ubi veſtigia poſuit. P. 3. N. 707.

38. Duobus ultimis annis omnibus ægris & miſeris ad ſe venientibus contulit ſanitatem animæ & corporis. P. 3. N. 709.

39. Quotiescunque communicabat, circumdabatur miro ſplendore omnibus id videntibus. P. 3. N. 718.

40. In articulo mortis illius cœleſtis odor, & angelica muſica diffundebatur etiam in plateam. Cœnaculum replebatur ſplendore, quem omnes viderunt. In teſtimonium hujus miraculi factus eſt magnus concurſus populi in plateis Jeroſolımæ. P. 3. N. 740.

41. In hac morte ſol aliquot horis obſcuratus fuit in teſtimonium luctûs; omnes ægri advenientes retulerunt ſanitatem; & tres perſonæ eo momento Jeroſolimis in peccato mortuæ redierunt ad vitam, & pœnitentiam. P. 3. N. 743.

42. Ad ſepulturam convenerunt non ſolùm fideles qui portabant candelas accenſas, quarum nulla per illud triduum vel minimùm conſumebatur, ſed etiam reliqui omnes incolæ Jeroſolımæ, vix ullo etiam gentilium ac Judæorum excepto. Mille angeli præcedebant canentes, quorum muſica audiebatur ab Apoſtolis & Diſcipulis, & multis aliis. P. 3. N. 752.

43. In via ad Sepulchrum contigerunt multa miracula; omnes ægri, quorum convenerat magna multitudo, ſanabantur. P. 3. N. 753.

44. Ad illius tumulum per integrum annum permanſit ſuaviſſimus odor; in Cœnaculo autem manſit multis annis. P. 3. N. 754.

45. Decretum fuit ab Apoſtolis, quando condiderunt Symbolum, ut vocaretur *Mater Dei.* Ab aliis Fidelibus vocabatur communiter *Maria à JESU. Maria à JESU Nazareno. Maria Filia Joachimi & Annæ.* P. 3. N. 459.

Horum pleraque erant publica, quorum proin facilis dabatur in Scriptoribus, præſertim S. Joanne & S. Luca notitia; pleraque ſerviſſent ad corroborandam Religionem, & ad inſtructionem fidelium; aliqua v. g. quod fuerit vocata *Mater Dei*, quod inſtituerit monaſterium &c. fuiſſent etiam neceſſaria contra Arrianos, Neſtorianos, Lutheranos &c. Poterant indicari ſaltem terminis generalibus ſine ullo ſcandalo gentilium, aut detrimento humilitatis in B. Virgine. S. Lucas inſignis cultor B. Virginis, cujus etiam occulta myſteria ac verba tanquam pretioſa fragmenta ſervavit in Evangelio memoriæ, habuiſſet occaſionem optimam ſcribendi in Evangelio, aut Actis Apoſtolorum; præſertim cum iſta primùm abſolverit ſex annis poſt obitum B. Virginis, utpote anno 61; habuiſſet etiam occaſionem S. Joannes in ſuo Evangelio, & Epiſtolis; habuiſſent occaſionem Scriptores Eccleſiaſtici primorum temporum, cum impoſſibile fuerit, ad eos non perveniſſe traditionem tantorum mirabilium & memorabilium. Dein B. Virgo fuiſſet æquè objectum venerationis & perſecutionis, ut Chriſtus.

Secundò. Narrantur talia circa vitam Chriſti, quibus obſtant partim teſtimonia Veterum partim ſilentium, quia potuiſſent, & neceſſariò debuiſſent annotari à Scriptoribus Eccleſiaſticis primitivæ Eccleſiæ;

1. In Nativitate Chriſti meliorabantur omnes influxus Planetarum; ſol accelerabat ſuum curſum; ſtellæ clarius ſplendebant; multæ arbores proferebant flores & fructus. Aliquot templa Idolorum corruerunt; multa idola dejecta fuerunt in terram expulſis dœmonibus. Hæc & plura alia miracula erant tunc nota mundo; ſed homines ignorabant cauſam. Part. 2. N. 493. Debuiſſent ergo Gentiles & Judæi poſtmodum moneri de eventûs hujus cauſâ.

2. Quando JESUS intravit Ægyptum, contrita ſunt in Ægypto idola, altaria, & templa. Part. 2. N. 644. 649. 650. 654. 666. 934. 1041. omnes dœmones inſtar fulguris ex idolis Ægypti tunc in orcum detruſi ſunt. Ægyptii mirabantur de his eventibus. Metus eorum erat univerſalis; loquebantur etiam cum Maria de everſione

ſione ſuorum templorum. P. 2. N. 644. 645. Lucifer propterea peragrabat totam Ægyptum ubi fuerunt deſtructa templa & altaria ſuorum idolorum. Tunc rediit in orcum, & narravit dœmonibus, qui fuerant expulſi, quod eorum templa & idola fuerint deſtructa; ipſi enim tanta feſtinatione receſſerunt, ut ignoraverint, quid acciderit templis & idolis. P. 2. 649. 650. Ex his & aliis loquendi formulis colligitur, deſtructionem illam fuiſſe quaſi univerſalem non ſolùm idolorum ſed etiam templorum. Id tamen de templis nullo ex idoneo antiquo teſte conſtat; & quod attinet idola, veteres ſolùm tradunt, ea fuiſſe *concuſſa*, dœmones ex iis eſſe fugatos. Euſeb. L. 5. C. 20. id verò dœmones paſſos eſſe inviſibiliter. Idem L. 6. Demonſt. Evang. C. 20. Immo Euſebius teſtatur, à S. Macario quoddam Delubrum vetuſtiſſimum in Ægypto fuiſſe deſtructum. L. 6. Hiſt. C. 20. Quod ſi etiam aliqua idola corruerunt, non fuit ea everſio univerſalis. Si enim hoc verum eſſet, neceſſariò debuiſſet aliquando inſinuari ab Evangeliſta, dum eſt ſermo de fuga in Ægyptum; idem neceſſariò debuiſſet annotari in Apologiis contra Gentiles, præſertim ab Origene contra Celſum, Juſtino, Tertulliano, Euſebio &c. quia nulla ratione poſſent excuſari hi authores, ſi neglexiſſent argumentum adeo notorium, & convincens, dum aliàs fuerunt ſolertiſſimi in colligendis præjudiciis contra Gentiles v. g. ex teſtimoniis Sybillarum, ex ſilentio oraculorum. Vide Baron. ad annum 1. N. 44. 43.

3. B. Virgo tenens in brachiis Jeſulum circumibat, & convertebat ſuis prædicationibus ac miraculis fere totam Ægyptum. P. 2. N. 667. Nunquam mutatio Religionis in integro ferme regno contigit ſine vehementibus motibus Poparum, & Præſidum adhuc gentilium. Tanti autem ſtrepitus & converſiones non ſtant cum ſilentio authorum, ex inſtituto de fatis ejusmodi regnorum ſcribentium, prout contigit circa Ægyptum. Euſebius L. 2. Hiſt. C. 16. & 17. ex inſtituto ſcribit de converſione Ægypti; dicit primum fuiſſe S. Marcum, qui ibi prædicaverit Religionem Chriſtianam; deſcribit etiam Religioſos Ægypti tempore Apoſtolorum. Fuiſſet hic optima oc-

Digitized by Google

caſio referendi Acta Apoſtolica B. Virginis. Similiter de converſione Ægypti & Africæ loquuntur varii Patres, ut videri poteſt apud Baronium ad annum 44. N. 38. 39. Clemens, Origenes, Cyrillus, Alexandrini, vivebant in Ægypto; ſæpe in eorum operibus rediiſſet occaſio de hac re agendi. Nec Philo, qui ex inſtituto ſcribit de Religioſis, hinc inde in Ægypto cohabitantibus, tanquam de Secta ſuæ gentis, hanc laudem reticuiſſet, ſi Judaica fœmina convertiſſet ab Idolis fere totam Ægyptum. Petilianus objiciebat S. Auguſtino, ut videre eſt apud Baronium L. CC., quod Africa primùm ſerò, nempe poſt obitum Apoſtolorum, fuerit converſa. Repugnat Auguſtinus, ac contendit, Africam ab Apoſtolis Evangelium accepiſſe. Nil fuiſſet opportunius, quàm ſi demonſtraſſet, Ægyptum, quæ juxta Ptolomæum eſt pars Africæ, fuiſſe converſam etiam ante Apoſtolos, nempe à B. Virgine. Tam uniforme ſilentium authorum non accidit caſu, quia contingentia non procedunt uniformiter maximè contra connaturalem inclinationem cauſarum. Itaque cauſa hujus ſilentii alia non eſt, niſi quia factum non ſubſiſtit.

4. Poſt baptiſmum eſt jejunium quadrageſimale Chriſtus manſit adhuc decem menſibus in Judæa; & tunc primùm ſeceſſit in Galilæam in Cana. P. 2. N. 1013. Hoc ſpatium decem menſium à nullo Evangeliſtarum fuit deſcriptum. Lucas & Joannes ſolent ſupplere ea, quæ à Mathæo fuerunt omiſſa & à S. Marco; ſed in hoc puncto nihil prorſus ſupplent, nec in ſpecie, nec in genere.

5. Chriſtus cum B. Virgine jam cœpit prædicare triennio integro ante ſuum Baptiſmum, quamvis tunc non aperte dixerit, ſe eſſe Meſſiam, nec etiam aperta perpetraverit miracula. P. 2. N. 924. 927. 928.

6. In Pentecoſte, quando deſcendit Spiritus Sanctus, ii, qui fuerunt cauſa mortis Chriſti, ceciderunt retro in terram, & impegerunt ſua capita, & jacuerunt in terra per tres horas. Qui autem offenderunt Dominum, moriebantur repente, & in ſuo ſanguine ſuffocabantur. Alii Judæi fuerunt afflicti acutiſſimis doloribus & fœdiſſimis infirmitatibus, quæ etiamnum perſeverant. Omnes etiam inimi-

Digitized by Google

inimici Domini per fulgura & tonitrua terribilia vehementer conterriti ſunt. Hæc Evangeliſtæ & Apoſtoli tanquam rem non notabilem ſcribere neglexerunt. P. 3. N. 65. 73. Hæc plaga, ſimilis illis Ægyptiacis, fuiſſet utique res notabilis, & præ cæteris ſerviiſſet Petro, & Stephano in Concilio Judæorum, & D. Paulo arguenti Judæos ſæpius. Dein cur non obiit tunc etiam Herodes, Caiphas, Annas, & totum Sacerdotum Concilium, quos tamen ex Actis Apoſtolorum & Joſepho conſtat adhuc ſupervixiſſe?

7. Scribunt hæ Revelationes; Montem Calvarium eſſe locum fœtidum ex fœtore Cadaverum. Part. 2. N. 1375. Cum tamen Judæi conſuevęrint ſepelire extremo ſupplicio affectos; ut conſtat ex ipſo Evangelio. Joa. 19.

8. Etiam Sacerdotes jecerunt lapides in Chriſtum crucifixum. P. 2. N. 1388. Non permiſiſſet hoc Tribunus.

9. B. Virgo acclinabat ſe cruci. P. 2. N. 1436. in Evangelio dicitur, B. Virginem ſtetiſſe juxta crucem. Joa. 19.

10. Chriſtus jam fuit inunctus ante ſepulturam. P. 2. N. 1448. In Evangelio dicitur, quod mulieres primùm Sabbato emerint aromata ad JESUM inungendum; inunctio quoque non ſolet fieri ante eviſcerationem cadaveris.

11. Ignis in Pentecoſte deſcendens ſedit ſupra domum cœnaculi omnibus Judæis id videntibus. P. 3. N. 33. Si hoc vidiſſent Judæi, non exiſtimaſſent Apoſtolos ebrios.

12. Donum miraculorum per adventum Spiritus Sancti fuit collatum etiam fœminis. P. 3. N. 83. cur rem tantam ſilet S. Lucas in Actis?

13. Deliberarunt Apoſtoli in Concilio, an deberent baptizare baptiſmo Joannis, an verò baptiſmo Chriſti. P. 3. N. 106. Hæc quæſtio fuiſſet mira poſt tam expreſſum mandatum Chriſti ut baptizent in nomine Trinitatis. Math. 28.

14. Paupertas in Clero ſemper fuit conſervata cum abdicatione Dominii usque ad ortum Religioſorum Ordinum. P. 3. N. 108. Hæc abdicatio non fuit toti ſtatui Clericali propria, quia, ut conſtat ex D. Paulo, Epiſcopi plerumque regebant proprias familias, uti etiam Diaconi. ad Tim. & Tit.

Digitized by Google

15. Jam tunc in Miſſa elevabatur calix & hoſtia pro adoratione; erant etiam in Miſſa fere eædem cæremoniæ, & idem veſtium genus, ut nunc. P. 3. N. 112. 585. 586. Elevatio S. Hoſtiæ & Calicis immediatè poſt conſecrationem in Latina Eccleſia in antiquis Sacramentariis non habetur, ut teſtatur Cardinalis Bona L. 2. Liturg. C. 13; quod ſine dubio haberetur annotatum, ſi ante tempora Berengarii jam ab antiquo fuiſſet obſervatum. Cæremoniæ autem Miſſæ & veſtes aliæ erant diverſiſſimæ, ut patet ex Gregorio M. L. 7. Ep. 63. & Libris Liturgicis. Card. Bonæ L. 1. C. 5. 6. 7. 24.

16. S. Jacobus in Hiſpania ubique maximos habuit fructus; ædificavit Eccleſias, & fundavit Epiſcopatus. P. 3. N. 322. 358. 353. Tantos fructus non potuère ignorare Scriptores Eccleſiaſtici; Euſebius, & alii; & tamen nuſpiam de his fructibus indicium, ne quidem in Abdiæ fabulis.

17. B. Virgo à fidelibus communiter vocabatur *Maria à JESU, Maria à JESU Nazareno, Maria filia Joachimi & Annæ.* P. 3. N. 459. Cur ergo antiqui Patres v. g. Hieronymus fatentur, incognitum eſſe nomen parentum B. Virginis? & cur in tota Scriptura, aut Joſepho nullum reperitur exemplum, quod aliquando mater cognomen acceperit à filio; aut hac formula? Legitur ibi Maria Jacobi, Maria Cleophæ, Maria Magdælene; non Maria à Jacobo, Maria à Cleopha, Maria à Magdalo.

18. B. Virgo multis mulieribus in baptiſmo ſuum nomen contulit. P. 3. N. 463. Manifeſtum eſt ex Hiſtoria, has mutationes nominum nondum fuiſſe uſitatas in primitiva Eccleſia in baptiſmo, ut patet ex nominibus Apoſtolorum, Diſcipulorum, &c. qui retinuerunt ſuum priſtinum nomen poſt baptiſmum.

19. In Exequiis B. Virginis omnes fideles portabant candelas, comitante fere tota Jeroſolimâ. P. 3. N. 751.

20. Quando Lucæ 1. v. 39. dicitur: B. Virginem aſcendiſſe in *Civitatem Juda*, Revelationes iſtæ affirmant, hìc intelligi aliquam civitatem, quæ vocabatur nomine *Juda*; eam tamen poſt mortem Chriſti ſic fuiſſe deſtructam, ut nulla ejus apparuerint veſtigia, excepta

cepta ſola domo Zachariæ. P. 2. N. 208. S. Hieronymus, qui habitationem ſuam fixit Bethlemii, & tota antiquitas ſilet de hac urbe; omnes Interpretes unanimiter cenſent, hanc urbem fuiſſe aut ipſam Hebron, aut Emmaus. Hæ autem opiniones non potuiſſent habere locum, ſi circa Domum Zachariæ extitiſſent rudera cujusdam antiquæ urbis, prout neceſſario debuiſſent eſſe reſidua, ut ſunt in omnibus deſtructis urbibus.

Propoſitio 4. Hæ Revelationes multa continent contra opiniones ab Eruditis receptas, ac moraliter certas. Cum ergo ipſæ Revelationes non habeant pro ſe characteres verarum Revelationum moraliter certos, ut infra monſtrabitur propoſ. 10. etiam ex hoc capite Doctorum opinionibus poſtponendæ videntur.

1. Citant opera Dionyſii Areopagitæ tanquam legitimum ejus partum. Part. 1. N. 592. & P. 3. N. 13. De his Operibus Labbeus de Script. Eccleſ. ſæc. 1. in Dionyſio loquens ait: *Alii firmiſſimis argumentis negant, ea eſſe Dionyſii Pariſienſis vel Athenienſis. Ita Petavius, Morinus* &c. in quibus etiam ea argumenta videri poſſunt; uti & in Oudino de Script. Eccleſ.

2. Aſſerunt, Adamum Chriſto, & Evam B. Virgini quoad corpus fuiſſe ſimillimum, ita ut vix potuiſſent diſcerni quoad formam, & ſtaturam. P. 1. N. 136. Quod ſtaturam moraliter certa eſt communis perſuaſio, homines in prima ætate mundi fuiſſe majoris ſtaturæ, quàm millenario quarto aut quinto. Certitudinem moralem faciunt cadaverum antiquorum magnitudo, de quibus Hiſtorici.

3. Sententiam illam, quod à creatione mundi usque ad Nativitatem Chriſti effluxerint anni 5199, ſic adſtruunt, tanquam ſententiam ab Eccleſia adoptatam. P. 2. 476. 1359. Quod hæc ſententia aliquando fuerit ab Eccleſia uſurpata in Officio publico, verum eſt; quod autem ea ſententia fuerit ab Eccleſia aliquando adoptata, tanquam ſententia Eccleſiæ, repugnat communi ſenſui Doctorum, moraliter certo. Sicut enim hæc ſententia etiamnum in Mar-

Martirologio uſurpatur, quin per hoc adoptetur ab Eccleſia; ita cenſendum eſt, etiam antiquitùs eam ab Eccleſia fuiſſe uſurpatam, tanquam relationem eousque probabilem, aut certe tanquam ſuppoſitionem veterum, nondum authoritate publica diſcuſſam. Ita cenſet Pererius, Bonfrerius, Malvenda, Pagius, qui in Appar. Chron. N. 5. 6. 7. pluribus oſtendit: Eccleſiam eam opinionem, quam *ut* antiquitus *celebriorem* in Officio ſuſcepit, nunquam feciſſe ſuam; & id videtur ſupponi in Tridentino, dum pro uſu publico authenticam declarat Bibliam Vulgatam, apertè contrariam illi ſupputationi veterum.

4. Dicunt, Eccleſiam celebrare diem Conceptionis B. Virginis quoad animam, & non quoad corpus; quia novem menſes, qui intercedunt inter feſtum Nativitatis & Conceptionis B. V., interceſſerunt ab infuſione animæ rationalis usque ad Nativitatem P. 1. N. 220. Qualis fuerit ſenſus Eccleſiæ in inſtitutione feſtorum, colligi debet ex ſenſu Doctorum, qui ſunt os Eccleſiæ. D. Thomas autem teſtatur, ideo celebrari feſtum conceptionis, quia ignoratur dies ſanctificationis in utero, ſeu infuſionis animæ rationalis. Itaque ſupponit celebrari diem Conceptionis quoad corpus, quod ipſum declarat intervallum novem menſium inter illa duo feſta. Cum enim antiquitùs nullus docuerit, quod anima corpuſculo B. Virginis fuerit infuſa ſtatim ſeptimo die poſt conceptionem corporalem, prout L. CC. N. 219. docent hæ Revelationes, non potuit Eccleſia illud intervallum referre ad Conceptionem rationalem & Nativitatem; adeoque neceſſariò debuit illud computare à Conceptione corporali. Interim non adverſor Immaculatæ Conceptioni B. V. ſed paratus ſum eam ſolidè tueri. Credo etiam, nunc eo ſenſu coli à plerisque hoc feſtum, ut venerentur conceptionem rationalem.

5. Docent, in illa luce intrinſecè ſupernaturali, in qua cognoſcuntur certitudinaliter myſteria, etiam cognoſci veritates naturales, puta, initium, medium, & finem temporum, de quibus agit Salomon L. Sapient. C. 7. P. 1. N. 12. 15. 18. 19. Eſt contra ſenſum Theologorum moraliter certum, quod Deus ſoleat ordinare

media

Digitized by Google

media intrinſecè ſupernaturalia ad finem intrinſecè naturalem, qualis eſt cognitio temporum, & curſus ſtellarum. Scientia infuſa rerum naturalium ſufficienter habetur per augmentum luminis naturalis, aut per infuſionem ſpecierum naturalium; nec eſt opus lumine ſupernaturali intrinſecè. Fateor tamen, hanc poſſe eſſe vim luminis ſupernaturalis modo extraordinario.

6. Aſſerunt, quod Lucifer in ſecundo die creationis mundi, videlicet die Lunæ, in inferno collegerit plenarium Concilium dœmonum, & cum iis deliberaverit uſque ad diem Jovis. P. 1. N. 122. Alibi etiam dicitur, ſimile concilium ſeu deliberationem dœmonum diu duraſſe. P. 3. N. 336. Operationes dœmonum intellectuales non menſurari noſtro tempore, nec eas evolvi tam lenta ſucceſſione cogitationum, moraliter certum eſt apud Theologos; in momento enim apprehendunt proportionem omnium mediorum à ſe cognoſcibilium, quorum quidem habent ſpecies ad finem. Fateor tamen, hoc argumentum non eſſe efficax, quia ea, quæ uno intuitu comprehenduntur à Deo, angelis vel dœmonibus, rectè evolvuntur eiuſmodi diſcurſibus juxta ordinem objectorum naturâ priorum vel poſteriorum in mente.

7. Affirmant, dœmonem conſtanter ſuggeſſiſſe Judæ, ne tradat Chriſtum. P. 2. N. 1131. 1132. 1134. 1135. 1205. 1217. Hoc repugnat communi ſenſui Interpretum, moraliter certo ex ipſa Scriptura, ubi Joa. 13. dicitur, diabolum miſiſſe in cor Judæ, ut tradat Chriſtum.

Propoſitio 5. Hæ Revelationes videntur poſſe mutare notabiliter ſtatum Religionis in materia fidei & morum contra ſenſum communem Eccleſiæ.

Id probo ab Inductione variorum articulorum, qui in his Revelationibus continentur; de quibus tamen meum judicium require in fine horum quinque articulorum.

Articulus 1. B. Virgo ſimul cum Chriſto redemit genus humanum.

Digitized by Google

1. B. Virgo ſimul cum Chriſto propriè eſt Redemptrix generis humani. Part. 1. Num. 8. 9.

2. Hæc veritas hucusque nunquam fuit agnita à mundo. Ibid. & P. 1. N. 1. 9.

3. Finis primarius harum Revelationum eſt, ut B. Virgo à mundo agnoſcatur & colatur tanquam Redemptrix generis humani. Ibid.

4. Hic novus cultus B. Virginis tanquam Redemptricis generis humani eſt unicum medium obtinendi mundo miſericordiam. Part. 1. N. 9.

5. B. Virgo paſſa eſt pro genere humano, ſicut Chriſtus. P. 2. N. 32. 34. 46.

6. Ipſa poſt Chriſtum fuit totalis cauſa ſalutis & redemptionis generis humani. P. 2. N. 55.

7. Ipſa non ſolùm eſt Mediatrix particularis reſpectu ſuorum Clientum, ſed etiam *Mediatrix univerſalis* reſpectu totius generis humani. P. 1. N. 161. 265. 274. 296. P. 2. N. 16. 966. 991. 1057. 1396. P. 3. N. 212. 507. 720. 755.

8. Ipſa movit cœleſtem Patrem ad mittendum Redemptorem. Ib.

9. Eſt *Con-Redemptrix* generis humani cum Chriſto. P. 1. N. 274. P. 3. N. 766.

10. Eſt *Coadjutrix* Chriſti in opere redemptionis. P. 1. N. 290. 636. 783. P. 2. N. 842. 847. 910. 917. 938. 956. 957. 966. 991. 1001. 1037. 1049. 1062. 1100. 1163. 1204. 1287. 1361. 1397. 1473. P. 3. N. 766. Dum agitur de cauſa aut motivo Incarnationis & Redemptionis, ubivis conjungitur Chriſto. P. 1. N. 105. 106. 114. 125. 126. 128. 129. 133. 134. 250. 265.

11. Eſt *Reparatrix* generis humani. P. 1. N. 304. P. 2. N. 1083. P. 3. N 528. 628. 688.

12. B. Virginis meritis Incarnatio ſeu adventus Meſſiæ debetur non tantùm quoad circumſtantias, ſed etiam quoad ſubſtantiam. P. 1. N. 330. &c. P. 2. N. 87. 93.

13. Ipſa ſupplevit omnes defectus ingratitudinis & irreligionis commiſſos à genere humano. P. 1. N. 520. 521. 522.

14. Ipſa ſola fuit cauſa Incarnationis eam promerendo. P. 1. N. 522.

15. Ipſa

Digitized by Google

15. Ipſa loco omnium hominum perfectè implevit mandatum diligendi Deum. P. 1. N. 525.

16. Ipſa ſic fregit vires dœmonis, ut eum homines facile poſſent ſuperare, ſi vellent. P. 2. N. 370.

17. Ipſa ſola ſupplevit fœditatem totius generis humani & peccata. P. 2. N. 547. 1245.

18. Ipſa & Chriſtus ſimul obtulerunt ſuas paſſiones pro genere humano. P. 2. N. 743.

19. Ipſa fuit *Socia* Chriſti in reparatione generis humani. P. 2. N. 783. 922. 923. 924. 957. 1473.

20. Contractus inter Patrem & Filium de redimendo humano genere in Ipſa fuit depoſitus. P. 2. N. 779.

21. Omnia merita Chriſti & B. Virginis fuerunt ſimul oblata pro humano genere, quamvis fuerint inæqualis valoris. P. 2. N. 917. 919.

22. Ipſi aliquo modo debemus noſtram Redemptionem, quia vi præſentis Decreti non fuiſſemus redempti, niſi ipſa in mortem Filii conſenſiſſet. P. 2. N. 954.

23. B. Virgo tanta pro nobis pertulit, & laboravit, ut non poſſimus ei condignam referre gratitudinem. P. 2. N. 1045.

24. Pater non reſpexit ad preces ſui filii, niſi ut aſſociatas cum precibus B. Virginis. Reſpexit ad ambos ſimul, & ſic acceptavit utriusque preces conjunctim pro ſalute hominum. P. 2. N. 1189.

25. B. Virgo omnia paſſa eſt pro genere humano, quæ paſſus eſt Chriſtus. P. 2. N. 1219. 1220. 1236. 1264. 1287. 1341. 1363. 1381. 1397.

26. Ipſa ſola tempore paſſionis habuit fidem; & quidem pro tota Eccleſia, ac genere humano. P. 2. N. 1245. 1363.

27. Ipſi conſtiterunt animæ multo labore, ſicut Chriſto conſtiterunt ſanguine. P. 3. N. 95. 115.

28. Per B. Virginem & propter illam fuit humano generi collata venia. Vide Artic. ſequentem. Et P. 1. N. 94.

Digitized by Google

Articulus 2. Omnes gratiæ tam naturales, quàm ſupernaturales dantur hominibus per B. Virginem, & ob illius merita.

1. B. Virgo promeruit hominibus omnes gratias, quæ unquam illis fuerunt collatæ, & conferentur, ab origine mundi usque ad extremum judicium. P. 3. N. 654.

2. Omnes gratiæ, etiam naturales creationis, & omnes illuſtrationes tam angelorum, quàm hominum profluunt à B. Virgine. P. 1. N. 134. 135. 136. 258. P. 2. N. 214. 223.

3. B. Virgini ſic à Deo fuit traditus theſaurus omnium gratiarum, ut poſſit eas diſtribuere pro ſuo arbitrio. P. 1. N. 270. 271. 274. 296. 304.

4. Quotquot ſalvantur, ſalvantur per B. Virginem. P. 1. N. 273. 274. P. 2. N. 223.

5. Ipſa colenda eſt non tantùm ut cauſa noſtræ Redemptionis, ſed etiam ut motivum creationis omnium rerum, præſertim hominis. P. 1. N. 76. & 133.

6. Per Mariam Reges regnant, & Principes imperant, & potentes decernunt juſtitiam. P. 1. N. 301.

7. Quovis tempore ſemper omnibus tribulationibus Eccleſiæ remedium collatum fuit per Mariam. P. 1. N. 302.

8. In manibus Mariæ reperiuntur claves voluntatis divinæ; P. 1. N. 304.

9. In nulla alia porta pœnitentes peccatores inveniunt puritatem gratiæ, niſi in Maria. P. 1. N. 308.

10. Per nullam aliam creaturam aſcenditur ad thronum gratiæ, niſi per Mariam. Preces noſtræ extra thronum gratiæ hujus Reginæ non exaudiuntur, nec executioni mandantur. P. 1. N. 314.

11. Videtur, quod tribunal juſtitiæ manſerit apud Deum; ſedes autem miſericordiæ poſita fuerit in Maria. P. 1. N. 314.

12. Quidquid Deus operatur, continetur in Maria tanquam in Arca. P. 1. N. 313.

13. Deus in manus Mariæ conſignavit omnes divitias ſuæ omnipotentiæ & gratiæ. P. 1. N. 436. 592. P. 2. N. 103.

Digitized by Google

14. Ipſa hoc promeruit, quod in Eccleſia fuerint erecti Status Religioſi. P. 1. N. 439.

15. Sicut Pater omnia creata dedit in manus Filii, ita Filius omnia dedit in manus ſuæ Matris. P. 1. N. 592.

16. Omnis bonitas creaturarum, & melioratio earum adſcribi debet meritis Mariæ P. 1. N. 520. 522. 590.

17. Dona Spiritûs Sancti ex Maria fuerunt derivata in omnes creaturas. P. 1. N. 600.

18. Omnes gratiæ, quæ dantur, dantur per Mariam. P. 2. N. 223.

19. Ob ipſius merita aliquando extinguendæ ſunt omnes hæreſes. P. 2. N. 363.

20. Per illam extincta eſt Idololatria, & hæreſes Arrii, Pelagii. &c. Ibid.

21. Deus dedit ipſi gladium ſuæ omnipotentiæ, ut Draconi infernali amputet caput. P. 2. N. 365.

22. Ex fonte Sapientiæ ipſius & ejus gratiæ tanquam ex mari inexhauſto effluxit totum, quidquid ſancti hucusque acceperunt, & usque ad finem mundi accepturi ſunt. P. 2. N. 732.

23. Ipſa fuit inſtrumentum & cauſa gloriæ, quam quilibet Sanctorum in ſuo gradu tenet. P. 2. N. 777.

24. Omnes theſauri divinæ omnipotentiæ fuerunt in B. Virgine depoſiti. P. 2. N. 781. P. 3. N. 21.

25. Deus ad preces B. Virginis determinavit ſpecialem laureolam Virginitati. P. 2. N. 825.

26. Quando dignè communicamus, id præter merita Chriſti debemus lachrimis & ſuſpiriis B. Virginis, quæ hoc nobis obtinuit & promeruit. P. 2. N. 836.

27. Qui ſacrilegè communicat, non tantùm infert injuriam Chriſto, ſed etiam B. Virgini, quia fruſtrat ejus preces & lachrimas. P. 2. N. 836.

28. Deus in corde B. Virginis reliquit Regiſtrum miraculorum à ſe patrandorum. P. 2. N. 842.

29. Chriſtus & B. Virgo promeruerunt nobis magna ſubſidia contra tentationes dœmonum; præſertim invocantibus nomen JESUS & Maria. P. 2. N. 937.

Digitized by Google

30. Omnes Diſcipuli Chriſti per B. Virginem copioſis gratiis à Deo donati ſunt. Solus Judas aberravit ab hac regia via, in qua ſola ad divinum amorem & Dei dona perveniri poteſt. P. 2. N. 1084. 1085. 1088. 1097.

31. Ob interceſſionem B. Virginis Judæ fuerunt immiſſæ bonæ inſpirationes. Ob eandem licuit turbæ in Oliveto proſtratæ ſurgere. Et univerſim omnia bona, quæ illis temporibus facta ſunt, venerunt ex ejus interceſſione & ope. P. 2. 1227. 1230. 1245. 1264. 1274. 1279. 1306. 1377. 1379. 1390 1392.

32. Filius omnia dedit in manus ſuæ Matris, ſicut Pater omnia dedit in manus Filii. Per illius manus debet executioni mandari ultima voluntas Chriſti, & ab ea debent diſpenſari omnes theſauri, Filio debiti. Peccatores ad eam confugiant; quia omnia noſtra auxilia à Maria debent ponderari, & per illius manus diſtribui. P. 2. N. 1400.

33. Chriſtus in Cruce condidit hoc teſtamentum. Volo, ut mea Mater ſit unica & generalis hæres omnium bonorum, naturæ, gratiæ, & gloriæ, ut ea illimitato dominio poſſideat ut Domina. Volo, ut ipſa ſit gubernatrix, & diſpenſatrix omnium bonorum, quæ continentur in cœlo & in terra. Quidquid ipſa circa homines ordinaverit, confirmabitur, & quidquid petierit, concedetur. P. 2. N. 1401.

34. Omnia bona collata Eccleſiæ veniunt per B. Virginem. Sic v. g. per illam Longinus obtinuit reſtitutionem viſûs. P. 2. N. 1438. Per illam Sacræ de Chriſto Reliquiæ obtinuerunt venerationem Eccleſiæ. P. 2. N. 1445. per illam Judæi in morte Chriſti obtinuerunt gratiam converſionis. N. 1453. uti & Thomas Apoſtolus. N. 1489. Per illam tunc obtinuerunt omnes animæ in Purgatorio univerſalem liberationem. N. 1497. & P. 3. N 160. per illam obtinuit Eccleſia promulgationem Evangelii. N. 1449. Eidem Fideles omnes debent applicationem Fructûs ex paſſione Chriſti. N. 1499. Filii Eccleſiæ Eidem debent ſuam educationem. N. 1525. Eccleſia illi debet gratitudinem pro omnibus ejus laboribus. N. 1525. Apoſtoli illi debent omnes gratias, quotquot obtinuerunt. P. 3. N. 28. Eccleſia

cleſia illi debet miſſionem Spiritûs Sancti. P. 3. N. 60. 67. & oblationem Sacrificii in Miſſa. P. 3. N. 98. 99. & confeſſionem Symboli Apoſtolici. P. 3. N. 212. & exemptionem à Cæremoniis Judaicis. P. 3. N. 485. & conſcriptionem quatuor Evangeliorum. P. 3. N. 557. 558. 560. 561. 564. & inſtitutionem Feſtorum. P. 3. N. 569. & mitigationem perſecutionum. P. 3. N. 571. & perpetuitatem SS. Sacramenti. P. 3. N. 672. & efficaciam paſſionis Dominicæ. P. 3. N. 680. 681. Fideles in particulari debent ipſi ejus interceſſionem. P. 3. N. 89. & liberationem à tentationibus dœmonum. P. 3. N. 141. Apoſtoli liberationem è carceribus. P. 3. N. 143. 149. Judæi bonas inſpirationes. P. 3. N. 149. 151. Agonizantes ſubſidium. P. 3. N. 160. S. Paulus ſuam converſionem. P. 3. N. 197. Omnes denique Diſcipuli & Diſcipulæ B. Virginis obtinuerunt per eam vitam æternam. P. 3. N. 91.

35. B. Virgo eſt Propitiatorium, in quo Deus deſiderat quæri. P. 3. N. 25.

36. Ipſa eſt diſpenſatrix divinæ potentiæ P. 3. N. 28.

37. Et omnium gratiarum, quæcunque à Deo veniunt. P. 3. N. 28. 87. 233. 495. 535. 539.

38. Eſt omnibus recta ac ſecura via ad vitam. P. 3. N. 36. Eſt Scala, per quam aſcendendum in cœlum. P. 1. N. 7.

39. Ipſa habet claves ad fontes Salvatoris. P. 3. N. 36.

40. Chriſtus illi contulit vim ſuæ propriæ non abſimilem. Diverſitas eſt, quod in Chriſto illa dona ſint tanquam in fonte; in B. Virgine tanquam in Canali. P. 3. N. 51.

41. B. Virgini concredita fuerunt omnia opera omnipotentiæ divinæ ad extra. P. 3. N. 207.

42. Ipſa fuit reddita æqualis potentiæ ipſius Dei, cujus erat Ectypon. P. 3. N. 207.

43. Nullus fidelium accepit unquam ullam gratiam aut beneficium à Deo, niſi per illius manum. P. 3. N. 233.

44. Quando Catholici in ſuis navigationibus pereunt, cauſa eſt, quia B. Virginem non invocant ex devotione. P. 3. N. 371.

45. Ipſa

Digitized by Google

45. Ipſa adhuc in vita habuit poteſtatem diſpenſandi theſauros gratiarum ut Domina. P. 3. N. 539. 656. 665. 709.

46. Omnia bona, quæ facta ſunt hucusque in Eccleſia, & fient usque ad finem mundi, evenerunt, & evenient ob ejus preces. P. 3. N. 686. 687.

47. Ipſa eſt theſauraria omnium bonorum Dei. P. 3. N. 778.

48. Omnes gratiæ, quæ conceduntur hominibus, conceduntur per illius manus. P. 3. N. 778.

49. Ipſa eſt ſecura via ad gratiam Dei. P. 3. N. 785.

50. Ipſa eſt unicum inſtrumentum divinæ omnipotentiæ. P. 3. N. 787.

51. Quando principes Catholici ſunt infelices in debellandis hoſtibus infidelibus, id provenit ex eo, quia non reſpiciunt ad Mariam, nec illam pro immediato ſcopo ſuorum operum & cogitationum conſtituunt. P. 1. N. 303.

Articulus 3. Attribuuntur B. Virgini talia attributa, quæ hactenus Eccleſia videtur tribuiſſe ſoli Chriſto, ac Deo.

1. Chriſtus & B. Virgo in mente divina fuerunt motivum & cauſa meritoria creationis omnium rerum. P. 1. N. 133.

2. Deus decrevit formare genus humanum ad ſimilitudinem Chriſti & B. Virginis. P. 1. N. 134.

3. B. Virgo à nobis colenda eſt non tantùm ut cauſa noſtræ Redemptionis, ſed etiam ut motivum creationis omnium rerum. P. 1. N. 76.

4. B. Virgini jam à primo momento ejus conceptionis ita fuerunt ſubjectæ omnes creaturæ in cœlo & in terra, ut per potentiam obedientialem potuerit illis præcipere, quæcunque voluit. P. 1. N. 377. 560. P. 2. N. 18. 19. 20. 41. 61. 291. 299. 433. 544. 545. 591. 633. 867. 1290. 1291. 1389. 1390. 1421. P. 3. N. 144. 148.

5. B. Virgo fuit totaliter amor, ſanctitas, perfectio, puritas. P. 1. N. 555.

6. Ipſa fuit circumferentia omnipotentiæ divinæ. P. 1. N. 590.

7. In ipſa fuerunt ſigna potius divinæ, quàm humanæ creaturæ. P. 1. N. 591.

8. B. Vir-

Digitized by Google

8. B. Virgo cognovit omnes cogitationes hominum, quotquot fuerunt ab origine, & erunt usque ad finem mundi. P. 1. N. 555. 602. P. 2. 257. 461.

9. Eoipſo, quod fuit Mater Verbi, fuit Domina creatorum. P. 1. N. 643. 673. P. 2. 19. 20.

10. Ipſa fuit magis impeccabilis, quàm angeli ſunt in cœlo, quamvis alio genere impeccabilitatis. P. 2. N. 164.

11. Habuit abſolutiſſimum Dominium in dœmones; hinc præcipitati ſunt in infernum, quoties id voluit. P. 2. N. 217. 366. 370.

12. B. Virgo præcipit, ut ſuo nomine expellantur & fugentur dœmones. P. 2. N. 260.

13. Ipſa præcepit peccato originali, ut à S. Joanne in utero materno diſcederet, & ſtatim diſceſſit. P. 2. N. 299.

14. B. Virgo alloquens genus humanum fatetur, ſe eſſe Matrem omnium hominum, & totius naturæ. P. 2. N. 591.

15. Ipſa ſcivit omnia, quæcunque à principio mundi geſta ſunt, & usque ad finem mundi gerentur, nulla prorſus excepta cogitatione aut affectione ullius hominis. Et ea omnia vidit tam clarè, quàm clarè ſunt delineata in mente Dei. P. 2. N 733. 734. 789. 790. 791. 797.

16. Deus voluit, ut reperiatur in pura creatura aliqua effigies & ſimilitudo tam perfecta ad humanitatem ſui filii, quanta abſolutè eſt poſſibilis. P. 2. N. 780.

17. B. Virgo in miſericordia aſſimilatur Deo perfectiſſimè. P. 2. N. 802.

18. Ipſa contulit Mariæ de Agreda poteſtatem, propulſandi authoritativè dœmones à moribundis etiam abſentibus. P. 2. N. 884.

19. B. Virgo collocata fuit in throno SS. Trinitatis, tanquam in ſuo proprio ſolio in æternum. P. 2. 1500. 1521. 1522. P. 3. N. 16. 313. 329. 763. 764.

20. Ipſa erat particeps divinæ omnipotentiæ. P. 2. N. 1501.

21. Accepit omnia in plenitudine, quorum pura creatura capax eſt. P. 2. N. 1501. 1515. P. 3. 611.

Digitized by Google

22. Eſt tam perfecta effigies divinitatis, quantum in pura creatura eſt poſſibile. P. 3. N. 21.

23. In ipſa perfecit divina Omnipotentia, quanta potuit. P. 3. N. 22. 39. 611. 657.

24. Nulla ipſi deneganda eſt gratia, quantumcunque magna, dummodo conveniat cum veritate Religionis Catholicæ. P. 3. N. 39.

25. Ipſa ſæpiſſimè præcipitavit dœmones ex hoc mundo in infernum poteſtate regia & abſoluta. P. 3. N. 161. 208. 406. 550.

26. Ipſa fuit reddita æqualis potentiæ ipſius Dei, cujus erat Ectypon. P. 3. N. 207.

27. Ipſa cognovit omnes cogitationes hominum & dœmonum. P. 3. N. 207. 611.

28. Ipſa fuit aſſumpta in conſilium SS. Trinitatis. P. 3. N. 314. 315. 316. 329.

29. Habuit perfectam participationem ſcientiæ & providentiæ divinæ ad regendam Eccleſiam. P. 3. N. 316.

30. Omnia SS. Trinitatis fuerunt ipſi communia. P. 3. N. 329.

31. Ipſa habuit quartum locum in SS. Trinitate. P. 3. N. 329.

32. Erat æqualis Filio. P. 3. N. 331. 420.

33. Eſt Domina creaturarum cum ſumma poteſtate, ſimilis reddita filio.

34. Attigit omnia, quæ non ſunt Deus. P. 3. N. 508.

35. Ipſi fuerunt communicatæ perfectiones divinæ in gradu ſummo, quantum eſt creaturæ poſſibile. P. 3. N. 515.

36. Illud ſolùm denegandum eſt B. Virgini, quod involvit manifeſtam contradictionem. P. 3. N. 536.

37. Omnia, quæ erant poſſibilia & decentia, Filius quaſi debebat ſuæ Matri. P. 3. N. 604.

38. Omnes honorum tituli & officia, Dominæ, Gubernatricis &c. in ea plenitudine ipſi collata ſunt, in qua omnipotentiæ divinæ id erat poſſibile. P. 3. N. 611.

39. Menſura pro dimetiendis beneficiis B. Virgini collatis non eſt alia, niſi omnipotentia Dei, & illius capacitas. P. 3. N. 623.

40. Omnes

Digitized by Google

40. Omnes gratiæ Sanctis collatæ fuerunt primariò ordinatæ ad gloriam Dei, dein ad gloriam B. Virginis. P. 3. N. 622.

41. Ejus ſcientia & amor erant ſummi, quantum puræ creaturæ eſt poſſibile. P. 3. N. 663.

42. Fuit Filio æqualis etiam in gloria in gradu poſſibili. P. 3. N. 686.

43. Ipſa fuit Secretaria myſteriorum Dei. P. 3. N. 731.

44. Fuit ſimilis Filio in vita & gloria in gradu abſolutè poſſibili. P. 3. N. 762.

45. Eſt unicum inſtrumentum divinæ omnipotentiæ. P. 3 N. 787.

Articulus 4. B. Virgo fuit Fundatrix, Rectrix, & Magiſtra Eccleſiæ.

1. B. Virgo hoc promeruit, quod in Eccleſia fuerint erecti Religioſi Status. P. 1. N. 439.

2. Ipſa poſt mortem Chriſti propriè rexit Eccleſiam. P. 1. N. 545. 552.

3. Ipſa fuit Magiſtra Eccleſiæ. P. 1. N. 636. 783. P. 2. N. 1028. 1501. 1505. P. 3. N. 39. 48. 100. 103. 108. 109. 115. 155. 157. 179. 233. 611. 626. 628. 698. 710. 734. 778.

4. Eſt Con-Magiſtra Eccleſiæ cum Chriſto. P. 2. N. 609.

5. Eſt ſocia & Coadjutrix Chriſti in erectione Eccleſiæ. P. 2. N. 782.

6. Primæ Tabulæ Legis confractæ ſunt - Non haberemus Legem Evangelicam, niſi adeſſent aliæ Tabulæ Chriſtus & Maria. - Si Maria nihil contuliſſet ad Decretum condendi hanc Legem, ſine ea manſiſſemus. P. 2. N. 788.

7. Fuit Socia Chriſti etiam in prædicatione Evangelii. P. 2. N. 923. 924. 927.

8. In prædicatione Evangelii egit præcurſatricem. P. 2. N. 1014. 1015.

9. Niſi ipſa fuiſſet Mediatrix inter Chriſtum & homines, mundus doctrinam Evangelicam non recepiſſet, nec promeruiſſet. P. 2. N. 1057.

10. Ipſius curæ & regimini fuit commendata Eccleſia. P. 2. N. 1501. P. 3. N. 118. 210. 222. 495.

11. Chriſtus Diſcipulis dixit: Qui novit Matrem, novit & me; qui illam audit, audit me; qui illi obedit, mihi obedit. P. 2. N. 1505.

12. Chriſtus dixit: Ipſa ſit omnium fidelium Caput & Superioriſſa. P. 2. N. 1505.

13. Ipſa ſicut Chriſtus deſcendit è cœlo ad plantandam Eccleſiam. P. 3. N. 2. 4. 29.

14 Ipſa plantavit Eccleſiam. P. 3. N. 2. 29. 531. 698.

15. Erat Rectrix Eccleſiæ; eamque regendam ſuſcepit. P. 3. N. 233. 313. 330. 416. 521. 571. 575. 611. 626. 657. 670. 694. 730. 778.

16. Habuit perfectam participationem ſcientiæ & providentiæ divinæ ad regendam Eccleſiam. P. 3. N. 316.

17. Feſta & Cæremoniæ Eccleſiaſticæ inſtituta fuerunt ex ordinatione B. Virginis. P. 3. N. 668. 612.

18. Omnes honorum tituli & officia, Dominæ, Gubernatricis Eccleſiæ, Magiſtræ Eccleſiæ &c. in ea plenitudine ipſi fuerunt collata, in qua id omnipotentiæ divinæ erat poſſibile. P. 3. N. 611.

19. Non una tantùm vice, ſed ſæpius deſcendit è cœlo, ſeque privavit viſione beatifica pro ſuſcipiendo regimine Eccleſiæ. P. 3. N. 686.

Articulus 5. Fideles vitam & doctrinam B. Virginis, præſertim in his Revelationibus manifeſtatam, tenentur reſpicere pro norma ſuæ vitæ.

1. Per imitationem B. Virginis, tanquam primum perfectionis ſtatum, aſcendendum eſt ad imitationem Chriſti, tanquam ſecundum perfectionis ſtatum; & per imitationem Chriſti denique eſt aſcendendum ad imitationem Dei, quæ eſt tertius perfectionis ſtatus. P. 1. N. 9.

2. Deus decrevit formare genus humanum ad ſimilitudinem Chriſti & B. Virginis. P. 1. N. 134.

3. Ipſa ſola amavit Deum ſine alio reſpectu. P. 1. N. 520.

4. Ipſa ſola habuit perfectum amorem. P. 1. N. 523.

5. Nulli eſt creatura in cœlo & in terra, à qua homines potuiſſent diſcere perfectum amorem, niſi Maria. P. 1. N. 523.

6. Sancti ſunt radii hujus ſolis, & rivuli hujus maris; tanto perfe-

perfectius ſciunt amare, quo plus attrahunt de hujus amore; & quò perfectius illi conformantur. P. 1. N 523.

7. B. Virgo fuit totaliter amor, ſanctitas, perfectio, puritas. P. 1. N. 555.

8. Deus voluit, ut B. Virgo eſſet perfectiſſima effigies ſuæ Imaginis incarnatæ, & perfectiſſimum exemplar cæterorum fidelium; ſic ut Mater & Filius eſſent duæ tabulæ, in quibus exprimeretur nova lex gratiæ. P. 2. N. 714. 730.

9. Primæ Tabulæ Legis confractæ ſunt; - non haberemus Legem Evangelicam, niſi adeſſent aliæ Tabulæ Chriſtus & Maria. P. 2. N. 788.

10. In tantum ſunt æſtimanda Evangelia, inquantum ſunt Exemplar vitæ Chriſti & B. Virginis. P. 2. N. 805.

11. Hiſtoria hæc revelata debet fidelibus ſervire pro norma vitæ. P. 2. N. 736. 797.

Quæ hucusque in quinque Articulis recenſita ſunt, difficilia quidem ſunt, fateor; non tamen propterea rejicienda abſolutè. Ipſemet propendeo in eam ſententiam, B. Virginem ut dignificatam per merita Chriſti ſimul cum filio moviſſe Deum ad conferenda omnia dona, quæ hominibus contulit. Neque per hoc timenda eſt mutatio Status Religionis; quia plura myſteria ſucceſſivè fide explicita credi cœperunt, quæ prius continebantur obſcurè in Scriptura, aut in principiis generalibus Religionis; nec ſine exemplo eſt, quod ejusmodi explicita fides initium ſumpſerit à revelatione particulari perſonæ ſanctæ, qua excitata eſt attentio Theologorum & Eccleſiæ ad examinandam ejusmodi doctrinam. Tunc ſolùm timendæ ſunt ejusmodi novationes opinionum, quando cauſare aptæ ſunt turbas, ſcandala, & ſchiſmata; non verò quando tranquillè ſubjiciuntur judicio Eccleſiæ & lento ductui Spiritûs Sancti, ſucceſſivè mentes fidelium & Doctorum illuminantis, & in eam unanimitatem attrahentis, quæ ex ſenſu univerſali tandem Eccleſiæ invehat novationem fidei explicitæ circa articulum prius implicitè contentum in Scriptura & traditione. Itaque in his quinque Articulis non ea intentione difficultates recenſui, ut allegata abſolutè rejiciantur,

 ſed

Digitized by Google

ſed ut à Theologis pia concertatione reverenter & maturè examinentur, quos precor, ut reſpiciant ad ſummum amorem filii divini erga Matrem, ſuam naturâ, ſed pietate & oblatione omnium noſtram. Ego non dubito, quod ad omnia bona Eccleſiæ promerenda ſuas actiones & paſſiones obtulerit, & quod etiam fuerit idoneè exaudita, ut meritò intentionaliter potuerit ſimul cum Chriſto movere Deum ad ea conferenda; quæ tamen idoneitas non reperitur in ullo alio homine.

Propoſitio 6. Hæ Revelationes continent promiſſiones periculoſas, niſi cautè explicentur, & clauſulis muniantur.

1. Omnes, qui devotè invocaverint nomen Mariæ, accipient lumen ad viam vitæ æternæ, & ſalutem in ſuis miſeriis. P. 1. N. 334.

2. Quidquid B. Virgo petit, impetrat. P. 2. N. 609.

3. Peccatores etiam magni ad ipſam confugientes impetrant veniam. P. 2. N. 609.

4. Quicunque B. Virginem ex corde invocaverit, habebit vitam æternam. P. 2. N. 1501. P. 3. N. 20.

5. Ejus preces ſemper exaudiuntur. P. 2. N. 1501. P. 3. N. 87. 131. 161. 213. 340.

6. Qui B. Virginem ſincero corde invocant, habebunt in morte gratiam perſeverantiæ aut converſionis. P. 3. N. 410.

7. Omnibus ſe exercentibus per lumen naturale in virtutibus naturalibus Deus confert virtutes ſupernaturales. P. 1. N. 484.

8. In eos, qui dignè communicant, transfunditur aliquid de gloria Chriſti; & corda devotè communicantium habebunt characterem glorioſum publicum. P. 2. N. 1202.

9. Si homines B. Virginem invocarent in competente tempore, & ſincerè, nullus periret. P. 3. N. 301.

10. Pro iis, qui B. Virginem in Eccleſia Cæſarauguſtana de Pilari invocaverint, promiſit Deus maximas gratias. P. 3. N. 349. 351.

11. Chri-

11. Chriſtus promiſit, ſe impleturum omnes eos ſuis theſauris, qui interceſſione B. Virginis digni erunt. P. 3. N. 720.

12. B. Virgo Monialibus doctrinam hujus Libri obſervaturis promiſit, quod illas ſit conſolatura in hac vita, & poſt mortem eas præſentatura ſuo filio. Epiſt. ad Monial. N. 8.

13. Dies extremi judicii prænuntiatur jam eſſe vicinus ac proximus. Part. 1. N. 9. 12. 13. 14. Hæc prædictio prima vice jam fuit ſcripta 1635.

Quod tamen attinet has promiſſiones, cenſeo, nullum petere rectè à B. Virgine gratiam ſpiritualem, quam interceſſione ejus non impetret; ſed ſicut in precibus, quas Chriſtus promiſit infallibiliter à ſe exaudiendas, requiruntur ex parte orantis conditiones, inter quas eſt congruitas gratiæ conferendæ cum diſpoſitione orantis, ita in his precibus ad B. Virginem poſſunt aptè ſubintelligi ejusmodi conditiones tacitè imbibitæ; & quia videtur congruum, ut conſtanter pius Cliens Mariæ protegatur, liberetur à peccatis gravibus ignorantiæ, & perſeveret in articulo mortis, ita credo quod nullus usque ad mortis articulum fidus Cliens Mariæ in eo articulo vincatur ſicque æternùm pereat. Similiter credo, quod peccatores ad eam confugientes pro congruitate fiduciæ & operum ſemper obtineant extraordinarias ad converſionem excitantes & adjuvantes gratias, quibus convertantur, ſi non poſitivè reſiſtant gratiis.

Propoſitio 7. In his Revelationibus variis Scripturæ textibus tribuitur ſenſus Litteralis, aut allegoricus qui non videtur eſſe intentus.

1. Totum Caput octavum Proverbiorum: *Dominus ab initio poſſedit me* &c. in ſenſu Litterali explicatur de B. Virgine P. 1. N. 54. 55. 56. 57. 58. 59. 60. 63. 64. 65. 66. 133.

2. Quæ Salomon Sapientiæ C. 7. ſcribit de lumine rationis naturali hìc ſcribuntur de lumine ſupernaturali. P. 1. N. 13. 18. 19. Sed non videtur quod lumen intrinſecè ſupernaturale ordinariè ſaltem ordinetur ad retegendas veritates naturales, prout tamen hìc Num. 19. aſſeritur.

3. Quan-

3. Quando in Apocalipſi C. 12. dicitur, quod ante Mulierem parturientem ſteterit Draco, habens capita ſeptem, & cornua ſeptem dicitur, per ſeptem capita in ſenſu Litterali intelligi ſeptem Legiones dœmonum, in quas multitudo dœmonum diviſa eſt; per ſeptem cornua autem intelligi Præfectos harum Legionum, nempe eos Dœmones, qui ſeptem vitiis Capitalibus præfecti ſunt. P. 1. N. 103. 104. Sed videtur diviſio vitiorum in ſeptem vitia capitalia prorſus arbitraria; & antiquiores Theologi v. g. Caſſianus, numerarunt octo, aut novem vitia Capitalia.

4. Illa comminatio, quæ reperitur in Apocalipſi C. 12. *Væ mari*, ſic explicatur: *Væ mari, quia videndo tantam impietatem non extinxit prævaricatores ſuis fluctibus.* P. 1. N. 120.

5. Ille textus: *Datæ ſunt mulieri alæ, ut volaret in deſertum, ubi alitur per tempus & tempora & dimidium temporis.* Apoc. 12. explicatur de tribus ultimis annis vitæ B. Virginis, in quibus vixit vitam contemplativam. P. 1. N. 105. 128. Sed Apocalipſis diu poſt obitum B. Virginis ſcripta, tractat de iis, quæ *oportet fieri poſt hæc.* Neque videtur ratio, de trium annorum periodo jam tranſacta loqui per tales figuras & per tanta myſteria.

6. Totum Caput 21. Apocalipſis: *Vidi civitatem novam Jeruſalem deſcendentem de cœlo* &c. explicatur in ſenſu Litterali de B. Virgine. P. 1. N. 247. 265. 266. 661.

7. Ille textus: *Ego ſum Alpha & Omega.* Apoc. 1. explicatur ſimul de Chriſto & B. Virgine P. 1. N. 258.

8. Illud Prov. 8. *Per me Reges regnant, & potentes decernunt juſtitiam.* Litteraliter tribuitur B. Virgini. P. 1. N. 301. 545.

9. Illud Apoc. 14. *Virgines ſequuntur Agnum, quocunque ierit.* Explicatur in eo ſenſu, quod ſequantur Agnum ad paſſionem. P. 1. N. 459.

10. Ille textus: *Sapientia ædificavit ſibi domum* &c. Prov. 9. explicatur litteraliter de B. Virgine; & quod iſta Domus ſit B. Virgo, dicitur conſtare omnibus Catholicis. P. 1. N. 600.

11. Illud promiſſum factum Abrahamo: *Quarta generatione huc*

Digitized by Google

huc revertentur, dicitur eſſe impletum per Chriſti conceptionem. P. 2. N. 133. Juxta Interpretes jam impletum fuit quindecim ſæculis ante Chriſtum.

12. Totum Caput 24 Eccleſiaſtici, quod apertè ſcriptum eſt de Sapientia increata, hìc litteraliter explicatur de B. Virgine. P. 2. N. 731.

13. Illud Joa. 2. *Tertio die factæ ſunt Nuptiæ in Cana*, explicatur de tertio die hebdomadæ Judaicæ. P. 2. N. 1033. Nemo ſic intellexit; id ergo verba non aptè exprimunt in re alioquin obvia.

14. Illud Chriſti in Oliveto: *Ego ſum.* Sic explicatur; *Ego ſum, qui ſum.* P. 2. N. 1229.

15. Illud Chriſti: *Venient dies, in quibus dicent: beatæ ſteriles*, explicatur de die extremi judicii. P. 2. N. 1370. Ex circumſtantiis videtur ibi ſermonem eſſe de tempore excidii Jeroſolimitani. Huc pertinet, quod Agredana non ſemel tantùm textus Scripturæ aliter citet, quàm ſunt in Vulgata, v. g. P. 1. N. 80.

Propoſitio 8. Hæ Revelationes continent propoſitiones periculoſas circa doctrinam morum, niſi bene explicentur.

1. Promittitur omnibus peccatoribus vita æterna, ſi Mariam devotè invocaverint. P. 1. N. 294. 301. P. 2. 609. P. 3. N. 301. 410. Quamvis alibi P. 3. N. dicatur, omnes has promiſſiones eſſe conditionatas; & P. 3. N. 302. exigatur, ut ea invocatio fiat debito tempore.

2. Per Mariam aditus in cœlum jam facilis eſt redditus. P. 1. N. 296.

3. B. Virgo præcipit, ut memoria ſub quibuscunque occupationibus ſit defixa in conſideratione divinæ eſſentiæ, & perfectionum divinarum. P. 1. N. 309. Item, B. Virgo Mariæ de Agreda dixit: De neceſſariis vitæ plus non admittas, quàm præcisè ſufficit ad hoc, ne moriaris. In cibis nil deſideres, niſi quod affert minorem guſtum; & ut tibi præbeatur quod guſtus non deſiderat; econtra denegetur quod guſtus deſiderat. P. 1. N. 456. Hæc regula

Digitized by Google

gula ſic illimitata idonea eſt ad deſtruenda ſubjecta utilia communitati ac Eccleſiæ, niſi bene explicetur à directoribus ſpiritualibus.

4. B. Virgo ad Mariam de Agreda dixit: Diſce ex illo meo ſilentio, te nunquam excuſare in eo, quod tibi imputatur, etſi ſis innocentiſſima. P. 2. N. 397. Univerſaliter tale ſilentium non eſſet bonum. Opus eſt explicatione.

5. Devotio ad Terram Sanctam dicitur eſſe unum ex efficaciſſimis mediis ſtabiliendi Monarchas Catholicos. P. 2. N. 576. Si inſinuatur, ineundum eſſe fœdus Sacrum inter principes Catholicos ad recuperandam Terram Sanctam, an hoc conſilium ſit conforme juſtitiæ, meritò dubitatur, cùm probabiliter etiam Infidelibus obligemur ad ſervanda Pacta, & Contractus.

6. Dicitur, Chriſtum, dum adhuc in Domo Nazarena erat ſubditus, longo ſatis tempore avertiſſe faciem à ſua Matre, nec eam aſpexiſſe; nec cum ea ullum verbum locutum fuiſſe, ut ſic illi præberet occaſionem patientiæ. Exemplum hoc videtur difficile in eo ſtatu, in quo tunc Chriſtus volebat docere virtutem perfectæ obedientiæ & reverentiæ erga parentes.

7. B. Virgo ſæpius in his Revelationibus præcipit, ut è memoria deleantur omnes ſpecies, niſi quas habemus de voluntate & doctrina Dei. P. 2. N. 829. 1255. Hæc regula neceſſariò limitanda & explicanda eſt.

8. B. Virgo præcipit Mariæ de Agreda, ut nullum loquatur verbum, nec ullam ſuſcipiat cogitationem, niſi petitâ prius à B. Virgine licentiâ. P. 2. N. 854. Hæc Lex difficilis eſt, cum utique mens ad tam multa ſimul intenta eſſe non poſſit facile ac conſtanter in omni cogitatione, puta ad B. Virginis nutus, ad voluntatem Dei, ad motiva virtutum, ad immediatas regulas honeſtatis aliasve circumſtantias.

9. B. Virgo non habuit amplius dependentiam ſpecierum intellectualium à ſpeciebus phantaſticis ac materialibus; vult etiam, ut in nobis excludantur omnes ſpecies materiales ac terrenæ. Per hoc autem obtinetur, ut ſeorſim agat pars inferior, & ſeorſim pars ſuperior. P. 3. N. 540. 541. 542. 543. 555. Hæc Regula indiget explicatione, ne ſerviat ad fundamentum Quietiſmi.

10.

10. Obedientia cœca erga Superiores & Confeſſarios eousque commendatur, ut ſi quis illis obediat, ne quidem poſſit errari materialiter. Præfat. ad Part. 1. N. 8. Et iſta quoque Regula explicanda, ne ſerviat ad fundamentum Quietiſmi.

11. Ponitur in his Revelationibus hæc Regula: Quando Confeſſarii & Superiores approbant Revelationes, aut alias gratias, tanquam provenientes à Deo, debet indubitatò credi, eas venire à Deo. P. 2. N. 1179. Hæc Regula ſine limitatione poſſet eſſe ſeductoria, maximè tunc, quando ipſimet Confeſſarii aut Superiores jubent inveſtigari curioſa à Deo, prout ſæpius factum in his Revelationibus videtur.

12. B. Virgo dixit: Extinguatur omnis affectus & propenſio ad ullam creaturam. Omne humanum ſolatium eſt imperfectio. Solum illud ſolatium admittendum eſt, quod immittitur à Deo, vel ab angelo. P. 2. N. 1372. Hæc doctrina explicanda, nè ſit erronea; neque enim affectus v. g. parentum ad filios exuendus, ſed moderandus. Velle rejicere omnem affectum eſt deſtruere naturam, & corrigere Creatorem.

13. Maria de Agreda præcipit ſuis Monialibus, ut, ſi etiam à Superiore jubeantur extradere Originale hujus Hiſtoriæ, tantùm tradant Copiam. Epiſt. ad Moniales. N. 18. Hoc convenit cum vera obedientia difficiliter.

14. B. Virgo Mariæ de Agreda imputat ad culpam, quotieſcunque audito illius nomine non agit gratias pro privilegiis huic Nomini conceſſis. P. 1. N. 343. Hoc præceptum perſonale difficulter eſt obſervabile; aut forte non intelligenda culpa Theologica.

Propoſitio 9. Hæ Revelationes continent varias propoſitiones, quæ etiamſi veræ eſſent, non videtur decuiſſe eas his temporibus revelari.

1. Bibliam Vulgatam à mille jam annis in Eccleſia prælegi ſolitam, & ab ipſo Concilio Tridentino pro uſu publico unicè præſcriptam, condemnare erroris, videtur eam exponere irriſioni hære-

ticorum. Si Deus voluiſſet in hac re unquam interponere ſuam authoritatem; potuiſſet antecedenter, ſic dirigendo corda Patrum, ne Bibliam Vulgatam pro uſu publico recepiſſent; aut exſpectare opportuniora tempora, quibus id fieri potuiſſet ſine hæreticorum ſcandalo; aut certè pro inſtructione Eccleſiæ in re tanti momenti uti potuiſſet inſtrumento Fide digniori. Jam verò Bibliam Vulgatam in his Revelationibus condemnari falſitatis, probatur ex eo, quia anni ab initio mundi usque ad Nativitatem Chriſti adſtruuntur 5200. cum tamen in Biblia Vulgata non numerentur ultra 4000 circiter. P. 2. 476. 1359. P. 3. N. 519.

2. Non videtur decere, Deum mediante muliere definitivè determinare controverſias Theologicas, præſertim in materiis, quarum determinatio non eſt neceſſaria ad profectum fidei aut morum, & ubi in tali inſtrumento non ponuntur ſigna indubitata credibilitatis. Ratio eſt, quia aliàs Deus intenderet finem, nempe credulitatem prudentem, & non ordinaret media idonea credibilitatis. Jam verò in his Revelationibus multæ determinantur hoc modo Controverſiæ Theologicæ v. g. quod Chriſtus nihilominus veniſſet etiamſi Adam non peccaſſet. P. 1. N. 72. 73. 74. Item, quod detur duplex ſenſus Litteralis S. Scripturæ. P. 1. N. 7. 157. 160. Item, quod Deus fuerit neceſſitatus ad condendum mundum & ad ponendam Incarnationem. P. 1. N. 35. 36. 40. Item, quod Prædeſtinatio dependeat à prævisione bonorum operum. P. 1. N. 47. Item, quod Viſio Dei intuitiva poſſit liberè dimitti, prout fecit B. Virgo. P. 3. N. 686. Item, quod viſio Dei intuitiva habeatur per ſpecies creatas. Item, quod cognitiones dœmonum fiant modo diſcurſivo. P. 1. N. 122. 7. 8. 9. 72. 90. 91. 92. 125. 126. 183. &c.

3. Non videtur decere, Deum revelare ea, quæ cedunt in vilipenſionem veræ Religionis & Eccleſiæ ſine ſpeciali fructu aut neceſſitate. Quis autem fructus, aut quæ neceſſitas revelandi, quod ſtatus Eccleſiæ circa medium Sæculi 17 nempe circa annum 1650 fuerit omnium peſſimus? an non exinde grave naſcitur præjudicium contra Eccleſiam? immo an non iſta favent Abbati San-Cyrano,

qui

Digitized by Google

qui ſimilia eodem tempore contra Eccleſiam declamabat in Gallia?

4. Non videtur decere, Deum immediatè revelare ſine demonſtrativis de divinitate revelationis argumentis ea, quæ ex communi perſuaſione hominum videntur abſurda, & à conſuetudine conſtanter à Deo in aliis genuinis Revelationibus obſervatâ alieniſſima. Ratio eſt, quia ſi Deus immediatè per ſemetipſum aliquid revelat, ipſius eſt ſeligere terminos ad finem idoneos, & omnia media ordinare ad finem intentum, nempe ad ſtabiliendam fidem & honeſtatem morum. Ad quid autem ſerviunt iſta? v. g. B. Virgo terræ & elementis gratias agit, quod ſibi tamdiu ſervierint. P. 3. N. 724. An non hæc phraſis poetica? Oratiunculæ SS. Trinitatis, Chriſti, B. Virginis, angelorum, & dœmonum plerumque alienæ videntur à veroſimili. Deo, angelis, Chriſto, B. Virgini, & dœmonibus tribuuntur actiones ſtatui & conditioni eorum ut videtur incongruæ. v. g. quod angeli cuſtodes B. Virginis prætulerint ubivis in ſcutulis nomina Matris Dei Litteris invicem implexis? & quod jam tunc cantaverint *Salve Regina* & *Ave Regina*, & *Regina Cœli Lætare* &c. quod dœmones cum Lucifero toties à B. V. fuerint præcipitati in orcum, & ſemper ſtatim iterum redierint? & quàm multa recenſentur miracula ſuperflua ut videtur ad fines à Deo intentos? Horum omnium quæ aliena videntur à conſuetudine actionum ac revelationum divinarum, tanta ubique occurrit multitudo in decurſu operis, ut abſtinere ſatius ſit à citandis locis ſingulis. Fateor tamen, ubi præcisè agitur de decentia, nos non poſſe ferre judicium certum circa actiones divinas à priori, quia non poſſumus perſcrutari judicia Dei, fines & principia præſtabilita. Forte nunc vult, quod prius noluit, ob alias circumſtantias, quas videt novo decreto congruas.

Propoſitio 10. Hæ Revelationes continent varias propoſitiones proclives in errorem, niſi cautè explicentur.

1. Supponi videtur, dari aliquos homines, qui etiamnum in hac vita extra ſpem ſalutis & auxilii conſtituti ſunt. P. 1. N. 20. Hoc ſterneret viam erroribus Calviniſmi & Janſeniſmi.

2. In toto hoc opere ex inſtituto videtur ſtabiliri Dogma Lullianum, & Leubnizianum, quod Deus neceſſitetur ad ſe communicandum ad extra modo perfectiſſimo, quo poteſt; & quod neceſſitetur ad operandum omne illud, in quo ſimpliciter reperitur *ratio melioris*, ſeu *major convenientia.* Hinc infertur, quod Deus fuerit neceſſitatus ad producendum Chriſtum, & B. Virginem &c. P. 1. N. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 191. 192. 208. 209. 210. 211. 213. 520. Per hanc doctrinam aperiretur aditus ad fatum Gentilium, & ad abſolutam neceſſitatem Calvini, & ad nudam libertatem à coactione Janſeniſticam.

3. Dicitur, quod non ſolùm B. Virgo à primo momento ſuæ Conceptionis, ſed etiam Infantes pro Chriſto occiſi jam in utero materno habuerint perfectum uſum rationis & claram notitiam myſterii SS. Trinitatis. P. 1. N. 225. 221. & P. 2. N. 675. 678. Hæc aſſertio ſi extenderetur ad omnes infantes, placeret Lutheranis, qui aſſerunt, ab omnibus Infantibus in collatione Baptiſmi elici actum fidei.

4. Aſſeritur, quod B. Virgo ſtantibus donis à Deo acceptis non potuerit peccare. P. 1. N. 322. 473. 474. P. 3. 314. Hoc niſi in ſano ſenſu explicetur, placeret Janſeniſtis, qui ob diſpoſitiones libertati extrinſecas etiam in aliis hominibus tollunt libertatem indifferentiæ ad bonum vel malum.

5. Admittitur in B. Virgine viſio Dei intuitiva habitualis per ſpecies ex præcedente viſione intuitiva relictas. P. 1. N. 379. Hoc niſi explicetur, facile in conſequentiam ſervit Beguardis, in Concilio Viennenſi condemnatis; & falſis Myſticis.

6. B. Virgo dixit: Qui vovit obedientiam, non habet amplius electionem ullius actionis, niſi quàm injungit ille, cui ſe ſubjecit. P. 1. N. 443. Hæc doctrina niſi explicetur, videtur contra unanimem Theologorum; quia per votum obedientiæ quilibet ſe tantùm obligat ad ea, quæ ſunt conformia ſuæ Regulæ.

7. B. Vir-

Digitized by Google

7. B. Virgo dixit: Obedientium peccata Deus non reſervat in ſua memoria pro die judicii; immo propter ſacrificium obedientiæ delet etiam reliqua peccata. P. 1. N. 450. Hæc propoſitio verſatilis, niſi explicetur, placeret Molinoſio & falſis Myſticis.

8. Chriſtus, quando ſuſcepit baptiſmum, ſimul inſtituit Sacramentum Baptiſmi; & tunc etiam petiit à Patre generalem Ectaſin pro omnibus illis, qui baptiſmum ſuſcepturi ſunt. P. 2. N. 980. Idipſum ſi intelligeretur generaliter, docent Lutherani, quod nempe omnes Infantes in ſuſceptione baptiſmi patiantur quandam ſpeciem Ectaſis, in qua eliciunt actualem fidem.

9. Docetur, in homine extingui poſſe omnes Reliquias peccati originalis, & omnes pravas inclinationes relictas ex fomite. P. 2. N. 1032. Hoc niſi reſtringatur, videtur erroneum, quia alioquin falſificaretur Scriptura, recognoſcens hominem ſemper tentationibus obnoxium ab intra; quia deeſt donum illud juſtitiæ originalis, quo vires inferiores ſubjiciuntur habitualiter rationi.

10. Si homo non peccaſſet, non fuiſſet paſſus ullam moleſtiam à creaturis; oppoſitio creaturarum eſt pœna peccati originalis. P. 2. N. 18. 19. 20. Superflui humores in mulieribus ſunt effectus peccati originalis. P. 2. N. 139. Defatigatio, fames &c. etiam ſunt pœna peccati originalis. P. 2 N. 1052. Hæc doctrina non eſt vera, niſi limitetur, quia ignis utique uſſiſſet propius accedentes non ſine dolore.

Propoſitio 11. Hæ Revelationes multiplicant revelationes, & miracula ſine ulla ut videtur neceſſitate.

1. Deus revelat de verbo ad verbum longiſſimas quasvis orationes, & allocutiones Dei, angelorum, B. Virginis, hominum, dœmonum; quin appareat ulla neceſſitas ita diſtinctè recenſendi omnia verba. P. 1. N. 90. 92. 112. 122. 125. 126. 168. 173. 175. 178. 179. 181. 183. 187. 191.

2. Recenſet Apparitiones frequentiſſimas, nec monſtratur aliquis effectus, ad quem illæ apparitiones fuerint ordinatæ, tanquam de

Digitized by Google

de congruo neceſſarium ad finem. P. 1. 167. 168. 175. 179. 182. 183. 201. 207.

3. Adducuntur plurima miracula, aliena prorſus à conſuetudine Dei in caſibus non multum diſſimilibus, nec apparente neceſſitate ad finem intentum. At verò hoc ipſum principium: *non eſſe multiplicanda miracula ſine neceſſitate*, limitat in B. V. quia docet, tot gratias & miracula in B. Virgine eſſe admittenda, quot convenienter poſſunt dari. P. 1. 210. 211. 213. (191. 192.)

4. In ſpecie dicitur, quod B. Virgo jam habuerit uſum rationis in primo momento Conceptionis. P. 1. N. 221. quod nullo momento deſtiterit elicere actus virtutum à primo momento Conceptionis. 225. quod jam in utero materno agnoverit myſterium SS. Trinitatis. 225. & quod jam tunc habuerit ſcientiam omnium naturalium. 226.

Exinde jam ſequuntur ferme perpetua miracula, quorum plerumque nulla ad finem ſtabilitum videtur neceſſitas v. g. quod in utero materno B. Virgo genuflexionem fecerit Deo; quod tunc diſtinctè agnoverit omnes creaturas. 227. 228. Remitto Lectorem ad Compendium Revelationum ſupra poſitum. Fatendum tamen, nos non agnoſcere menſuram judiciorum divinorum. In hoc genere optima regula: Nihil incredibile, ubi teſtis idoneus.

Propoſitio 12. Hæ Revelationes tribuunt Deo & angelis & dœmonibus modos agendi improbabiles & abſurdos, ut videtur.

1. Tribuunt Deo, angelis, & dœmonibus Diſcurſus longiſſimos; eloquentes quidem, ſed indignos majeſtate Dei, & prudentiâ horum ſpirituum; quamvis enim unicus actus intellectus & voluntatis in Deo & angelis (immo & in habentibus Contemplativas cognitiones v. g. B. Virgine) ſit exponibilis per longiſſimos diſcurſus, utpote comprehenſivus omnium cauſarum, motivorum, finium, mediorum, effectuum; non tamen conſentaneum videtur majeſtati, & praxi divinæ, ut aperiat dœmoni totam ſuam mentem, pandendo

cauſas,

cauſas, fines, & effectus ſuæ voluntatis, & omnes vias ſuorum conſiliorum; prout fit in his diſcurſibus. Sermones Dei, Regum, angelorum, breves ſunt. Statuunt Concluſiones ac Decreta ſuæ voluntatis; rationes aut celant, aut conjiciendas relinquunt ſapientibus. *Cor Regis*, inquit Sapiens, *inſcrutabile.* Itaque longiſſimi Diſcurſus, iique plurimi recedunt à dictamine ſenſûs communis, & eoipsò à veriſimilitudine. Hujusmodi Diſcurſuum initia, aut Centones vide P. 1. N. 7. 8. 9. 72. 90. 91. 92. 122. 125. 126. 183.

2. Dicit, Deum celaſſe dœmoni formationem Adami & Evæ, ne eam impediret. P. 1. N. 137. Ibidem N. 138. dicit, Luciferum ſuſpicaſſe, Adamum eſſe Chriſtum, & Evam ejus matrem.

3. Tribuit dœmonibus ſæpe ingentem exultationem. P. 1. N. 140.

4. Dicit, propterea Deum tamdiu diſtuliſſe Incarnationem, ut multiplicato humano genere haberet populum, cui præeſſet Chriſtus. P. 1. N. 141. Sed dudum v. g. tempore Davidis, habuiſſet populum æque numeroſum.

5. Inter mille angelos, deputatos B. Virgini pro cuſtodia erant duodecim, qui ſemper viſibiliter B. Virgini prætulerunt Symbola Redemptionis. P. 1. N. 201. & Paſſionis 207.

6. Tribuuntur tribus perſonis SS. Trinitatis colloquia, non ordinata ad ſignificandum aut efficiendum aliquid ad extra. P. 1. N. 220. 222.

7. Tribuitur Lucifero, quod in rebus quibusdam, Deo ſubtrahente ſpecies, patiatur defectum memoriæ. P. 2. 323.

Propoſitio 13. Hæ Revelationes videntur recedere à conſuetudine, quam Deus obſervare ſolet in concedendis Revelationibus.

1. Deus, quando aliqua revelavit in V. aut N. T. in bonum Eccleſiæ, nunquam rogavit centies, aut millies per multos annos Scriptores Hagiographos, ut revelata ſcriberent; neque iteravit mandata; ſed elegit perſonas ad nutum obedientes; quia decet, ut ad eas operationes, quæ non adſcribuntur homini, ſed Deo, quales

Digitized by Google

ſunt Revelationes, aſſumat inſtrumenta jam perfecta ac idonea, non primùm contingenter perficienda. Econtra ad Agredanam ferme per viginti annos iterat mandatum ſcribendi hoc Opus, quod ipſamet fatetur eſſe Opus ſolius Dei. P. 1. N. 2. 1.

2. Deus in revelandis ſuis myſteriis V. & N. T. nunquam uſus eſt miniſterio plurium angelorum, ſed uſus eſt ad ſummum unico; Agredana autem habuit octo angelos, qui eam juvarent in ſcribendo hoc opere. P. 1. N. 4. Alienum hoc eſt à divinis moribus, ut in executione rerum ſupernaturalium, dum recedit ab ordine naturæ, adhibeat plures cauſas, ac media, quàm pro effectu, aut pro Significatione publica neceſſe eſt.

3. Deus nunquam immediatè per ſemetipſum revelavit tantam multitudinem veritatum particularium non pertinentium ad neceſſariam fundationem Religionis; ne quidem in Pentateucho Moyſis, & Prophetis, & Apocalipſi. Alienum enim eſt à moribus divinis, profundere ſua verba ſine neceſſitate. Hìc autem revelatur plus, quàm unquam fuit revelatum.

Propoſitio 14. Hæ Revelationes ſunt diſſimillimæ Revelationibus genuinis, aliunde certis.

1. In Revelationibus aliunde certis non reperitur tanta varietas & redundantia mediorum; quia Deus, ſicut in operibus naturæ operatur modo ſimpliciſſimo per media uniformia, & pauciſſima, quæ ſufficiunt, ita convenit, ut eodem modo operetur in operibus gratiæ. Hìc verò Agredanæ revelantur aliqua à Deo; alia à B. Virgine; alia ab angelis; alia à Deo & angelis ſimul; alia in Deo, alia in ſeipſis; alia in luce ſuperiore, alia in ſpeciebus phantaſticis &c. P. 1. N. 22. 23. 24. Non ſic Prophetæ; non ſic Joannes in Apocalipſi.

2. Aliæ Revelationes certæ dantur de veritatibus neceſſariis aut certè utilibus pro ſalute animarum, ac decore Religionis. Quæ autem utilitas in multis Revelationibus hujus Operis? v. g. Qualis ſit Ordo & prioritas cognitionum & Decretorum in Deo? P. 1. N. 32. 33. 34. 35.

3. In

3. In his Revelationibus Deus fuſiſſimè explicat ea, quæ ſunt tritiſſima, ac plana in Theologia & Aſceſi. Sicut autem non ſolet edere miracula ſine neceſſitate generali vel perſonali, ita in Revelationibus non ſolet profundere lumina circa materias, quarum cognitio facillimè haberi poteſt per alia media. Sic v. g. explicat Deus, quomodo in viſione Dei dentur plura inſtantia? quomodo ſcientia Dei, & Decreta ſint multiplicia? &c. P. 1. N. 34. 35. 33. 238.

4. In aliis genuinis Revelationibus Deus non ſolet examinare controverſias Theologorum, aut rejicere ſententias paſſim receptas à Theologis; hìc autem rejiciuntur Sententiæ communiſſimæ inter Theologos; dicitur enim quod Prædeſtinatio fiat generaliter dependenter à præviſione bonorum operum. P. 1. N. 47. quod Chriſtus veniſſet, etiamſi Adamus non peccaſſet P. 1. N. 72. 73.

5. In genuinis Revelationibus Deus non loquitur tam confuſè, ut nil certi poſſit colligi. Id autem fit in his Revelationibus. Sic v. g. dicitur, vixiſſe Job temporibus NB *his*, id eſt, temporibus deſcriptis in Libro Geneſis, Exodi, Joſue, Judicum. P. 1. N. 152.

Propoſitio 15. In Ven. Maria de Agreda reperiuntur diſpoſitiones idoneæ ad illuſiones phantaſticas, aut nonunquam diabolicas.

1. Frequenter ſe reflectit ad proprias perfectiones, & ad ſua dona; idque comparativè ad alios homines quos perfectione ſuperat; & cum reſpectu ad famam ex ſuis operibus conſecuturam. Hujusmodi autem reflexiones frequentes minus neceſſariæ quibus ſæpe non carent perſonæ etiam ſanctæ, ſunt primus gradus Superbiæ, ut fuerunt in Lucifero detinente ſe inordinatè in conſideratione ſuarum perfectionum, & in Phariſæo, referente Deo gratias, quod non eſſet ſicut cæteri hominum; aut certè ſunt propinqua ad Superbiam, adeoque etiam ad illuſionès diabolicas diſpoſitio. Part. 1. Num. 1. 2. 8.

2. Fuit phantaſiæ debilis, facilis in impreſſionum receptione, & tenaciſſimæ in earum conſervatione. Id conſtat ex variis indiciis.

Sic enim fatetur, ſe agitatam fuiſſe perpetuis timoribus & anxietatibus, ne forte eſſet in malo ſtatu, & ne forte illuſa eſſet in ſuis viſionibus, quamvis luce & ratione ſuperiore agnoſcere ſe crediderit, hos timores eſſe imprudentes. De his timoribus, qui, ut alibi dicitur, ſtatim iterum redierunt poſt iteratas diſcuſſiones, meminit P. 1. N. 2. 5. Idem patet ex ejus Vita, & ex ejus Proëmiis ad tres Partes ſui libri.

3. Videtur tenax proprii judicii. Hujus ſignum eſt, quod non obedierit Deo, B. Virgini, & Confeſſariis ſæpiſſimè, & per annos ferme viginti eam ad conſcribendam hanc hiſtoriam ſeriò cohortantibus, quamvis fateatur, ſe fuiſſe certam ex effectibus, revelationes has eſſe divinas. P. 1. N. 2. Idem patet ex ejus Vita, & ex ejus Proëmiis.

4. Deſideravit & petiit habere Revelationes. P. 1. N. 4. 5. 52. 72. 73. 33. 352. 376. 242. P. 2. N. 138. 311. 298. 476. 477. 478. 648.

5. Ejus viſiones fuerunt pleræque imaginariæ ſeu phantaſticæ, id eſt, cum repræſentatione aliqua corporea, quæ juxta Doctores ſunt magis ſubjectæ illuſionibus, præſertim ſi ejusmodi repræſentationes ſint frequentes, & ſic fiant habituales. P. 1. N. 5. 6. 7. 12. 13. 14.

6. Allocutiones, quibus Deus, B. Virgo, & angeli alloquuntur Agredanam, ſunt valde idoneæ ad ingenerandas frequentes cogitationes de propria excellentia, & affectiones ſuperbiæ. P. 1. N. 6. 7.

Propoſitio 16. Regulæ, quas ipſamet Ven. Maria de Agreda pro diſcretione Revelationum poſuit, videntur has Revelationes accuſare. Id probatur. Regulæ, quas ipſa poſuit, ſunt ſequentes.

Regula 1. Nihil eſt requirendum à Deo ex vana curioſitate. P. 2. N. 551. Atqui multæ harum Revelationum fuerunt à Deo poſtulatæ, quin ulla videatur earum neceſſitas, aut notabilis utilitas pro bono Religionis aut animarum. Sic enim petiit à Deo ſibi revelari. Primò. Quem locum in Decretis divinis habuerit Chriſtus & B. Virgo? P. 1. N. 33. Secundò. Utrum Chriſtus veniſſet, ſi Adam non peccaſſet? P. 1. N. 71. Tertiò. An ab Orbe condito uſque

que ad Chriſti Nativitatem fluxerint quatuor; an verò quinque annorum millia? P. 2. N. 138. Quartò. An domus Zachariæ ſteterit Jeroſolimis? an in Hebron? an in alia Civitate, quæ nominabatur Juda? P. 2. N. 311. Quintò. Ob quam cauſam B. Virgo tot miracula patraverit circa Joannem B? P. 2. N. 298. Sextò. An B. Virgo paſſa fuerit incommoditates naturæ in infantia? P. 1. N. 352. Septimò. Quales fuerint circumſtantiæ Nativitatis Chriſti? an fuerit natus ſine ſordibus & ſine ſecundinis? P. 2. 476. 478. 477. Octavò. Agredana petiit multas alias viſiones. P. 1. 376.

Regula 2. Miracula debent eſſe rara, ac ſolùm contingere in caſu neceſſitatis. P. 2. N. 617. & 625. Atqui hæ Revelationes multiplicant miracula innumera ut videtur ſine neceſſitate, ut patet ex decurſu totius hiſtoriæ, & ex ſingulis fermè foliis; maximè à N. 617. 625.

Regula 3. Revelationes ad fines, quos Eccleſia exigit, ſemper ordinantur à Deo in pondere & menſura. P. 1. N. 612. Atqui in his Revelationibus tanta videtur profuſio, ut non menſurentur ullo neceſſitatis limite; ſed concedantur illimitatè pro capacitate ſubjecti etiam in bonum privatum cujuslibet animæ, tanquam medium de ſe ordinatum ad infundenda lumina. P. 1. N. 614 615.

Regula 4. In Revelationibus, & motibus internis poſſunt ſimul concurrere principia naturalia, & ſupernaturalia; Deus & diabolus, divina inſpiratio, & falſa recipientis interpretatio. Ita habetur. P. 1. N. 75. P. 2. N. 1308. P. 1. N. 24. Sic enim aſſerit, Doctores quandoque recipere lumina ſupernaturalia in ordine ad aliquam veritatem, quæ tamen ob varia eorum præjudicia & inclinationem pariant diverſas opiniones. Sic docet, Pilatum ad procurandam liberationem Chriſti ſimul fuiſſe motum à Deo, & diabolo, immo fortius à diabolo. P. 2. 1306. & 1308. Sic etiam fatetur, in his Revelationibus ſibi quandoque tantum datam fuiſſe intelligentiam, pro cujus explicatione dum neceſſum habet, verba ſumere ex ſeipſa ſe poſſe errare. P. 1. N. 24. Hinc fatetur, in ejusmodi caſibus ſe conſuluiſſe ſuum Patrem ſpiritualem. Hoc ergo

Digitized by Google

go principiô poſitô in hujuſmodi Revelationibus per rerum intelligentiam, quales ſunt magna hujus operis pars, non habetur certitudo, aut certum veri Criterium ex divinitate doctrinæ, quam continent.

Regula 5. Mos dœmonum eſt, proponere veritates pro hominum captu optimas, ut immiſceant falſitates. Part. 3. N. 306. Itaque ex optimis doctrinis hujus Operis non habetur argumentum certum pro ejus divinitate; immo, quo opus eſt præſtantius in ſuo genere, eo plus lucratur dœmon, ſi ei immiſceat aliquas falſitates cujuſdam momenti. Quod ſi hoc opus non habet pro ſe argumenta divinitatis moraliter certa, & ex oppoſito contra illud pugnant præſumptiones deceptionis violentæ, quis conferat fidem certam?

Regula 6. Ex tribus ſignis habetur certum judicium, quod Revelatio ſit à Deo. Primò. Ex ipſa natura lucis, in qua res revelata cognoſcitur. Secundò. Ex ſubmiſſione judicii, ac obedientia erga Directores ſuos ſpirituales ac Superiores. P. 1. N. 15. 16. 17. 18. 19. P. 2. N. 679. & P. 3. N. 791. & P. 1. N. 641. Tertiò. Ex bonis effectibus quos in anima relinquunt, videlicet ex motibus ferventibus ad virtutes. P. 1. N. 641. Hæc omnia indicia ſunt fallibilia, aut certè non applicabilia in his Revelationibus. Quod enim attinet illam lucem, ea non eſt ipſe Deus, ut fatetur P. 1. N. 12. 13. 14. & ſequentibus, adeoque poteſt dœmon illam imitari per ſimilitudinem, maximè cum plurimæ, ſi non pleræque, ejus Revelationes, ſint imaginariæ & phantaſticæ, ut patet ex decurſu operis. Nec videtur, quod ipſa dicit; P. 1. N. 2, viſiones ſuas in phantaſia eſſe raras; contrarium loquitur res ipſa in omnibus ferme foliis. Dein, ſi fuiſſet adeo certa de hac luce infallibili, non timuiſſet toto vitæ tempore de illuſionibus Diabolicis, ut monſtrat ejus vita §. 15. & ex tribus Præfationibus conſtat; neque tam anxiè ſua opera ſubjeciſſet correctioni Doctorum, ut fecit P. 2. 679. & P. 3. N. 791. neque fuiſſent multa correcta ex ejus prima deſcriptione, prout tamen fuiſſe correcta colligitur ex Præfatione ad Part. 1. Num. 15. & ex Vita illius §. 32. Quod attinet ſubmiſſionem ad ſuos Confeſſarios & Superiores, inprimis illis per viginti fermè

fermè annos non paruit; nec acquievit eorum mandato, niſi poſt iteratas viſiones, ut proin potius crediderit novis viſionibus, quàm ſuis Confeſſariis; dein verò hi non ſunt certa regula, conſtat, ſcatuiſſe Germaniam ejusmodi Viſionariis illuſis quamvis cùm approbatione Confeſſariorum. Dein habuiſſet ſignum clarum dubitandi de bona directione Confeſſariorum, & inquirendi melius; maximè cum unus Confeſſarius conſtanter contradixerit, ut patet ex ejus Vita §. 32. & reliqui Superiores ac Confeſſarii ipſi mandaverint petere à Deo varias revelationes, ut patet ex P. 2. N. 679. quod facile potuiſſet advertere, eſſe tentationem Dei; & eoipſo eſſe obnoxium illuſioni. Denique pii motus ad exercitium virtutum poteſt eſſe ſimul à Deo, & ſimul à dœmone ex diverſo fine, prout fuit in Pilato ſollicitudo liberandi Chriſtum, ipſamet id ſic conteſtante. P. 2. N. 1306. & 1308. Itaque dum non reperitur in his Revelationibus certum Criterium de earum divinitate, & ex oppoſito ſtent argumenta moraliter certa, prudentiæ eſt, aſſenſum usque ad judicium ſupremi tribunalis Eccleſiæ ſuſpendere.

Regula 7. Si in viſionibus corporalibus ſtatim exigitur fides ſine ulteriori examine, eoipſo eſt ſignum, quod ſint à dœmone. P. 1. N. 640. Atqui hæc fides ut videtur fuit exigita ab ipſa ſæpius; nam quamvis aliquando fuerit remiſſa ad judicium Confeſſarii v. g. P. 1. 641. id tamen non eſt factum aliis iteratis vicibus.

Propoſitio 17. Hæ Revelationes contradicunt Revelationibus aliarum fœminarum æquè fide dignis ac ſunt iſtæ. Ergo ſunt dubiæ. Adeoque ut dubiæ cedere debent præjudiciis hucusque adductis moraliter certis.

1. In his Revelationibus dicitur; B. Virginem & S. Joſephum, quando proficiſcebantur in Bethlehem nec habuiſſe famulum, nec ancillam, P. 2. N. 423. 457. 472. 473. Econtra in Revelationibus Beatæ Veronicæ de Binaſco L. 4. N. 3. apud Bollandum 13. die Januarii dicitur, eos in comitatu habuiſſe ancillam & famulum. Sic habet: *Aſſiſtebat B. Virgini Joſeph vir ejus, habens ancillam comitem, Virginis gravidæ gratia, famulumque bovem deducentem.* 2. In

2. In his Revelationibus dicitur, quod B. Virgo jam ante ingreſſum itineris præparaverit faſcias, in quibus poſtea JEſum involvit. P. 2. N. 441. Econtra in Revelationibus B. Veronicæ de Binaſco L. CC. N. 5. dicitur, quod B. Virgo Infantem involverit in ſuo Velo capitis. Sic habet: *Conſpexit JESUM ex Virgine natum, quem altera manu tenens Virgo alterâ fœnum colligebat, quo lectulum Infanti ſterneret. Deinde velum è capite accipiens dimidium corpuſculum Infantuli texit.* Idem, quod B. Veronica vidit, etiam in Ectaſi conſpexit S. Franciſca Romana. L. Viſionum. vis. 15. N. 35. apud Bolland. 9. Martii, ut proin in hac re ſint duæ contra unam.

3. In his Revelationibus dicitur; S. Joſephum in Nativitatis momento fuiſſe in antro præſentem P. 2. N. 472. Econtra in Revelationibus B. Veronicæ L. CC. dicitur, S. Joſephum fuiſſe abſentem. Sic habet: *Aderat minimè Joſeph, cum Virgo peperit, qui cito reverſus cum tribus fœminis locum ſplendore illuſtratum reperit.* Abiit enim Joſeph intempeſtæ noctis ſilentio, ut fœminas auxiliatrices perquireret, ut Ibidem habetur Num. 4.

4. In his Revelationibus dicitur, Chriſtum fuiſſe circumciſum in Spelunca. P. 2. N. 532. Econtra in Revelationibus B. Veronicæ L. 4. C. 2. N. 8. dicitur, id contigiſſe in templo.

5. In his Revelationibus dicitur, Tres Reges non fuiſſe prius collocutos de inſtituendo itinere; ſed accepto per angelum nuntio ſtatim profectos eſſe, ſicque primùm in via conveniſſe. P. 2. N. 555. 556. Econtra in Revelationibus B. Veronicæ dicitur L. CC. N. 9. eos prius fuiſſe collocutos. Sic habet: *Animadvertit tres Reges in unum conveniſſe, qui cum mutuò loquerentur, quiſque quæ viderat, & ab angelo audierat, de novi Regis ortu narrabat. Dicebat autem: Quis Dux noſter erit? Statuêre tandem, ut unà ad novum Regem adorandum properarent. Tum variis rebus pro regii itineris majeſtate compoſitis* &c.

6. In his Revelationibus dicitur, quod B. Virgo in templo exſpectaverit & exceperit Simeonem advenientem in templum. P. 2. N. 600. Econtra in Revelationibus B. Veronicæ diciur, quod Simeon

Digitized by Google

meon jam prius in templo exiſtens exſpectaverit advenientem B. Virginem. Similiter in Revelationibus S. Franciſcæ Romanæ Viſ. 18. Num. 47. dicitur: quod Simeon Pontificaliter indutus cum duobus miniſtris iverit B. Virgini obviam usque ad portam Templi. Ibi dicitur, quod B. Virgo obtulerit par turturum. P. 2. N. 599. hìc autem dicitur, quod obtulerit par turturum & duos pullos columbarum.

7. In his Revelationibus dicitur, B. Virginem in Ægyptum non habuiſſe alium comitatum, niſi Joſephi. P. 2. N. 514. 520. &c. Econtra in Revelationibus B. Veronicæ dicitur N. 13. *Accepit Joſeph tres ancillas comites, deducens bovem cum tribus aſellis, quos ſervi quidam dirigebant.*

8. In his Revelationibus dicitur, quod toga B. Virginis fuerit griſei ſeu cinerei coloris, ut geſtant Moniales S. Claræ; Toga autem Chriſti fuerit coloris medii inter colorem violaceum & argenteum. P. 1. N. 400. P. 2. N. 687. Econtra in Revelationibus B. Veronicæ dicitur N. 19. quod veſtimenta tam pueri JESU, quàm B. Virginis fuerint cærulei coloris.

9. In his Revelationibus dicitur, quod Chriſtus nec in flagellatione, nec in crucifixione potuerit exui Semicinctio, quod geſtabat. P. 2. N. 1379. Sed in Revelationibus B. Veronicæ dicitur N. 33. quod B. Virgo ad tegendam filii nuditatem ei e capite ſuum velamen projecerit.

10. In his Revelationibus dicitur, S. Joſephum fuiſſe in antro præſentem in actuali partu B. Virginis. P. 2. N. 472. S. Birgitta in ſuis Revelationibus L. 7. C. 21. dicit oppoſitum; ſic enim habet: *Senex ille* (S. Joſephus) *ligatis bove & aſino ad præſepe exivit extra, & portavit ad Virginem candelam accenſam, fixitque eam in muro, & exivit extra, ne partui perſonaliter intereſſet.*

11. In his Revelationibus dicitur, Secundinas manſiſſe in utero B. Virginis. P. 2. N. 479. Econtra S. Birgitta L. CC. dicit, Secundinas cum Chriſto veniſſe in mundum. *Vidi*, inquit, *etiam pellem Secundinam jacentem prope eum involutam.*

Digitized by Google

12. In his Revelationibus dicitur, quod Chriſtus in flagellatione habuerit velamen; & quod fuerit exutus à carnificibus. P. 2. N. 1337. 1338. Econtra in Revelationibus S. Birgittæ L. 1. C. 10. N. 7. dicitur: *Perſonaliter ſe veſtibus exuit; perſonaliter manus ad columnam applicuit. Alligatus autem nihil omnino operimenti habebat, ſed ſicut natus eſt, ſic ſtabat, & patiebatur erubeſcentiam nuditatis ſuæ.* Idem repetitur L. 1. C. 27. & L. 4. C. 70. & L. Revelat. Extravag. C. 51.

13. In his Revelationibus dicitur, quod Chriſtus in Crucifixione fuerit exutus à carnificibus, & quod fuerit circa lumbos indutus ſuo proprio ſemicinctio, quo ſemper fuerat indutus. P. 2. N. 1378. 1379. Econtra in Revelationibus S. Birgittæ L. CC. N. 9. dicitur, quod Chriſtus ſeipſum exuerit, & quod ſe texerit velamine alieno. Sic habet: *Filius meus exuit ſe perſonaliter veſtibus ſuis. Stante autem filio meo ſicut natus erat nudo corpore unus tunc accurrens apportavit ſibi velamen, quo ipſe exultans intimè velabat verenda ſua.*

14. In his Revelationibus dicitur, B. Virginem vidiſſe Chriſtum, quando ducebatur ad Pilatum & ad Herodem, & in domo Pilati ante flagellationem. P. 2. N. 1300. 1301. 1304. 1306. Econtra in Revelationibus S. Birgittæ L. 4. C. 70. dicitur, quod B. Virgo ab initio paſſionis filium non amplius viderit uſque ad flagellationem. *Imminente*, inquit B. Virgo, *paſſione mox à conſpectu meo abſtractus eſt, nec eum amplius vidi, donec educeretur ad flagellandum.*

15. In his Revelationibus dicitur, Chriſtum fuiſſe crucifixum tantum tribus clavis; & fuiſſe tantum tria foramina; & unum pedem fuiſſe impoſitum alteri. P. 2. N. 1383. 1384. Econtra in Revelationibus S. Birgittæ dicitur: Chriſtum fuiſſe confixum quatuor clavis. L. 4. C. 70. *Pervento*, inquit B. Virgo, *ad locum crucifixionis ecce malleus & quatuor clavi acuti in promptu ſunt - & pedes ad foramina ſua diſtenduntur, & duobus clavis configuntur.*

16. In his Revelationibus dicitur, quod corona ſpinea ante crucifixionem fuerit à carnificibus Chriſto in caput de novo impreſ-

ſa.

Digitized by Google

ſa. P. 2. 1378. Econtra in Revelationibus S. Birgittæ dicitur, quod Carnifices ante crucifixionem detraxerint coronam ſpineam ex ejus capite, ac demum poſt crucifixionem in caput illam repoſuerint. L. 7. C. 15. N. 2.

17. In his Revelationibus dicitur, quod B. Virgo in Ægyptum fugiens tenuerit viam ſecus mare. P. 2. N. 625. Econtra in Revelationibus B. Angelæ de Fulginio dicitur, quod tenuerit viam per deſertum, per quod per 40 annos tranſierunt Iſraelitæ, quod erat trans Jordanem. Bollandus in ejus Vita 4. Januarii C. 16.

18. In his Revelationibus dicitur, quod tres Reges in diverſis regionibus conſtituti obſervaverint ſtellam. P. 2. N. 555. Econtra in Revelationibus S. Franciſcæ Romanæ Viſione 46. dicitur, quod ſimul in aliquo monte conſtituti ſtellam obſervaverint; ſic enim habet: *Steterunt ſimul cum aliis ſpectatoribus in orientali monte, ut viderent ſignum novæ ſtellæ. Nam priusquam viderant ſtellam, fuerunt jam illuminati in ſuis mentibus, quod Redemptor jam ſit natus; & deſcendentibus illis de monte apparuit eis ſtella.*

19. In his Revelationibus dicitur, quod S. Magdalena poſt apparitionem angelorum iverit ad Petrum & Joannem, eosque ad Sepulchrum Domini adduxerit; ac quod dein primùm Chriſtus illi apparuerit. P. 2. N. 1480. 1481. Econtra in Revelationibus S. Franciſcæ Romanæ Viſione 51. dicitur: quod Magdalena poſt apparitionem Chriſti ſibi factam iverit ad Apoſtolos, & tunc primùm adduxerit Petrum & Joannem ad Sepulchrum.

20. In his Revelationibus dicitur, quod B. Virgo ſimul cum filio in Aſcenſione abierit in cœlum, quamvis per replicationem ſimul manſerit in terra. P. 2. N. 1512. Econtra in Revelationibus S. Magdalenæ de Pazzis dicitur, quod B. Virgo non ſimul abierit cum Filio in cœlum. Dicitur enim C. 6. Num. 213. *O Verbum, tu relinquis Mariam ſeparatam à te quoad corpus.* Et Num. 217. *Nos autem, o Maria, in terra manemus.* Idem habetur in altera Vita. C. 21. N. 229. & 230. apud Bolland. 25. Maij.

21. In his Revelationibus dicitur, Chriſtum præ horrore pe-

Digitized by Google

tiiſſe, ut non pateretur pro damnandis; & hunc eſſe ſenſum illorum verborum: *Transfer à me calicem* N. 1213. 1214. Part. 2. E contra S. Catharina Senenſis, ut habetur in ejus Vita C. 8. N. 208. intellexit; hunc eſſe ſenſum, quod præ deſiderio patiendi iis verbis petierit accelerationem.

Propoſitio 18. Revelationes Ven. Mariæ de Agreda non habent certa indicia revelationum divinarum, ſed potius ſigna de illuſione ſuſpecta. Id ſequentibus argumentis evinco.

Argumentum 1. Maria de Agreda aſſerit, totum hunc Revelationum librum fuiſſe totaliter approbatum à Deo; Ergo cum ex præcedentibus propoſitionibus videatur moraliter certum, in hoc libro contineri illuſiones phantaſiæ, clarum eſt, eam in illa apparitione, qua Deus librum approbavit, fuiſſe illuſam à phantaſia, aut à dœmone. Quod ſi una apparitio, quam illa pro veriſſima habuit, adſcribenda eſt illuſioni, eſt eadem ratio pro cæteris. Part. 1. Num. 1. & 9. Epiſtola ad Moniales. Num. 15.

Argumentum 2. Inter ſigna indubitata, quod aliqua Revelatio ſit à Deo, à S. Thereſia & aliis ponitur, quod cauſet in anima effectum ſupernaturalem conſtantem, v. g. liberationem aliquam perpetuam à quodam genere tentationis aliàs frequentis. At verò in his Revelationibus non habetur effectus conſtans. Quamvis enim Ven. Maria de Agreda dicat, ſe quandoque ſenſiſſe extraordinarium fervorem ad virtutes; non tamen is fuit conſtans; & timor ille, quem habuit, ne revelationes hæ eſſent illuſiones, ſemper rediit. P. 1. N. 2. Præfationes, & Vita.

Argumentum 3. Agredana fundat ſuam certitudinem revelationum in quadam notitia experimentali illius lucis, quam ſenſit P. 1. N. 12. 13. 14. 15. 16. 17. Verùm, cum eodem loco fateatur, ſimul interceſſiſſe viſionem phantaſticam de quodam Speculo, & reflexione lucis ex Speculo, manifeſtum eſt, etiam illam lucem pertinere ad objectum phantaſiæ, adeoque eam poſſe produci à cauſâ creata.

Digitized by Google

ta. Immo ex effectu ſatis deſumitur, eam lucem à Deo non fuiſſe; quæ enim à Deo eſt, relinquit in intellectu ſpecies conſtanter ſuaſivas de veritate objecti, & excluſivas omnis formidinis de oppoſito. Hæc autem excluſio in Agredana locum non habuit, cum fuerit agitata perpetuis anxietatibus, ne forte eſſet illuſa, ut patet ex ejus Vita. Itaque, cum alia indicia certa oſtendi non poſſint, etiam hucusque fuerit oſtenſum, quod econtra in Agredana reperiantur diſpoſitiones idoneæ ad illuſiones phantaſticas, & Ipſæ Regulæ, quas ipſamet pro diſcretione Revelationum poſuit, has Revelationes accuſent, & Revelationes ſint diſſimillimæ aliis Revelationibus aliunde certis; laborent quoque graviſſimis contra ſe præjudiciis hucusque adductis; prudentiæ eſt, eas non vendere populo tanquam indubias, ſed ſuſpendere judicium usque ad ſententiam ſupremi Tribunalis Eccleſiæ.

Argumentum 4. Signa, quæ in Agredana reperiuntur, à Doctoribus partim habentur pro incertis, partim pro ſuſpectis. Ergo revera in his revelationibus non habentur ſigna certa, ſed ſuſpecta. *Antecedens* probo ex applicatione Regularum, à Doctoribus ſtabilitarum. Inter has eſt

Regula 1. Eoipſo, quod Revelatio ſit alicujus fœminæ, non eſt recipienda ſine indiciis aliunde certis. Gravina Part. 2. L. 1. C. 2. Aſſert. 3. Atqui in Revelationibus Agredanis non ſunt indicia aliunde certa, ut conſtat ex Propoſit. 18. & ex eo, quia nulli effectus ſupernaturales in conteſtationem harum Revelationum oſtendi poſſunt.

Regula 2. Idem dicendum de Revelationibus earum perſonarum, quæ ſunt naturæ immoderatè melancholicæ. Idem L. CC. V. Reg. 4. Cum ergo ex Vita Mariæ de Agreda conſtet, eam fuiſſe melancholicam immodicè, utpote agitatam perpetuis vanis, ut ipſamet credit, anxietatibus ac timoribus, non ſunt recipiendæ ejus Revelationes ſine argumentis certis in particulari.

Regula 3. Si perſona deprehendatur præſumptuoſa, confidens in ſuis meritis & viribus, ita ut è cœlo exſpectet Revelationes, & angelicas inſtructiones, non eſt illis credendum. Idem L. CC. Cum

ergo ex Propoſ. 15. conſtet, quod Maria de Agreda ſæpe à Deo petierit Revelationes, non erit illi credendum.

Regula 4. Perſonæ Viſionariæ, ſi non habeant radicatam ſolidam humilitatem, ſuſpectæ ſunto. Porro ſolida humilitas non conſiſtit in proteſtatione verborum, dum ſe indigniſſimos iis favoribus & maximos peccatores pronuntiant, ſed dum ſeriò abſcondi favores quærunt & famam fugiunt. Idem L. CC. Atqui Maria de Agreda direxit ſuas Revelationes ad Inſtructionem ſuarum & omnium aliarum Monialium, immo ad directionem totius Eccleſiæ, ut patet ex Propoſit. 5. Art. 1. N. 3.4. & ex Vita, & ex Proëmiis, & ex Epiſtola ad Moniales, & ex initio Operis.

Regula 5. Viſiones perſonarum, quæ in via ſpirituali adhuc tyrones ſunt, pro ſuſpectis haberi debent. Idem L. CC. Atqui Maria de Agreda incepit habere Revelationes ac Ectaſes jam anno ætatis ſuæ vigeſimo quinto.

Regula 6. Si perſona revelationes optet & affectet, aut habitas paſſim communicet & evulget, ſuſpectæ ſunto. Idem L. CC. Atqui Maria de Agreda permiſit deſcriptionem ſuarum Revelationum, ſic ut poſt earundem concremationem nihilominus ſuperfuerit exemplar; aliam Copiam miſit Regi Hiſpaniæ, quem & dirigere ſuſcepit in ſuo regimine.

Regula 7. Si perſona deprehendatur jam aliàs fuiſſe illuſa à dæmone, omnes reliquæ viſiones ſuſpectæ ſunto. Idem L. CC. Hæc Regula videtur extendenda ad caſum, quo perſona jam aliàs fuit deprehenſa illuſa à phantaſia.

Regula 8. Omne quod in Revelationibus privatis diſcordat à moribus, conſuetudinibus, & præceptis Eccleſiæ, rejiciendum eſt. Idem L. CC.

Regula 9. Si per Revelationes privatas introducatur aliquis modus vivendi etiam ſub ſpecie ſanctitatis quem populus Dei ſervare non conſuevit, ut ſuſpectus vitari debet. Idem L. CC.

Jam verò quod in his Revelationibus ſaltem aliquoties reperiantur illuſiones phantaſiæ, & quod introducantur novæ opiniones hacte-

hactenus non conſuetæ in Eccleſia, ex prioribus colligitur. Quamvis fatendum, aliquando etiam revelari nova, dum ſtatim judicio Eccleſiæ ſubjiciuntur, & approbantur, prout circa feſtum Corporis Chriſti contigit.

Regula 10. Revelationes, quæ incitant ad particularem opinionem ſequendam, quam nec Scriptura, nec traditio, nec Patres, nec Scholaſtica doctrina commendant, ſed ſolius aſſerentis novitio placito venditatur, rejiciendæ ſunt. Idem L. CC. Atqui in Revelationibus Agredanis multa continentur contra opiniones Theologorum communes, aut ignota antiquitati, ut patet ex Propoſ. 5. & 4.

Regula 11. Quando Revelationes perſonarum etiam ſanctarum invicem pugnant, ambæ pro ſuſpectis & dubiis habendæ ſunt. Idem L. CC. Atqui id fieri circa Revelationes Agredanas, patet ex Propoſ. 17.

Regula 12. Revelationes circa quæſtiones Philoſophicas, Theologicas, aut Hiſtoricas ſuſpectæ ſint. Idem L. CC. Atqui id fieri in Revelationibus Agredanis, patet ex Propoſ. 1. 2. 3. 4.

Regula 13. Revelationes, quæ non congruunt divinæ Sapientiæ, recipiendæ non ſunt. Idem L. CC. In hoc peccare Revelationes Agredanas, videtur ex Propoſ. 6. 11. 12. 13.

Regula 14. Revelationes, quarum objecta ſunt curioſa aut inutilia, recipiendæ non ſunt. Idem L. CC. Atqui ejusmodi inutilibus ſcatere Revelationes Agredanas, patet ex earum Compendio.

Regula 15. Ipſa multiplicitas Revelationum eidem perſonæ facta ſuſpecta ſit. Idem L. CC. Atqui Revelationes Agredanæ copioſiores ſunt, quàm omnes aliæ, ipſis etiam Scriptoribus Hagiographis factæ.

Regula 16. Sanctitas perſonæ non tollit periculum, aut ſuſpicionem de illuſione dæmonum; immo majus eſt de illuſione periculum in Sanctis, quàm non Sanctis. Card. Bona de Diſcret. Spirit. C. 1. N. 1. Diſcretio Spirituum conſiſtit in peculiari motione Spiritus Sancti ad diſcernendum inter varios motus, à quo Spiritu proveniant. Ibid. C. 2. N. 2. Diſcretio Spirituum eſt gratia gratis data; adeoque Sanctitas perſonæ non eſt argumentum, quod polleat diſcretione ſpirituum in ſe vel in aliis. Ibid. Donum diſcretionis ſpirituum

rituum non infunditur per modum habitus permanentis, ſed per modum motionis tranſeuntis; adeoque ex eo, quod aliqui Sancti probentur habuiſſe donum hujus diſcretionis, non ſequitur, quod illud ſemper habuerint. Ibid. N. 3. Igitur Sanctitas Ven. Mariæ de Agreda, non eſt ſignum certum, quod potuerit diſtinguere inter revelationes veras & falſas.

Regula 17. Diſcretio Spirituum regulariter non reperitur, niſi in iis qui humiles corde ſunt, & variis tentationibus diutiſſimè probati. Ib. N. 4. Ergo authoritas eorum, qui has Revelationes approbarunt, non prævalere debet aliis præſumptionibus directis in contrarium; quia de valore talium præſumptionum ex ipſa earum inſpectione conſtat; de diſpoſitione autem ac idoneitate illorum authorum in hac materia ex eorum præciſe ſcientia in Theologicis conſtare non poteſt.

Regula 18. Diabolus ab initio affert ſecuritatem, in fine diffidentiam, & dubietatem, ac perplexitatem. Henricus ab Vrimaria de Diſcret. Spirit. C. 4. Atqui Maria de Agreda fatetur ſe fere totâ vitâ fuiſſe anxiatam perpetuis timoribus, an ducatur bono Spiritu, ut patet ex ejus Vita.

Regula 19. Non eſt credendum, Revelationes eſſe divinas, quando verſantur circa objecta, quorum cognitio aliter haberi poteſt, quàm ex Revelatione; aut quæ non eſt neceſſaria. Henricus de Haſſia de Diſcret. Spirit. C. 4. Atqui Revelationes Agredanæ magna ſui parte verſantur circa objecta, quorum cognitio paſſim haberi poteſt ex Theologis Aſcetis, aut Interpretibus Scripturæ, aut Hiſtoricis. Legantur Commonitiones B. Virginis ad Mariam de Agreda, & patebit, in iis nihil aliud ferme contineri, quàm doctrinas paſſim in Aſcetis obvias. Sic & explicatio terminorum circa ordinem Decretorum divinorum utique reperitur in Theologis. P. 1. N. 34. &c.

Regula 20. Etiamſi Deus in viſione intelligatur absque omni phantaſmate & ſpecie rerum ſenſibilium, non eoipſo habetur certum ſignum, quod illa viſio ſit ſupernaturalis. Cardin. de Lauræa. de Orat. Opuſc. 2. C. 11. Itaque etiamſi Maria de Agreda P. 1. N. 25.

dicat,

Digitized by Google

dicat, ſe habuiſſe paucas viſiones imaginarias, non eoipſo habet certum ſignum, quod reliquæ viſiones non ſint à phantaſia.

Regula 21. Etiam Contemplationis acquiſitæ effectus ſunt affectiones ſanctæ, adeoque ex his effectibus non habetur argumentum, quod contemplatio aut viſio ſit ſupernaturalis. Idem Opuſc. 5. C. 4. Ergo Agredana ex eo, quod dicat, ſe expertam eſſe miram promptitudinem ad virtutes poſt Revelationes, non habet certum ſignum de ſupernaturalitate ſuarum Revelationum.

Regula 22. Poteſt contemplatio eſſe tam vehemens, ut quis patiatur naturalem Ectaſin ſeu alienationem à ſenſibus. Idem Opuſc. 5. C. 6. Idem ergo applicetur ad Agredanam.

Regula 23. Etiam in ea Ectaſi, quæ provenit ex movente Deo, & ex ſpeciali gratia divina, poteſt intervenire viſio propriæ phantaſiæ, adeoque erronea. Idem L. CC.

Regula 24. Viſiones & Revelationes etiam quæ apparent bonæ, ſæpe ſunt à dœmone, nec facile diſcerni poſſunt abſque ſpeciali illuſtratione divina, & ſine dono diſcretionis ſpirituum. Idem in Tom. 3. de Gratia Diſp. 19. Art. 10.

Regula 25. Etiamſi is, qui apparet, ad ſpiritualia incitet, immo etiam cum eo, cui apparet, illa efficiat, ut ſi Litanias, Officium &c. recitet, non eſt certum ſignum, viſionem non eſſe à dœmone. Idem L. CC. Diſput. 20. Art. 19. N. 854.

Regula 26. Vita Chriſtiana non debet unquam in ullo homine dirigi ex Revelationibus. Lud. de Leone in Diſſert. prælim. ad Opera Thereſiæ. Ergo cum ſæpius in his Revelationibus præcipiatur, ut vita non tantum Monialium ſed & omnium Chriſtianorum dirigatur juxta has Revelationes, ut oſtenſum eſt Propoſ. 5. non videtur hoc præceptum rationabile; ergo nec à Deo.

Regula 27. In mulieribus dantur diſpoſitiones ad Ectaſes & raptus naturales. Sybille. Quæſt. 5.

Regula 28. Revelationes mulierum Chriſto verè devotarum, ut puta Birgittæ, Catharinæ Senenſis, & ſimilium, nec debent ha-

beri pro indubitanter veris, nec tanquam à Spiritu Sancto editæ acceptandæ ſunt vel prædicandæ. Idem L. CC. ex Henrico de Haſſia.

Regula 29. Si revelationes diverſæ ad invicem opponantur, omnes ſuſpendendæ. Caſtaldo de Poteſt. Angel. Tom. 1. Diſt. 1. Q. 1. Art. 5.

Regula 30. Revelationes fœminarum inprimis ſuſpectæ ſunto. Idem Art. 5. Controv. 5.

Regula 31. Etiam in ipſis colloquiis cum Deo habitis ac veris Revelationibus poteſt dœmon quandoque immiſcere falſa. Idem L. CC.

Regula 32. Perſonæ verè illuminatæ nullas aut raras ſolent habere viſiones, raptus, ac revelationes. Rusbrochius de Ornatu L. 2. C. 25. Cur ergo tot in Agredana?

Regula 33. Si quando ambiguitas in anima prophetæ reſederit, aut divina revelatio non eſt, aut ſaltem non pura & impermixta, ſed vel phantaſmatibus, vel rationi naturali permixta. Franc. Picus de fide. Theor. 9. Atqui Agredana fatetur, ſe ſemper anxiatam fuiſſe, an ſua Revelatio ſit divina, ut patet ex ejus Vita & ex Proëmiis. Hanc Regulam præ omnibus aliis attendendam eſſe cenſeo in his Revelationibus, quatenus dicit ejusmodi revelationes eſſe mixtas.

Regula 34. Quando dubium eſt, an revelatio perſonæ eximiæ falſa ſit, an vera, ſuſpendendum eſt judicium. Idem L. CC. Theor. 22.

Regula 35. Revelationes de objectis curioſis tanquam ſuſpectæ & dubiæ habeantur. Idem de Prænot. L. 8. C. 5.

Regula 36. Revelationes perſonarum, in quibus deprehenduntur cauſæ propinquæ fraudum, aut illuſionum, pro ſuſpectis habeantur. Idem Prænot. L. 9. C. 2.

Regula 37. Revelationes, quæ non manifeſtè propriam, vel communem utilitatem præferunt, vel rejiciendæ vel ſeveriori examini ſubjiciendæ ſunt. Idem L. CC. C. 5.

Regula 38. Revelationes, cum & ipſæ ſint miracula, non ſunt admittendæ ſine ſufficienti neceſſitate aut fundamento. Caſtaldus de Alaſſio. de Poteſt. Angel. T. 1. Diſt. 1. Art. 5.

Hæ omnes Regulæ ſi applicentur ad revelationes Agredanas, patebit, in iis non reperiri ſigna veræ revelationis certa.

Con-

Digitized by Google

Concluſio
De Revelationibus Mariæ de Agreda.

Ex hucusque demonſtratis ad minimum ſequitur, Revelationes Mariæ de Agreda eſſe dubias. Exinde autem duo infero. Primò, quod videantur falſæ. Ratio eſt, quia Deus in his revelationibus P. 1. N. 9. dicitur præcepiſſe, ut habeantur pro *certa veritate.* Hoc ſi verum eſſet, præordinaſſet utique media & argumenta, ex quibus potuiſſet prudenter ea certitudo ſtabiliri. Imprudentis enim eſt, exigere aſſenſum certum, & non providere de argumentis certis. Cum ergo non præordinaverit argumenta certa, ſed conſideratis omnibus revelationes reliquerit in ſtatu dubio, falſum videtur, Deum præcepiſſe, ut hæ revelationes habeantur pro certa veritate. Alterum eſt, has revelationes eoipſo quod ſint dubiæ, non eſſe promulgandas aut permittendas populo ut indubias. Ratio eſt, quia non eſt honorificum Eccleſiæ, paſcere fideles ejusmodi doctrinis fallibilibus; nec ſaluti animarum proficuum, ſi pretioſi temporis talentum collocent in ruminandis principiis incertis, attentione neglecta ad veritates Evangelicas, aliaque inconcuſſa Patrum dogmata. Accedit, quod hæc dubia verſentur in re nimis magni momenti, ubi agitur de innovatione in materia fidei & morum, prout oſtenſum eſt Propoſ. 4. 5. 6. 8. In re autem tanta abſolutè nunquam periclitandum eſt, dum ad ſalutem nobis ſufficiunt & abundant certa, tutaque media.

Verum hæc omnia ſcripta ſint tantùm animô difficultates inſinuandi, ut qui ejusmodi Revelationes legunt, aut commendant, cauti ſint, nec invehant in mentes fidelium præjudicia ante ſententiam Romanam Supremi Judicis, cujus & judicio hæc mea aliaque omnia Scripta ſubjicio. Ipſius autem Ven. Mariæ ſanctis moribus nil derogatum cupio, cum nec ſancti à levibus ſubin defectibus & illuſionibus immunes ſint.

O. A. M. D. G.

Digitized by Google

ERRATA.

Prior numerus denotat folium, poſterior lineam.

P*arte* 2. 4. 1. *tamen.* tam. 22. 17. *miſera.* miſeria. 54. 15. *Genimedem.* Ganimedem. 59. 16. *accidit.* accedit. 60. 24. *Apolloninem.* Apollinem. 69. 17. *quod ratam.* quadratam. 73. 27. *quod.* quoad. 88. 10. *exaudimur.* exaudiamur. 104. 31. *decet.* dedecet. 133. 28. *vis in.* vis? in. 158. 15. *offerentur.* offerrentur. 161. 12. *proponat.* proponant. 212. 14. *Corallam.* Corollam. 216. 1. *diffulſa.* divulſa. 218. 22. *finem.* fine. 227. 11. *difficultas.* difficultates. 247. 11. *docui.* docuit. 264. 24. *tres.* ter. 290. 26. *proximo.* proximum. 297. 22. *faſcum.* fuſcum. 300. 13. *eſt.* &. 342. 10. *canape.* canabe. 343. 5. *Hinc.* Hinc eam. 355. 12. *Sic.* Si. 367. 8. *Tenicia.* Phœniciam. 370. 6. *Eccon.* Ænon. 439. 7. *iſtra.* iſta.

Digitized by Google

005646003 Digitized by Google

Digitized by Google